witchcraft
BX
2340
C26



witchcraft
BX
2340
C26



7440 C280

RITUALIS ROMANI
DOCUMENTA
DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONIO
COMMENTARIIS

Ex SS. Patribus, & Ecclesiasticis Scriptoribus potissimum depromptis,

ILLUSTRATA

Per Fr. PAULUM MARIAM CARDI *Regiensem, Ordinis Servor. B M. V. Sac. Theol. Magistrum, S. Officii Consultorem Theologum, & in Provincia Lombardiæ Priorem Provincialem.*

VENETIIS, MDCCXXXIII.
Apud JOSEPHUM CORONA,
In Via Mercatoria.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

CORNELL UNIVERSITY.
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

~~7 4110 C280~~
A. 8048.
BK

REVERENDISSIMO PATRI,

P. PETRO MARIÆ PIERI SENENSI,

Sacræ Theologiæ Magistro, Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Consultori, Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis Qualificatori, itemque Consultori, Episcoporum Examinatori coram Sanctissimo, ac totius Ordinis Servorum

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

PRIORI GENERALI.

ECCE in lucem prodeunt Commentaria hæc gloriosissimo Tuo inscripta Nomini, REVERENDISSIME PATER, quæ cum non uno, vel altero tantum titulo te penè Auctorem, ac certè Patronum agnoscant, tua potius dicenda fateor, quam mea. Quoties enim

universa, quæ Tibi uni accepta refero, eaque in primis, quibus Te Præceptore fruebar, perpendam animo, profecto, qui ignoret, arbitror neminem, quidquid doctrinæ aut Eruditionis in hoc Opere, si quid tamen eminet, ex Te veluti ex quodam perenni fonte uberrime affluente, ac jugiter redundante in me derivatum esse, meque, prout par fuit viribus, exhausisse vel dum Theologicas mihi difficultates præstantissimo ingenii tui acumine enodares, vel dum ad SS. Patrum intelligentiam animum alliceres, vel tandem dum Ecclesiasticas Historias, congestis undique vetustissimis monumentis, mira claritate, ac soliditate adversus temporum injuriam, & sæculorum obscuritatem, illustrares. Nec tamen his, quæ satis, superque fuissent, aliosque non paucos clarissimos in nostra Servorum Familia Migistros efformavere, contentus eras, ut me erudires : Hinc sincera non minus, quam profunda sensuum tuorum aperitio, hinc uberrima mihi bonorum tuorum perceptio, Bibliothecæ videlicet tuæ præclarissimæ æquè, ac florentissimæ, ad quam mihi liber semper extitit aditus. Quapropter, cum ea omnia tam docte, tamque humaniter præstiteris, ut manum Operi admovere possem, illud jure merito Tibi est asserendum.

Præclara quidem hæc liberalitatis in me tuæ argumenta; attamen accedunt alia innume-

numera, neque his, ut puto, quibus hucusque me ita insignitum volueris, comparanda. Quid enim mihi pretiosius, quam in socium, Familiaremque tuum cooptari? Quid splendidius, quam ad illustres, curriculo studiorum meorum vix emenso, Instituti nostri Cathedras, officiis tuis amantissimis adigi? His tamen omnibus mihi per Te frui licuit. Quin imò grato, propensoque usquedum in me fuisti animo, ut primo Generalatus tui clarissimo, ac celebratissimo sexennio me in Secretarium tuum Romam revocare, deinde mihi totius Provinciæ Lombardiæ Consultoris, nonnullorum Congressuum Præfecti, ac Generalis Visitatoris munus addicere, neque tandem ad apicem Provincialatus promovere, atque sustollere non dubitaveris. Quæ omnia quidem, licet cordi alte reposita sint, adhuc tamen privatam sortem nequaquam agere possunt, nisi apud omnes publica hæc beneficia (idque in confessione grati animi mei) publico saltem testimonio tibi rependam, juxta Senecæ monitum: *Narret, qui accepit.* (a)

Ita debito meo, juri tuo, sed etiam huic Operi consultum est. Cupiens enim quis Lucubrationibus suis lucis usuram parare, suum eo ferme semper protendit animum, ut sibi non tam illustrem explorando, quam benignum, solertem non minus, quam doctum

(a) Lib. 3. de Benefic. c. 11.

Mæcenatem sibi, suisque conciliet; quem profectò alium optare possem, quem precari, quam Te, qui virtute, æquitate plurimum vales, quique prudentia, auctoritate denique præcellis omnibus?

Viderunt Te Ordinis nostri præstantiores Cathedræ vix sextum supra vigesimum ætatis annum egressum Florentina primum, Romana deinde in primario, selectissimoque Henrici nostri Collegio Doctorem, multa Discipulorum turba stipatum, quorum indoles, mores, ingenia seu in publicis disputationibus, seu postmodum in studiis regendis, seu in Provinciis administrandis ita efflorvere, ut Patres Nostri illud crebris de Te usurpare sermonibus consueverint: *Vir peritus erudit multos, & anima sua suavis est.* (a)

Cum autem ita res se habeat, *ut in lingua sapientia dignoscatur, & sensus, & scientia, & Doctrina in verbo sensati*, (b) ita proditum est, ut cum vix publica adorireris, profundum, gravem, ac summa eruditione spectandum virum Te omnibus exhiberes. Novit sapientiam tuam CLEMENS XI. Albanus, qui Tibi Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Consultoris, deinde Sanctæ Universalis Inquisitionis Qualificatoris provinciam demandavit: Novit BENEDICTUS XIII. Ursinus, qui supremis Inquisitoribus Romanis

(a) Eccl. 37. v. 22.
(b) Eccl. 4. v. 29.

nis Te Consultorem apposuit, & Episcopis jam electis Examinatorem constituit? Novit tandem Eminentissimus, ac Reverendissimus Cardinalis Laurentius Corsinus, modo CLEMENS XII. gloriosissimè, feliciterque regnans, qui Te sibi in Theologum nominavit, atque Consilia tua, in gravissimis Christiani Orbis negotiis, non solum amplissimis dum intererat Congregationibus, verum etiam nunc, dum universo Christi Fidelium Cœtui moderatur, clementissimè audit, Teque paterno plane prosequitur animo.

Perspicua siquidem ei est summa illa humilitas, ac animi verecunda demissio, qua Te quovis virtutum genere expertem reputas, cum apud omnes adeo spectaris. Neque mirum, si Infulis ad quas juremerito evocabaris, caput subdere nolueris, parvus in oculis tuis, cum sis magnus in oculis Sacerdotum: Prudentia illa singularis, qua omnia caute, prospereque exequeris, idem in secundis, idem in adversis, præterita cogitans, præsentia ordinans, futura prævidens, testimonium dans veritati, discretè promittens, promissa accellerans, atque amplius, quam promiseras, præstans: Præceteris vero vehemens studium illud, quo totius Ordinis dignitatis promovendæ gloriæque amplificandæ inflammaris: Quem enim Virum aut in concludendo promptiorem, aut in regendo providiorem, aut cujusvis rebus in administrandis præstantiorem Te unquam prospeximus? Sat igitur sit

leviter quædam attingere, nam si omnia singillatim persequerer, moderationi quidem tuæ molestus essem.

Vix Generalatus habenas susceperas, B. Peregrinum Latiosum, cui tam elaboraveras, cum Procuratoris Generalis munera fungeberis, Sanctorum Albo adscriptum vidimus. Decretum pro solemni B. Julianæ Falconeriæ in Sanctarum Virginum Catalogo descriptione quandocumque facienda obtinuimus: nec spes deest nobis, nec Tibi animus, quin septem BB. Instituti Nostri Fundatores, jam pridem Te pro viribus conante, de sub modis erutos, & super Ecclesiæ candelabrum positos, pari titulo simus veneraturi. Tua illi sunt cura, tuum studium, solertia tua: Hanc utique prædicant Privilegia Ordini nostro, Te impetrante vel uberius aucta, vel recenter impertita, præcipue verò illa erga Dolores B. M. V. pia animi affectio, cujus cultum in propagando, confirmandoque adeo & scriptis, & verbo innixus es, ut jam jam augustissimum Reginæ Martyrum Nomen longe, lateque amplissimis excultum honoribus ubique per Te triumphare videamus. Quid plura? Hanc saxa quoque, & parietes Pareciæ, & Cœnobii S. Nicolai in Arcionibus Romæ iterum juri nostro vindicati, atque a fundamentis nova, insignique extructa mole, quambreviter excitati celebrant, atque extollunt. Tanta adeo semper apud summos Pontifices gratia polles, tanta in Religiosam

Fami-

Familiam noſtram charitate, ut nec illi deſinant Te favoribus cumulare, neque Tu minus ſtudeas decori, atque incremento Ordinis vigilare.

Hæc omnia tam inaudita, tamque gloriosa facinora optimè noverunt Patres in Generalibus Comitiis Romæ anno proximè elapſo celebratis, ſeque propterea non levem jacturam ducentes, ſi Præfecturam, ut optabas, dimitteres, quæ BENEDICTO XIII. imperante, ſuſceperas Generalatus inſignia, tibi Te removenda eſſe minimè comprobabant. Quis enim in ſupremo illo Conventu Pietatem tuam, quis diſciplinam, ſtudia, atque animi Magnitudinem ſummis efferebat laudibus. Alii gratiam Principum: Alii filialem, ac propemodum incredibilem erga Religionem affectum ſpectabant: Alii verò Ordinis ingentes profectus, novoſque titulos, quibus ampliſſimè per Te unice potitus eſt, commemorabant. Omnes tamen illud D. Bernardi de Te prædicabant: *Praeſt ut provideat, ut conſulat, ut procuret, ut ſervet: Praeſt ut proſit, praeſt ut fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper Familiam ſuam.* (a) Hinc factum eſt, ut omnium Electorum ſententia, communi ſuffragio Præfecturam (raro, novoque exemplo) Tibi iterum commiſsam voluerint, ac decreverint.

Hæc enim, REVERENDISS. PATER, ut Opus hoc qualecumque Tibi dicarem, atque devove-

(a) Lib. 3. de conſiderat. ad Eugen. cap. 1.

voverem, impulerunt. Fateor istud tanto Mæcenate indignum, fateor tamen tantum Mæcenatem huic omninò necessarium. Neque Tibi utcumque exiguum, ac informe, injucundum fore confido; id enim præsertim Tua in omnes humanitas evincit, id præcipuum in me studium, id comitas, ac amor. Hoc itaque venerationis in Te meæ munusculum, ac certum grati animi mei judicium excipias velim. Quid aliud itaque mihi superest? Hoc unum scilicet, ut per Te mihi liceat sic tua enarrare beneficia, qui tuis beneficiis omnia debeo, non ut per hoc me *salvisse putem*, *sed ut securior debeam*. (a) Interim æternam Tibi a Deo O. M. felicitatem deprecans, & benevolentiam erga me tuam nulla rerum vicissitudine immutandam exoptans, sacratas deosculor manus.

PATERNITATIS TUÆ REVERENDISS.

Regii in Conventu B.M.V. Kalendis Maii 1733.

Humillimus, Devinctiss. & Obsequentiss. Servus
Fr. Paulus Maria Cardi Prioris Lombardiæ.

Ap-

(a) Senec. de Benefic. lib. 2. cap. 35.

Approbatio Adm. R. P. Mag. Angelici Mariæ Gucci Ordinis Servorum Mariæ.

LUbenti animo hunc perlegi Librum, cui Titulus: *Ritualis Romani Documenta de exorcizandis obsessis a dæmonio, Commentariis &c. illustrata:* Opus impigro exaratum labore a R. A. P. Paulo Cardi in Servorum Ordine Sacræ Theologiæ Magistro, Secretario Generali, ac in Lombardiæ Provincia, Provinciali recens electo. Perlegi, inquam, jussis obtemperaturus Reverendissimi Patris Petri Mariæ Pieri, Sacræ Theologiæ Professoris, totius nostri Ordinis Servorum B. M. V. Prioris Generalis, a quo hanc mihi demandatum Provinciam accepi. At vix perlegeram, cum statim illud mihi in mentem venit, quod inclamabant olim dæmones apud Matth. 8. v. 29. *Quid nobis, & tibi Jesu Fili David? Veni sti huc ante tempus torquere nos.* Talem enim, ac tam expeditam, dæmonum ab obsessis ejiciendorum corporibus viam sternit, facultatem, vimque demonstrat, ut dicto citius illinc emigrare cogantur, in ignem iterum perdendis, si hanc rectè calleat, ac pro sui muneris dignitate Exorcista utatur. Sed subit præ ceteris mirari, singularis quædam, ac peregrina eruditionis ubertas; nihil enim dicit, probat nihil, quod aut Priscorum Auctoritate Patrum, aut Sanctissimorum exemplo virorum, confertim, comulateque non suadeat, demonstret confirmet, urgeat; nec enim unum, aut alterum ad suam tuendam causam adducit, sed omnium ferè, ex numero eorum, qui probatissimi habentur, aut refert dicta, aut explicat sensa, aut quæ sint gesta ab eis, quæve a nobis gerenda proponit, ostendit. Fusius item libenter in Operis, Auctorisque de-

tora: *At vereor*, ut ille apud Tullium ajebat, *ne talium Personarum cùm amplificare velim, minuam etiam gloriam*. (a) Inoffenso itaque percurret pede, qui Exorcistam agens, nec in minimo huic adversabitur Operi, sed veluti lydium lapidem præ manibus semper habebit, oculos continuò obversabitur. Quod cùm sanam, & doctrinam orthodoxam contineat, dignum censeo publica luce, & ut typis quam primum mandetur.

Datum Romæ in Ædibus Sancti Marcelli, hac die 15. Junii 1731.

F. Angelicus Maria Gucci Sacræ Theol. Mag.

Approbatio Adm. R. P. Mag. Calliſti Mariæ Palombellæ in Colleg. Henrici apud S. Marcellum de Urbe Studiorum Regentis.

DE mandato Paternit. V. Reverendissimæ accurate perlegi librum, cui titulus -- *Rituale Romani &c.* nihilque in eo, quod Romanæ Fidei, ac bonis moribus adversetur, deprehendi. Quinimmò cum diligentissimus Auctor materiam de se sterilem mira quadam Sacræ Eruditionis varietate fœcundet; Ecclesiæ ritus, ac disciplinam ubique illustret, ac tueatur; nec non malignorum Spirituum mille nocendi, fallendique artes egregiè detegat; regiam denique viam planè demonstret, qua inita, dæmones sicuti *nec Deo, per quem adjurantur*, ita *nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt*, (a) idcircò luce publica dignum opus istud sane censeo.

Romæ apud S. Marcellum postridie Kalend. Decembris 1731.

Fr. Calliſtus Maria Palombella in Collegio Henrici de Urbe Regens.

Fr.

(a) Accad. quæst. lib 2.

(a) Lactantius Firm. lib. 2. divin. Instit. cap. 16.

Fr. PETRUS MARIA PIERIUS SENENSIS.

Sacræ Theologiæ humilis Professor, Sacrarum Congregationum Indicis & Rituum Consultor, Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis Qualificator & Consultor, Episcopor. Examinator eorum Sanctissimo, ac totius Ord. Servorum B. M. V. Prior Generalis.

Liber, cui titulus — *Rituali Romani Decreta de Exorcizandis obsessis a dæmonio*, Commentariis ex Sanctis Patribus, Ecclesiasticisque Scriptoribus, potissimùm depromptis illustrata per Adm. Rev. Patrem Magistrum Paulum Mariam Cardi Ordinis nostri Sacerdotem, & Provincialem Provinciæ Lombardiæ, cum a duobus ex Ordine nostro Theologis, quibus id commisimus, revisus, approbatus, dignusque ut in lucem edi possit, existimatus fuerit: Nos Officii nostri auctoritate, ut, servatis servandis, prælo demandari queat, præsentium tenore, licentiam concedimus. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu nostro S. Marcelli die 4. Mensis Januarii 1732.

Fr. Petrus Maria Generalis.

Reg. lib. 4. fol. 130.

Locus ✠ Sigili.

Fr. Sebastianus Tognini Secretarius Ordinis.

Le-

tora: *At vereor*, ut ille apud Tullium ajebat, *ne talium Personarum tùm amplificare velim, minuam etiam gloriam*. (a) Inoffenso itaque percurret pede, qui Exorcistam agens, nec in minimo huic adversabitur Operi, sed veluti lydium lapidem præ manibus semper habebit, oculos continuò obversabitur. Quod cùm sanam, & doctrinam orthodoxam contineat, dignum censeo publica luce, & ut typis quam primum mandetur.

Datum Romæ in Ædibus Sancti Marcelli, hac die 15. Junii 1731.

F. Angelicus Maria Gucci Sacræ Theol. Mag.

Approbatio Adm. R. P. Mag. Callisti Mariæ Palombellæ in Colleg. Henrici apud S. Marcellum de Urbe Studiorum Regentis.

DE mandato Paternit. V. Reverendissimæ accurate perlegi librum, cui titulus -- *Ritualis Romani &c.* nihilque in eo, quod Romanæ Fidei, ac bonis moribus adversetur, deprehendi. Quinimmò cum diligentissimus Auctor materiam de se sterilem mira quadam Sacræ Eruditionis varietate fœcundet; Ecclesiæ ritus, ac disciplinam ubique illustret, ac tueatur; nec non malignorum Spirituum mille nocendi, fallendique artes egregiè detegat; regiam denique viam planè demonstret, qua inita, dæmones sicuti *nec Deo, per quem adjurantur*, ita *nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt*, (a) idcircò luce publica dignum opus istud sane censeo.

Romæ apud S. Marcellum postridie Kalend. Decembris 1731.

Fr. Callistus Maria Palombella in Collegio Henrici de Urbe Regens.

Fr.

(a) Accad. quæst. lib. 2.

(a) Lactantius Firm. lib. 2. divin. Instit. cap. 16.

Fr. PETRUS MARIA PIERIUS SENENSIS.

Sacræ Theologiæ humilis Professor, Sacrarum Congregationum Indicis & Rituum Consultor, Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis Qualificator & Consultor, Episcopor. Examinator coram Sanctissimo, ac totius Ord. Servorum B. M. V. Prior Generalis.

Liber, cui titulus = *Rituali Romani Documenta de Exorcizandis obsessis a dæmonio*, Commentariis ex Sanctis Patribus, Ecclesiasticisque Scriptoribus, potissimùm depromptis illustrata per Adm. Rev. Patrem Magistrum Paulum Mariam Cardi Ordinis nostri Sacerdotem, & Provincialem Provinciæ Lombardiæ, cum a duobus ex Ordine nostro Theologis, quibus id commisimus, revisus, approbatus, dignusque ut in lucem edi possit, existimatus fuerit: Nos Officii nostri auctoritate, ut, servatis servandis, prælo demandari queat, præsentium tenore, licentiam concedimus. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu nostro S. Marcelli die 4. Mensis Januarii 1732.

Fr. Petrus Maria Generalis.

Reg. lib. 4. fol. 130.

Locus ✠ Sigili.

Fr. Sebastianus Tognini Secretarius Ordinis.

Le-

Lectori Benevolo.

NUnc primùm in lucem prodeunt, erudite Lector, hæc Commentaria in eum unicè finem exarata, ut videlicet Exorcista in sacro sui muneris exercitio luculenter instruatur, ac ministerium, quo fungi in votis habet, exactius opere valeat adimplere. Cum enim quamplures non sine animi molestia, viderim, qui Ritualis Romani, De Exorcizandis obsessis a dæmonio *aliqua documenta vel negligunt, vel contemnunt, vel etiam rejiciunt; imo, quod magis dolendum, in eam prorumpunt audaciam, ut quædam impugnare, quædam etiam iniqua, procacique censura notare non erubescant, eo prorsus despecto D. Ambrosii Mediolanensis effato:* Servemus præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus. (a) *Ut horum insciția, vel ut mitius loquar, ostitationi occurram, præcipuè verò Tyrones Exorcistas, ne ejusmodi sequantur erroris exempla, sed Ecclesiæ Romanæ sanctiones sartas, tectasque conservent, quantum privato licet scriptori, commoneam, Opusculum hoc publici juris facere consultò decrevi.*

Verùm cum sæpe animo versarem, unde nam hoc vitii genus erumpere cœperit, ac germinare, ut idem radicitus plane convellerem, ea fortasse de causa ortum habuisse deprehendi, quod hujus indolis Exorcistæ minus caute putent, exigui momenti esse, nullove fundamento niti Ritualis in hac parte penè jacentis monita, eaque hac de re insulsissimè parvi pendant. Quapropter hæc Commentaria ex Sanctorum Patrum, & Ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis, summa fide relatis, utcumque conficienda sum arbitratus. Si enim omnibus bona magna, & occulta

(a) Lib. 3. de Fide cap. 15.

cultа diſcere cupientibus ; non aperit niſi auctoritas januam , (a) *ut docet Magnus Auguſtinus , hac profectò ratione fieri poſſe judicavi , ut expulſis erroneis opinionibus , tandem aliquando cognoſcerent , quo ſolido fundamento nitantur Inſtitutiones a Romano Rituali Sacris Adjuratoribus præſcriptæ , quavè rurſus veneratione , quave obedientia eis inviolabiliter parere teneantur . Non majorem idcirco (quod omnino abſit) auctoritatem , ſupra eam , quam præfefert Rituale , quamque a Romani Pontificis approbatione obtinuit , addere in animo eſt , ſed duntaxat , ut magis ipſa ejus eluceſcat auctoritas , eaque impoſterum ab omnibus expreſſius dignoſcatur .*

Neque verò hinc arbitreris velim , amice Lector , me injuriam vel levem Ritualis Romani documentis inferre , ea Commentariis illuſtrando , quaſi propria nativaque lute deſtituta , alieno indigeant , ac velut adſcititio lumine coruſcare ; ſicut enim fas eſt ut priſca Eccleſiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur, ſed nefas eſt ut commutentur, nefas eſt ut detruncentur, ut mutilentur, (b) *teſte præſtantiſſimo Vincentio Lirinenſi ; ſic ea mihi monita colluſtrare licebit , ut* accipiant evidentiam, lucem diſtinctionem: *ita tamen ut ſimul* retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, *ut ejuſdem Doctoris phraſi proſequar.* (c)

Multoque minus mirari debueris , ſi Patrum Hiſtoricorumque non ſenſa tantummodo , ſed & verba de verbo expreſſa adinvenias : Patrum tantum, *ut cum D. Bernardo loquar ,* opponimus ſententias, ac verba proferimus , & non noſtra : nec enim ſapientiores ſumus , quam Pa-

(a) Lib. 2. de Ordine cap. 20.
(b) In Commonit. cap. 30. (c) Ibidem.

Lectori Benevolo.

NUnc primùm in lucem prodeunt, erudite Lector, hæc Commentaria in eum unicè finem exarata, ut videlicet Exorcista in sacro sui muneris exercitio luculenter instruatur, ac ministerium, quo fungi in votis habet, exactius opere valeat adimplere. Cum enim quamplures non sine animi molestia, viderim, qui Ritualis Romani, De Exorcizandis obsessis a dæmonio *aliqua documenta vel negligunt, vel contemnunt, vel etiam rejiciunt; imo, quod magis dolendum, in eam prorumpunt audaciam, ut quædam impugnare, quædam etiam iniqua, procacique censura notare non erubescant, eo prorsus despecto D. Ambrosii Mediolanensis effato:* Servemus præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausu rudi temeritate violemus. *(a) Ut horum insciticæ, vel ut mitius loquar, oscitationi occurram, præcipuè verò Tyrones Exorcistas, ne ejusmodi sequantur erroris exempla, sed Ecclesiæ Romanæ sanctiones sartas, tectasque conservent, quantum privato licet scriptori, commoneam, Opusculum hoc publici juris facere consultò decrevi.*

Verùm cum sæpe animo versarem, unde nam hoc vitii genus erumpere cœperit, ac germinare, ut idem radicitus plane convellerem, ea fortasse de causa ortum habuisse deprehendi, quod hujus indolis Exorcistæ minus caute putent, exigui momenti esse, nullove fundamento niti Ritualis in hac parte penè jacentis monita, eaque hac de re insulsissimè parvi pendant. Quapropter hæc Commentaria ex Sanctorum Patrum, & Ecclesiasticorum Scriptorum testimoniis, summa fide relatis, utcumque conficienda sum arbitratus. Si enim omnibus bona magna, & occulta

(a) Lib. 3. de Fide cap. 15.

culta discere cupientibus, non aperit nisi auctoritas januam, (a) *ut docet Magnus Augustinus, hac profecto ratione fieri posse judicavi, ut expulsis erroneis opinionibus, tandem aliquando cognoscerent, quo solido fundamento nitantur Institutiones a Romano Rituali Sacris Adjuratoribus prescripta, quave rursus veneratione, quave obedientia eis inviolabiliter parere teneantur. Non majorem idcirco (quod omnino absit) auctoritatem, supra eam, quam præfert Rituale, quamque a Romani Pontificis approbatione obtinuit, addere in animo est, sed dumtaxat, ut magis ipsa ejus eluceat auctoritas, eaque impostorum ab omnibus expressius dignoscatur.*

Neque verò hinc arbitreris velim, amice Lector, me injuriam vel levem Rituali Romani documentis inferre, ea Commentariis illustrando, quasi propria nativaque luce destituta, alieno indigeant, ac velut adscititio lumine coruscare; sicut enim fas est ut prisca Ecclesiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas est ut detruncentur, ut mutilentur, (b) *teste præstantissimo Vincentio Lirinensi; sic ea mihi monita collustrare licebit, ut* accipiant evidentiam, lucem distinctionem: *ita tamen ut simul* retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, *ut ejusdem Doctoris phrasi prosequar.* (c)

Multoque minus mirari debueris, si Patrum Historicorumque non sensa tantummodo, sed & verba de verbo expressa adinvenias: Patrum tantum, *ut cum D. Bernardo loquar,* opponimus sententias, ac verba proferimus, & non nostra: nec enim sapientiores sumus, quam Pa-

(a) Lib. 2. de Ordine cap. 20.
(b) In Commonit. cap. 30. (c) Ibidem.

Patrem nostrum: (a) *Quæ minime non inutilia, sed integra, atque adeo prolixiora; non propterea tamen inutilia, vel superflua fortasse peribeges: primum quidem, quia (nisi mea me fallit opinio) ad rem nostram, & ad præfixum scopum omnia ista directe tollimur. Deinde, quia sic per excussum retrò antiquorum sententias, ingenii tui perspicacitati novarum inde eliciendarum reflexionum uberiorem segetem suppeditabimus; atque ita fiet, ut quia meam fugerunt imbecillitatem, tua suppleat, Lector erudite, sagacitas, meusque labor tuo denique studio perficiatur.*

Quod si scribas obtrectator me vellicaret, quasi alitorum sententiis magis usus fuerim, quam propria condiderim, (b) *statim responderem cum Doctissimo atque, ac piissimo Præsule Rabano Mauro, qui hunc sibi a nonnullis oppositum lapidem amovit.* Quid enim peccavi in hoc, quod magistros Ecclesiæ veneratione dignos indicabam, & eorum sententias prout eas protulerant opportunis locis... in opusculis meis interposueram? Magis enim mihi videbatur salubre esse, ut humilitatem servans, Sanctorum Patrum Doctrinis inniterer, quàm per arrogantiam, quasi propriam laudem quærendo, mea indecenter proferrem.

Sed jam in nomine Domini, (c) *ut cum prælaudato Lirinensi concludam*, quod instat aggrediar, ut scilicet a majoribus tradita, & apud nos deposita describam Relatoris fide potius, quam auctoris præsumptione; hac tamen scribendi lege servata, ut nequaquam omnia, sed tantum necessaria quæque perstringam, neque id ornato, & exacto, sed facili, communique sermone. *Interim vale.*

R I-

(a) In Præf. Epist. seu tract. ad Hugon. de S. Victore.
(b) Præfat. in Ezechiel. ad Lothar. Imperat.
(c) Præfat. in Gomment.

RITUALIS ROMANI DOCUMENTA:

De exorcizandis obſeſſis a dæmonio Commentariis ex SS. Patribus, Eccleſiaſticiſque Scriptoribus potiſſimùm depromptis, illuſtrata.

TITULUS

De Exorcizandis obſeſſis a Dæmonio.

SUMMARIUM.

1. *EXorcizare, & Exorciſta quid ſignificent.*
2. *Adjuratio quid ſit.*
3. *Et quotuplex ſit.*
4. *Modi adjurandi quot ſint, & erga quæ ſint adhibendi.*
5. *Ex his unum P. Candidus Brognolus non obſervaſſe deprehenditur.*
6. *Enumerantur conditiones ad licitam exorcizationem requiſitæ.*
7. *Quinam, & quomodo adjurari poſſint, loquendo de rationalibus, uſque ad num. 9.*

10. Quomodo adjurari possint irrationales creaturæ, ostenditur.
11. Quidam modus improbatur: & num. 12.
13. Afferuntur methodi à Sanctis usurpatæ: usque ad num. 17.
18. Differentia inter obsessos, energumenos &c. assignatur.
19. Dari obsessos à Dæmonio ostenditur: & nu. 20.
21. Quare dentur obsessi, etiamsi Christus Diabolum vicerit, explicatur.
22. Dæmon vexat obsessos in corpore.
23. Gerendo etiam vices incubi, & succubi.
24. Quod fusè probatur auctoritate, & exemplis: usque ad num. 28.
29. Et explicatur quomodo id possit: ad nu. 33.
34. An, & quomodo ex Dæmone generari possit homo, indicatur.
35. Dæmon non potest illabi animæ obsessi:
36. Potest tamen operari circa intellectum, & ostenditur quomodo.
37. Et circa voluntatem;
38. Cui tamen nequit necessitatem inferre: & num. 39.
40. Possunt Dæmones operari circa memoriam energumeni.
41. Insuper possunt illudere sensibus, & explicatur quomodo id possint, usque ad num. 44.
45. Ad omnem Dæmonis impugnationem requiritur Divina permissio:
46. Et solum operari potest ubi, quando, & pro quanto Deus permiserit.
47. Quare Deus permittat Dæmones in homines grassari, non est facile decernere:
48. Tamen aliquæ causæ assignantur, nempe, primò, Deus id permittit ad obstinatorum damnationem;
49. Secundò, ad peccantium purgationem:

50. Ter-

50. *Tertiò, ad Fidelium probationem, & exercitationem:*
51. *Quartò ad gloriæ Dei manifeſtationem:*
52. *Quintò ad peccantium punitionem.*
53. *Enumerantur peccata, quæ Deus dæmonis obſeſſione punivit: uſque ad num.* 81.
82. *Interdum etiam ob peccata venialia permittit Deus homines a Dæmonio obſideri, & num.* 83.
84. *Imò ſic punit aliquando peccata aliena,*
85. *Et præcipuè in Filiis peccata Parentum.*
86. *Filii dæmoni traduntur ob Parentum imprecationes: uſque ad num.* 90.
91. *Aſſignantur rationes, quare Deus permittat infantes ſive baptizatos, ſive non baptizatos a Dæmone obſideri: & num.* 92.
93. *Indicatur neceſſitas prolixitatis hujus primi Commentarii.*

COMMENTARIUM.

De Exorcizandis.

I. CUM *exorcizare* nihil aliud ſit, ex D. Auguſtino Lib. de Vita Beata diſp. 2. dici: *quàm per Divina* Spiritum immundum *adjurando expellere*, & *Exorciſtæ ſic vocati* ſint *a poteſtate adjurandi, quia in Fide SS. Trinitatis Dæmones expellunt de corporibus obſeſſis*, ut inquit Stephanus Educenſis Epiſcopus, *de Sacramento Altaris cap.* 3. *in Biblioth. Veterum PP. Tom.* 20. de adjuratione hìc primo ſermo inſtituendus eſt, ut vis hujus vocis *Exorcizare*, ejuſque licitus uſus facile intelligatur.

II. Adjuratio itaque, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 90. *art.* 1. eſt ſub Divini nominis obteſtatione, vel invocatione quempiam

urgere ad aliquid faciendum, aut ab aliquo desistendum. Per hæc verba: *Sub Divini nominis invocatione*, intelligitur sive implicita, sive expressa invocatio; hæc secunda est, cùm apertissimè nomen Divinum usurpatur; prima verò cùm interponuntur Sancti, Sanctorumque merita, vel res aliquæ sacræ.

III. Duplex est adjuratio, alia solemnis, quæ fit ex forma ab Ecclesia instituta, & a Ministris ad id consecratis, de qua potissimùm hìc loquemur; alia privata, quæ à quibuslibet privatis hominibus exerceri potest.

IV. Similiter duplex est adjurandi modus, ex eodem Angelico Præceptore loc. cit. art. 2. *Unus per modum deprecationis, vel inductionis, ob reverentiam alicujus sacri; alius per modum compulsionis*. Exempla primi modi habemus in Epistola D. Pauli ad Rom. cap. 12. v. 1. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam &c.* Et in usu Ecclesiæ, quæ in Litaniis, & Orationibus contestatur Deum, ut per merita Christi, & Sanctorum ad postulata concedenda moveatur. Exemplum secundi modi habetur apud eundem Apostolum 2. ad Timotheum cap. 4. v. 1. *Per adventum ipsius* (nempe Christi) *& regnum ejus prædica verbum &c.* Modus deprecativus adhiberi potest erga sibi subditos, & non subditos (Dæmonibus exceptis) modus vero imperativus, seu Compulsionis, adhiberi nequit nisi erga sibi subditos.

V. Hanc regulam non observavit P. Candidus Brognolus, alias in hac materia versatissimus, qui *Tom. 1. Alexicacon. disp. 2. num. 361. pag. mihi* 192. postquam narravit, quod „ in „ quodam Conventu Fratrum *sui Ordinis* ma„ ne valdè diluculò, apparuit cuidam *religioso* „ qui-

„ quidam Sacerdos, alias ipsius condiscipulus, „ qui jam ante quinque menses in eodem Con- „ ventu e vita migraverat, qui super lectu- „ lum sedens, dixit illi, quòd Deum pro eo „ suppliciter exoraret, quia magnos patiebatur „ cruciatus; qui respondens ei dixit: quod eo „ mane libenter pro illo Sacrificium offerret, „ nisi pro alio Sacerdote jam nuper defuncto of- „ ferre teneretur: quo audito evanuit ab oculis „ ejus „ & statim idem P. Candidus subdit " „ quare sequenti nocte ex præcepto A. R. Mi- „ nistri Provincialis, qui tunc aderat, ego dor- „ mivi in illo cubiculo, sed ante dormitionem, „ facta oratione, per præcepta tribus vicibus „ intimavi in nomine Jesu Animæ illius defun- „ cti, si suffragiis indigebat, mihi appareret, „ & suam exponeret indigentiam, quam utique „ R. Provinciali patefacerem, qui statim omnia „ adimplere promiserat ..... Sed nec Anima cujus- „ libet mihi apparuit, ac dormivi securus &c. „ Aliud simile narrat *ibidem num.* 439. *pag. mihi* 242. At, quis ipsi constituit subditas animas defunctorum, ut per modum compulsionis, seu imperativo modo eas adjuraret? Quis ipsi dedit hanc facultatem, ut per præcepta eas exorcizaret? Audiatur D. Thomas, qui hujus modi detegit errorem *loco supra citato art.* 1. *in corp. Si aliquis*, inquit..... *alicui non sibi subdito, adjurando, necessitatem agendi aliquid imponere intendat*..... (ut fit per præcepta, seu imperativo modo) *talis adjuratio illicita est, quia usurpat potestatem in alium, quam non habet*. Hæc adnotata volui, ut Exorcistas in similibus cautos redderem.

VI. Quovis modo adjuratio fiat, tres, a Doctoribus, requiruntur conditiones, sicut in juramento, ut licita sit. Prima est *Veritas*, quæ

neceſſaria eſt ex parte rei conteſtatæ ; hoc eſt per veram Rem Sacram , non falſam ; tum ex parte adjurantis, ut ſcilicet procedat ex vero animo adjurandi ; tum ex parte cauſæ motivæ ad adjurationem , ne videlicet adjuratio fiat cauſa ficta, & falſa ; ſecunda Conditio eſt *Juſtitia*, ut nempe res poſtulata juſta ſit , & honeſta. Tertia tandem eſt *Judicium*, ut ſcilicet adjuraratio debita conſideratione fiat.

VII. His conditionibus poſitis, licitum eſt adjurare primo Deum ; quod conſtat tum ex uſu Eccleſiæ, tum ex ſacris Literis, in quibus legitur Moyſen, & alios adjuraſſe Deum propter ſemetipſum, propter Abraham, & alios Juſtos: Hæc tamen adjuratio potius obſecratio eſt dicenda. Secundò, licet adjurare Angelos Sanctos, nec non Beatos homines; ſed ſolum ſicut Deum, modo ſcilicet deprecativo, ut Eccleſiæ conſuetudo eſt, quæ petit a Deipara, ut per Filium ſuum, aut per Nativitatem, Conceptionem, Mortem ſuam, vel boni aliquid nobis impetret, vel ſua interceſſione mali quidpiam avertat, aut impediat. Tertiò dæmones adjurari poſſunt, non tamen modo deprecativo, *quia*, ut ait S. Th. 2. 2. qu. 90. art. 2. ille modus adjurandi *videtur ad quandam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones uti*. Quod antea docuerat D. Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei cap. 22. *vera pietate*, inquiens, *homines aeream poteſtatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, non placando*. Idque fundatur in illo Apoſtoli 1. Corinth. cap. 10. v. 20. *nolo enim vos ſocios fieri dæmonum*.

VIII. Solùm ergo adjurari dæmones licitè poſſunt modo imperativo, qui eſt per *compulſionem*, ut proſequitur S. Thomas, ſcilicet per *Virtutem Divini nominis tanquam inimicos repelle-*

pellere, ne nobis noceant spiritualiter, vel corporaliter secundùm potestatem divinam datam à Christo, secundùm illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

IX. Advertit tamen ibidem S. Doctor, non esse licitum dæmones adjurare etiam imperativo modo, sive per compulsionem *ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam, nisi forte & speciali instinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus, dæmonum operatione utantur.* Unde scitè circa hoc scripserat Origenes Homil. 16. in Num. *Non vult Deus auditores nos fieri, & discipulos dæmonum, neque vult, ut si quid volumus discere, discamus a dæmonibus: melius est enim ignorare, quam a dæmonibus discere.*

X. Quartò, irrationalis creatura potest adjurari secundùm regulam tamen, quam Angelicus Doctor tradit loco prælaudato art. 3. his verbis: *Adjuratio, qua quis utitur ad irrationalem creaturam potest intelligi dupliciter, uno modo, ut adjuratio referatur ad ipsam irrationalem creaturam secundum se, & sic vanum esset irrationalem creaturam adjurare. Alio modo, ut referatur ad eum, a quo irrationalis creatura agitur, & movetur, & sic dupliciter adjuratur irrationalis creatura. Uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directa, quod pertinet ad eos, qui divina invocatione miracula faciunt. Alio modo per modum compulsionis, quæ referatur ad diabolum, qui in nocumentum nostrum utitur irrationabilibus creaturis, & talis est modus in Ecclesiæ Exor-*

cismis, per quos damonum poteſtas excluditur ab irrationalibus creaturis. Videatur Rituale Romanum *de Benedictionibus* in Exorciſmis Salis, Aquæ, & Olei. *Adjurare autem damones ab eis auxilium implorando, non licet.*

XI. Hinc non licet adjurare locuſtas, mures, erucas, aliaque id generis animalia, conſtituendo Accuſatorem, Advocatum, Procuratorem, Judicem, qui ſententiam proferat tanquam ſi lis intentaretur, qui modus in quibuſdam libris legitur, & præſcribitur. Afferam hic formulam ſententiæ anno 1516. ab Officiali Diœceſis Trecenſis latæ in hæc animalia, quam refert P. Theophilus Raynaudus *tom.* 14. Tractatu, qui inſcribitur: *Monitorium Eccleſiaſticum Excommunicationum, cap.* 12. *num.* 2. „ In nomine Do„ mini. Amen. Viſa ſupplicatione, ſeu requeſta pro parte habitantium loci de Villanoxa „ Trecenſis Diœceſis, nobis Officiali Trecenſi in „ judicio facta adverſus brucos, ſeu Erucas, „ vel alia non diſſimilia animalia, Gallice *Hurebts* nuncupata, fructus vinearum ejusdem „ loci a certis annis, & adhuc hoc præſenti „ anno, ut fide dignorum teſtimonio, & quaſi publico rumore aſſeritur, cum maximo Incolarum loci, & viciniorum locorum incommodo depopulantia, ut prædicta animalia per nos „ moveantur, & remediis Eccleſiaſticis mediantibus compellantur à Territorio dicti loci abire: Viſisque, & diligenter inſpectis cauſis prædictæ ſupplicationis, ſeu requeſtæ, nec non „ pro parte dictarum Erucarum, ſeu animalium per certos conſiliarios eoſdem per nos „ deputatos, propoſitis, & allegatis; audito „ etiam ſuper præmiſſis Promotore, ac viſa certa informatione, & ordinatione noſtra per „ certum dictæ Curiæ Trecenſis Notarium de

„ damno

„ damno in vineis jam dicti loci, de Villanoxa
„ per dicta Animalia illato, quoniam hujuſmo-
„ di damno, niſi Divina ope ſuccurri poſſe exi-
„ ſtimatur, attenta prædictorum habitantium
„ humili, ac frequenti, & importuna requiſi-
„ tione, præſertim magna priſtinæ vitæ errata
„ emendandi per eoſdem habitantes edito ſpe-
„ ctaculo ſolemniter ſupplicationum nuper ex
„ noſtra ordinatione factarum, prompta exhi-
„ bitione; & ſicut miſericordia Dei peccatores
„ ad ſe cum humilitate revertentes non reſpuit,
„ ita ipſius Eccleſia eiſdem accurrentibus auxi-
„ lium, ſeu etiam ſolatium qualecunque de-
„ negare non debet: nos Officialis prædictus, in
„ re, quamquam nova, tam fortiter tamen ef-
„ flagitata, majorum veſtigiis inhærendo, pro
„ Tribunali ſedentes, ac Deum præ oculis ha-
„ bentes, in ejus miſericordia, ac pietate con-
„ fidentes, de peritorum conſilio noſtram ſen-
„ tentiam modo, qui ſequitur, in his ſcriptis fe-
„ rimus. In nomine Dei omnipotentis, Patris,
„ & Filii, & Spiritus ſancti, Beatiſſimæ Domi-
„ ni noſtri Jeſu Chriſti Genitricis Mariæ, aucto-
„ ritateque Beatorum Apoſtolorum Petri, &
„ Pauli, nec non ea qua fungimur in hac par-
„ te, prædictos Brucos, & Erucas, & Anima-
„ lia prædicta, quocunque nomine cenſeantur,
„ monemus in his ſcriptis ſub pœnis maledictio-
„ nis, & anathematizationis, ut infra ſex dies
„ a monitione in vim ſententiæ hujus a Vineis,
„ & Territoriis dicti loci de Villanoxa diſce-
„ dant nullum ulterius ibidem, nec alibi in
„ Diœceſi Trecenſi nocumentum præſtitura.
„ Quod ſi infra prædictos dies jam dicta anima-
„ lia huic noſtræ admonitioni nonparuerint
„ cum effectu, ipſis ſex diebus elapſis, virtu-
„ te, & auctoritate præfatis, illa in his ſcri-

ptis.

„ ptis anathematizamus, & eisdem maledici-
„ mus &c. „

XII. Non licet, inquam, his modis hujusmodi animalia adjurare, quia si hæ actiones ad ipsam creaturam irrationalem dirigantur, magna est vanitas, cum illa nihil horum percipiant. Si autem dirigantur ad dæmonem tanquam admotorem, quid attinet illum, vel defendere, vel accusare? Et licet interdum hoc modo sequatur effectus, hoc provenit non ex vi modi, sed vel ex orationibus, precibus, & Sacramentalibus, quæ aliquoties etiam dum quis hoc utitur modo, adhibentur: vel ex potestate dæmonum auferentium dicta animalia nocentia, ut hæc vana, & superstitiosa hominibus suadeant.

XIII. Fateor, hanc methodum me nunquam legisse a Sanctis viris observatam; (quamvis relatus Officialis Trecensis se *Majorum vestigiis inhærere* asserat) sed hujuscemodi animalia, vel Sanctorum reliquiis, vel sacris Exorcismis fugasse. De prima, tria referam exempla: unum sit, quod refert Anastasius Bibliothecarius in Vitis Romanorum Pontificum de Stephano VI. qui anno 885. evectus fuit ad Pontificatum. „ Cum
„ clades, inquit, locustarum, quæ Prædeces-
„ soris fuit, Adriani videlicet tempore, totam
„ patriam pene consumpserat, mala multiplicato
„ germine nasci cœpissent, & omnia repleviss ent,
„ misertus idem Sanctissimus Papa, afflicto Po-
„ pulo, primum quidem divulgavit, ut si quis de
„ eis unum sextarium caperet, & sibi attulis-
„ set, quinque, aut sex denarios ab eo perci-
„ peret. Hoc autem Populi audientes, cœperunt
„ huc, atque illuc discurrere, easque capere
„ & misericordissimo Patri ad emendum porta-
„ re. Sed cum illas tali argumento delere ne-
„ quisset, ad Domini misericordiam confugiens,

„ in

„ in Oratorium B. Gregorii, ubi ejus lectus ha-
„ betur, juxta Ecclesiam Principis Apostolo-
„ rum veniens, sese cum lacrymis in oratione
„ dedit, cumque diutius oraret, surrexit, &
„ aquam propriis manibus benedicens, Mansio-
„ nariis præcepit dicens: Tollite, & singulis di-
„ stribuite, monentes, ut in nomine Domini
„ agros suos circumeant, & hanc aquam spar-
„ gant per sata, & vineas petentes divinum sibi
„ suffragium, & subsidium. Quo facto, tan-
„ ta Omnipotentis Dei subsecuta est misericor-
„ dia, ut ubicunque ipsa aqua consperſa est,
„ nulla penitus locusta remaneret.

XIV. Alterum exemplum habemus apud Theodoretum, in religiosa Historia, de Sancto Aphraate, ubi legitur: „ Quod cum locustæ
„ aliquando regionem repentè invasissent, & in-
„ star ignis omnia consumerent segetes, arbores,
„ prata, & nemora, venit ad eum quidam vir
„ pius rogans, ut opem ferret, unum quidem
„ agrum habenti, ex eo autem, & se, & Uxo-
„ rem, & Filios, & Familiam alenti, & a quo
„ etiam imperatoria exigeretur collatio. Is er-
„ go.... Dominicam imitans benignitatem, jussit
„ ad se afferri congium aquæ. Postquam autem
„ aquæ congium attulit is, qui orabat, ei qui-
„ dem manum imposuit; Deum autem est pre-
„ catus, ut fluentum impleret divina virtute.
„ Deinde finita Oratione jussit, ut in prædii li-
„ mitibus aqua aspergeretur. Qui eam attule-
„ rat, fecit ut jussus fuerat, idque fuit illis
„ agris pro vallo sacrosancto, & inexpugnabi-
„ li: nam usque ad illos fines reptantes, &
„ circumvolantes locustæ instar exercitus, rur-
„ sus retrocesserunt, benedictionem impositam
„ extimescentes, & veluti quodam fræno suf-
„ focatæ, & ultra progredi prohibitæ.

XV. Ter-

XV. Tertium legitur in vita S. Theodori Archimandritæ a Gregorio Presbytero conscripta: „ Erat, inquit, hortus, quem magna locu-„ starum multitudo occuparat, & totum pro-„ pe devastarat. Hujus loci Dominus, cum „ B. Theodorum adesse intellexisset, proces-„ sit illi obviam, & ad pedes ejus prostra-„ tus, calamitatem in hortum suum locustis il-„ latam indicavit. Cui vir Sanctus: abi, inquit, „ Fili, & affer aquam in vase. Cucurrit ille, „ & è propinquo flumine attulit, quam Dei „ servus cum benedixisset dedit ei dicens: Hac „ aqua quatuor tui horti angulos consperge, „ & dabit tibi Dominus id, quod exoptas. Ad „ hortum reversus, homo, studiose fecit, quæ „ vir Sanctus præceperat. Cumque ad locum, „ quem primum aspersérat revertisset, ne unam „ quidem locustam reperit. Paulò post item „ invisens, omnes planè locustas deletas invenit.

XVI. De secundis verò, exemplum legitur in cap. 5. Vitæ S. Ursmari Episcopi, & Abbatis Lobiensis, penes Socios Bollandianos *die* 18. *Aprilis*: „ Sævissima pestis murium, radicitus sege-„ tes devastantium populabatur in omnibus con-„ finiis regionum illarum (*nempe Pagi Mosoma-„ gensis in Belgio*) decreverunt communi consi-„ lio, Sanctorum reliquias circumferre, si fortè „ meritis eorum mererentur conspectum Divi-„ næ Clementiæ. Circumtulerunt, nec spe fru-„ strati sunt: intra pauciſſimos enim dies omnis „ illa pestilentia ita est penitus sedata, ut nul-„ la ulterius regioni illi intulerit damna.

XVII. De tertiis, sacris scilicet Exorcismis, duo referre possumus exempla; primum desumptum ex Vita S. Bonifacii Episcopi Ferentini, apud Bollandianos Continuatores die 14. Maji, ubi legitur: „ quod quadam die ingressus hor-

„ tum

„ tum, magna hunc erucarum multitudine in-
„ venit eſſe coopertum, qui omne olus in eo
„ deperire conſpiciens, ad erucas converſus di-
„ xit: Adjuro vos in nomine Domini Jeſu Chri-
„ ſti, recedite hinc, atque hæc olera comede-
„ re nolite; quæ ſtatim ad Dei viri verbum,
„ ita omnes egreſſæ ſunt, ut ne una quidem
„ intra ſpatium horti remaneret. „ Secundum deſumitur ex vita S. Franciſci Solani cap. 4. apud prælaudatos Scriptores, die 24. Julii, ibi enim legitur: „ Quadam die locuſtarum nubes ca-
„ pitanei Andreæ de Onoiſa triticum invaſit. Vo-
„ catus in auxilium vir Dei, aſsumpta ſtola,
„ & factis de more exorciſmis, aqua luſtrali gra-
„ num aſperſit.... ſubito receſſerunt. „ Quare in ſimilibus ſic procedendum eſt ab Exorciſtis.

Obſeſſis a Dæmonio.

XVIII. HIc non intelliguntur illi, qui exterius tantum a dæmone vexantur; cum multi Sancti homines externam diaboli vexationem ſint paſſi, nec tamen obſeſſi dicendi ſint; ſed intelliguntur omnes illi, qui a dæmone interius poſſidentur, & hujuſmodi vocantur 1. *Dæmoniaci*, prout ſunt conſtituti ſub dæmonis poteſtate. 2. *Arreptitii*, quatenus a dæmone rapiuntur, ſeu arripiuntur. 3. *Pythonici*, ſeu *Pythones*, quando in corpore ſpiritum habent divinantem. 4. *Lunatici*, quatenus dumtaxat in punctis, vel creſcentis, vel decreſcentis Lunæ divexantur. 5. *Vexati* propter tormenta, quibus a dæmone afficiuntur. 6. *Maleficiati*, *facturati*, *maliati*, quando dæmones per maleficia, cooperantibus maleficis, corpora ſunt ingreſſi. 7. *Faſcinati*, quando vexati ad aliquid cogi videntur.

tur. 8. *Habentes infirmitatis Spiritum*, ob varias infirmitates a dæmone cauſatas. 9. Et quidem frequentius, nuncupantur græco vocabulo *Energumeni*, *quia interius laborant per vexationem dæmonis interius obſidentis, & animam laborare facientis*, procedit enim illud vocabulum ab *Ergon*, *quod eſt labor*, *& Mene quod eſt defectus*; *inde energia quaſi interior labor*, *vel interior defectus*, ut ait D. Bonaventura in 2. ſent. diſp. 8. part. 2. art. 2. quæſt. 6. Et brevius D. Th. 3. part. quæſt. 71. art. 2. ad 1. inquit: *Energumenos dici quaſi interius laborantes*, *ex intrinſeca diaboli operatione*. Aliqui diſtinguunt inter *Poſſeſſos*, & *Obſeſſos*, quaſi plus aliquid ſit poſſeſſum eſſe a dæmone, quam obſeſſum, ſed nos indifferenter utimur utroque vocabulo, ut ſimiliter, abſque ullo diſcrimine, utuntur Patres, ut notat Eſtius in 2. *diſp.* 8. §. 11.

XIX. Dari autem homines a dæmonio obſeſſos certiſſimum eſt, & conſtat ex Sacra Scriptura tum in veteri, tum in novo Teſtamento. In veteri quidem, nam Saul a malo ſpiritu, nempe dæmone, fuit vere obſeſſus, ut communis fert Patrum, & Interpetrum ſententia. In novo autem Matthæi 8. v. 28. habetur: *occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes ſævi nimis &c.* & v. 31. *Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos hinc*, *mitte nos in gregem porcorum*; & cap. 9. v. 32. legitur Chriſto oblatum fuiſſe *hominem mutum dæmonium habentem*; & cap. 17. v. 14. & 17. *Acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens: Domine miſerere filio meo*, *quia lunaticus eſt*, *& male patitur*; *nam ſæpe cadit in ignem*, *& crebrò in aquam.... & increpavit illum Jeſus*, *& exiit ab eo dæmonium*, *& curatus eſt puer ex illa hora*; & Marci 1. v. 23. *Et erat in*

Syna-

Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo a quo eum Chriſtus liberavit; & ibidem v. 32. *Afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes.* Et Lucæ c. 11. v. 14. *Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Et Actorum 16. dicitur, mulierem habuiſſe ſpiritum Pythonem, quem e puella ejecit D. Paulus. Et tandem *cap.* 19. *v.* 13. aſſeritur plures fuiſſe, *qui habebant ſpiritus malos.*

XX. Et quamvis aliqui increduli, præſertim ex Medicis (piis exceptis) agnoſcant tantum obſeſſos illos, de quibus in Scripturis Sanctis fit mentio, tamen ſi credunt tempore Chriſti hos extitiſſe, fateri etiam debent fore extituros futuris temporibus; ut enim ex divinis oraculis habetur, facta fuit a Salvatore ampla poteſtas Apoſtolis, atque Diſcipulis ejiciendi dæmones ab humanis corporibus: *Ecce,* inquit Chriſtus Lucæ 10. v. 9. *dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici;* & Matthæi 10. v. 1. *Et convocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum ut ejicerent eos..... dæmones ejicite.* Inſuper hæc ipſa poteſtas data fuit, ut futuris temporibus argumento eſſet ad probandam Chriſtianæ fidei veritatem: *Signa autem,* legitur Marci ultimo v. 17. *eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia ejicient.* Præſcripta tandem fuit etiam methodus contundendi Inferorum vires, nempe per Fidem, de qua infra in Commentario Document. XI. & ſeqq. per ſacras preces, & Jejunium: *Hoc autem genus,* inquit Dominus Matth. 17. v. 14. *dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione, & Jejunio.* Quæ omnia complexus eſt S. Antonius Abbas, referente D. Athanaſio in ejus vita his verbis: *precibus enim, & jejuniis, fideque in Dominum il-*

licò

Iciò ipsi cadunt, Dæmones nempe. Ex quibus apertissimè constat, etiam temporibus futuris dæmones multoties habituros esse hanc facultatem invadendi humana corpora, sicut revera invadunt, ut tum experimento, tum ex iis, quæ sparsim in his Commentariis referemus exemplis, clarissimè patebit.

XXI. Quomodo autem possit dæmon obsidere homines nunc, etiamsi Christus per suam Passionem, & mortem ipsum diabolum vicerit, quæ Victoria unus est ex præcipuis passionis, & effusi Sanguinis Jesus fructibus, juxta illud Joannis 12. v. 31. *Nunc judicium est Mundi, nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras*, optimè explicat D. Thomas in 3. distin. 19. quæst. 1. art. 2. his verbis: *Dicendum, quod potestas dæmonis in duobus consistit, scilicet in impugnando, & detinendo devictos. Ex eo autem quod quis impugnatur nondum servus factus est, sed ex eo, quod victus est*, ut patet 2. Petri 2. *Devicerat autem diabolus totum humanum genus in primis Parentibus, & eis dominabatur, dum eos ad hoc, secundum suum votum, deduxerat, ut nullus Paradisi januam introiret; devincit etiam unumquemque singulariter, dum eum ad peccatum inclinat, quia qui facit peccatum servus est peccati. Potestatem igitur diaboli, qua victos detinet, Christus per passionem ex toto amovit, quantum ad sufficientiam, licet non quantum ad efficientiam, nisi in illis, qui vim passionis suscipiunt per Fidem, Charitatem, & Sacramenta, & per hoc dicitur dominium diaboli evacuasse. Sed potestatem, qua impugnat, non ex tota evacuavit, sed debilitavit, dum ipsum hostem vicit, & hominibus auxilia multa ad resistendum tribuit, sicut Sacramenta, gratiam abundantiorem, & alia hujusmodi.* Hoc posteriùs optimè explicatum invenitur apud D. Gregorium

gorium Nyssenum orat. in diem Nativ. Christi! *Quemadmodum*, inquit, *cum serpentes interficiuntur, non continuò reliquas partes una cum capite mori videmus, sed cum interierit caput, illa tamen adhuc vitam retinent, nec vitali privantur motu: sic accidit in draconis interitu. Etenim ingens cum esset admodum fera, quippe, quæ singulis hominum ætatibus excreverat, qui multiplex ejus caput, id est vim illam malorum inventricem multa in se capita continentem sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, ut interfectæ feræ motum posteris ad exercitationis occasionem relinqueret.* Hinc stat optimè, quod Christus per suam Passionem homines a potestate diaboli liberaverit, & quod etiam nunc eos vexet, atque obsideat, cum dæmonis potestas circa impugnationem non in totum evacuata fuerit, sed tantum debilitata.

XXII. Quare hac impugnandi facultate dirè utitur ad homines vexandos, maximè verò obsessos tam circa corpus, quam circa animam, & quidem circa corpus extant exempla in sacris paginis. Job. cap. 2. v. 7. *Satan percussit eum ulcere pessimo a planta pedis, usque ad verticem ejus.* 1. Reg. cap. 16. Saulem divexabat per atram bilem: *Exagitabat eum spiritus nequam.* Viros Saræ *Tobiæ* 6. occidit; unde Tertullianus libro de Anima cap. 57. scripsit: *Pluribus notum est, dæmoniorum quoque opera, & immaturas, & atroces effici mortes, quos incursibus deputant.* In novo quoque Testamento. *Matth.* 17. *Marci* 9. *Lucæ* 9. dæmon unum hominem aurium, & linguæ usu privavit, ac simul epilepticum reddidit, quem Matthæus lunaticum vocat, non quod dæmoniacus non esset, sed quod a dæmone obsideretur, ac simul plenilunii temporibus per dæmonem comitiali morbo gravissimè affli-

geretur. Apud Lucam *cap.* 8. alium diabolus ita vexavit, ut domi nequiret contineri, & in deserta loca se proripiebat, & circa sepulcra oberrabat. Mulierem afflixit convulsione Spinæ dorsi. *Luc.* 13. quo loco dæmon ille vocatur: *Spiritus infirmitatis*. Tandem experientia satis docet, posse hunc teterrimum humani generis hostem omnes morbos, & infirmitates, Deo permittente, inducere. Quæ omnia paucis complexus est verbis D. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 16. *Immundus*, inquiens, *dæmon, si quam hominis Animam aggressus fuerit, (liberet autem ab hoc Dominus omnes animas tam præsentium hic, quam absentium) tanquam lupus sanguivorus paratus ad devorandum super ovem veniret: Saevissimus illius adventus, gravissimus sensus, tenebrosa mens efficitur, & insultus iniquus, & rapina possessionis alienæ. Corpore enim alieno tanquam proprio utitur violenter, membris alienis stantem jactitat, & alieno instrumento adstantes acclamat: depravat linguam, torquet labia, spumam pro verbis fundit, obtenebratur homo, apertus est oculus, & non videt per eum anima: gemit homo tremens ante mortem miserrimus. Verè hostes sunt hominum dæmones, turpiter illis abutentes, & absque misericordia.*

XXIII. Sed periculosior impugnatio illa sanè est, quâ dæmones in assumpto corpore vices Incubi cum mulieribus, & Succubi cum viris exercent, non quod *dæmones*, ut advertit D. Thomas 1. part. quæst 63. art. 2. ad 1. *delectentur in obscœnitatibus carnalium peccatorum, quasi ipsi afficiantur ad delectationes carnales, sed hoc totum ex invidia procedit, quia in peccatis hominum quibuscunque delectantur, in quantum sunt impedimento humani boni.* Quod & obser-

vat.

vat ſolemnis noſter Doctor Henricus Gandavenſis in Summa art. 41. q. 2. num. 11. *Angelica natura*, ait, *vel voluntas, nullo modo ordinatur ad vitium contrarium illi (ſcilicet Caſtitati) in ſe ſuſcipiendum cujuſmodi eſt Luxuria &c.*

XXIV. Dari autem hujuſmodi impugnationem teſtatur D. Auguſt. lib. 15. de Civitat. Dei cap. 23. *Creberrima*, inquit, *fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Sylvanos, & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, ac earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum. Et quoſdam dæmones, quos* Duſios *Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam, & tentare, & efficere plures, taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentiæ videatur.* Et D. Hieronymus, in Vita S. Pauli primi Eremitæ *num.* 10. refert tale reſponſum datum a dæmone S. Antonio adeunti ad Paulum: *Sum unus ex accolis Eremi, quos vario deluſa errore Gentilitas, Faunos, Satyroſque, & Incubos vocans, colit.* Tandem Beda lib. 3. in Lucam cap. 8. *Sed*, inquit, *& noſtri temporis Sacerdotes, qui per exorciſmi gratiam ejicere norunt, ſolent dicere patientes non aliter valent curari, niſi quantum ſapere poſſunt, omne quod ab immundis ſpiritibus..... pertulerint.... patenter exponant, & maximè quando, vel viris in ſpecie fœminea, vel in virili habitu fœminis apparentes, quos dæmones Galli* Duſios *vocant, infando miraculo Spiritus incorporei corporis humani concubitum petere ſe, ac patrare confingunt.... Quæ mendacio ſimillima res, ſed adeo vera, ut plurimorum eſt atteſtatione notiſſima.* Quibus omnibus addamus Innocentium VIII. Conſtitut. 1. *Summis deſiderantes*, quæ extat in Bullario Romano To-

mo 1. *Sane nuper*, inquit Pontifex, *ad noſtrum non ſine ingenti moleſtia pervenit auditum, quod.... Complures utriuſque ſexus perſonæ, propriæ Salutis immemores, & a Fide Catholica deviantes, cum dæmonibus Incubis, & Succubis abuti. &c.*

XXV. Quod confirmatur exemplis: Primum illud ſit, quod narrat D. Antoninus 2. *part. Hiſtor. tit.* 16. *cap.* 7. §. 5. ſcribens: „ Romæ tem-
„ poribus Henrici III. Imperatoris erat juvenis
„ quidam locuples, & nobilis, qui uxorem no-
„ viter duxerat, & ſodalibus ſuis convivium
„ frequens fecerat. Poſt cibum, iturus in Cam-
„ pum, ut luderet, interium annulum Spon-
„ ſalitium digito extenſo Statuæ Veneris erectæ,
„ quæ proxime aſtabat, compoſuit, & cum
„ primus ſe è luſu removit, repoſcenſque an-
„ nulum invenit Statuæ digitum uſque ad Vo-
„ lam curratum, diuque, ibi luctatus, nec
„ annulum eruere potuit, nec digitum frange-
„ re, tacitus diſcedens, rem celavit ſodalibus.
„ Nocte intempeſta cum famulo rediens, di-
„ gitum invenit extenſum, & annulum ſubre-
„ ptum. Diſſimulato damno ad nuptam rediit,
„ cumque ſe in lecto juxta eam collocaſſet ſen-
„ ſit quiddam nebuloſum, & denſum inter ſe,
„ & illam volutari, quod ſentiri quidem,
„ ſed videri non poterat. Hoc obſtaculo ab
„ amplexu prohibetur. Audivit & vocem dicen-
„ tem: mecum concumbe, quia hodie me de-
„ ſponſaſti: Ego ſum Venus, cujus digito im-
„ poſuiſti annulum illum, nec reddam. Ter-
„ ritus ille tanto prodigio, nihil referre auſus
„ eſt, vel potuit. Inſomnem duxit noctem illam
„ multum ſecum deliberans. Sic factum eſt per
„ multum tempus, ut quacunque hora cum
„ Sponſa concumbere vellet, illud idem ſentiret,
„ & audiret. Tandem uxoris querelis commoni-

tus

„ tus rem parentibus detulit. Illi autem habito „ conſilio cuidam rem pandunt: Is autem erat „ Nicromanticus, & in maleficiis potens, & „ Juvenis voti compos, ſine obſtaculo, poti„ tus eſt diu ſuſpiratis amoribus.

XXVI. Secundum ſit illud, quod legitur in Vita S. Bernardi *Lib. 2. cap. 6.* Auctore B. Arnoldo Bonævallenſi Abbate. „ Erat, *inquit*, „ miſera mulier, quæ a quodam petulante „ diabolo vexabatur. (Apparuit autem ei la„ ſcivus ille diabolus in ſpecie militis valde „ pulchri, & ei amorem ſuum, intus ſuggeſtio„ ne latenti, extra locutione blandienti ani„ mum ejus fallaciter inclinavit. Cumque mu„ lieris aſſenſum obtinuiſſet, expanſis brachiis, „ pedes ejus ſuper una manuum ſuarum po„ ſuit, altera verò manu caput ejus operuit, ſi„ bique eam fœderis hujus ſigno deſponſavit.) „ Abutebatur ergo ea, etiam in eodem lecto „ cubante marito inviſibiliter, impuriſſimus ille „ adulter,& incredibili vexabat libidine. Sex an„ nis tantum latuit malum „ a quo per Sanctum Abbatem Bernardum tandem liberata fuit.

XXVII. Tertium exemplum nobis præbet auctor vitæ Venerabilis Dionyſii Carthuſiani *cap.* 2. in Actis Sanctorum, Bollandianis relatæ die 12. Martii ubi legitur, quod quædam mulier infando fœdere dæmoni Incubo adſtricta tenebatur, quam deinde Servus Dei convertit. „ „ Itaque, *ait Auctor*, peſſimo huic Incubo mu„ lier facinoroſa diu ſociata *fuit*, ſed poſt in„ numera flagitia, poſt fœdiſſimas abominatio„ nes, poſt ſpurciſſima cum diabolo commercia, „ rupto ſacrilego fœdere ad divinæ clementiæ „ ſinum peccatrix lacrymabunda cucurrit.... „ de hac muliere Dionyſius in ſecundo, quem „ ſuper Sententias ſcripſit, libro, refert ſe vidiſ-

„ ſe cicatricem, unde ſanguinem ipſa, homa-
„ gium diabolo ſcriptura, eduxerat, &c.

XXVIII. Quartum tandem addamus deſumptum ex *Lib. 3. cap. 7.* Vitæ S. Joannis de Cruce Romæ per Petrum Ferri 1726. cuſæ occaſione ejus ſolemnis Canonizationis. En ejus verba, quæ hic latinè damus interpolata aliquantiſper, ut brevitati ſtudeamus: „ Biatiæ Urbis „ Andaluziæ dæmon cuidam puellæ ſe ſe in cor-„ pore eleganti videndum præbuit, creſcente „ adoleſcentulæ ætate, & ipſe dæmon creſce-„ bat, atque in ipſa vis creſcebat amoris: Cum „ ipſa ludebat, eamque puerilibus illecebris „ alliciebat. Cum ad uſum pervenit rationis, „ aſtutus amaſius ad eam dixit, ſe eſſe Chriſtum „ Mundi Salvatorem, qui ipſi ſoli ſe videndum „ exhibebat, tum ob ſingularem, quo ipſa „ proſequebatur amorem, tum quia per ipſam „ magna operari ob hominum ſalutem me-„ ditabatur: Et ut melius virus lateret, ei ſa-„ na dabat conſilia, atque ad virtutem ipſam „ hortabatur. Adoleſcentula hujuſmodi favo-„ res ſuis manifeſtabat Confeſſariis, ex qui-„ bus quamplures atque potiores, ejus vitam „ tunc potius virtutibus refertam conſideran-„ tes, hallucinati licet, ejus ſpiritum approba-„ runt. Interim cum dæmon ſuam pellicem „ intuitus fuiſſet in amore conſtantem, & ſu-„ perbia tumentem, de matrimonio ſecum con-„ trahendo ſermonem callide inſtituit, jubens „ ne deinceps aliquid Confeſſario ſuo revelaret, „ quia ipſe ſolus magiſter ejus eſſe ſtatuerat. „ Qualibet igitur nocte cum prædicta juvene „ conveniebat, execrandæ libidinis actus exer-„ cens. Ad Novitiatus interea annum inſtan-„ te Epiſcopo Ovingenſi in monaſterio Diſcal-„ ceatarum Biatiæ admiſſa fuit, ſed adhuc ſa-

cri-

„ cri legum commercium infelix proſequebatur.
„ Monitus itaque cœleſti lumine S. Joannes,
„ ad monaſterii Matrem literas dedit, quibus
„ ipſi jubebat, ut ſtatim Puellam illam è ſa-
„ crarum Virginum cœtu expelleret. Diſtulit
„ aliquando juſſa reſerata facere prædicta Ma-
„ ter, quæ Novitiæ commiſit, ut indicaret
„ cum ejus ſponſus ad eam inviſendam accede-
„ ret; at cum mandatis non obtemperaret,
„ quadam nocte evigilans mater, vidit, non
„ abſque ſuo ingenti horrore, adoleſcentulam
„ infeliciſſimè opprimi inter brachia terrifici
„ Æthiopis. Vocatis igitur, monitiſque Soro-
„ ribus eam e Monaſterio expulerunt, quæ po-
„ ſtea ſub poteſtate Sanctiſſimæ Inquiſitionis
„ perducta, publicè ſuis facinoribus debitas
„ pœnas luit.

XXIX. Quomodo autem hujuſmodi immunditia exercere poſſint dæmones, cum ſint puri ſpiritus, dicendum eſt, hoc agere in corporibus aſſumptis, efformando ſcilicet corpora, ex aere, qui *licet in ſua raritate manens*, ait S. Thomas 1. part. q. 51. art. 2. ad 3. *non retineat figuram, neque colorem, quando tamen condenſatur, & figurari, & colorari poteſt, ſicut patet in nubibus*. Hoc verificatur etiam de Angelis bonis; ex divinis enim literis conſtat, pluribus ſub ſpecie viſibili apparuiſſe, quod de Archangelo Gabriele expreſsè teſtatur Henricus noſter in Summa art. 1. q. 8. num. 10. his verbis: *Angelus in corpore ab ipſo formato docuit Mariam de Filii Dei Incarnatione*. Inſuper legitur eoſdem diſparuiſſe ſtatim ab intuentium oculis, quod evenire profectò non potuiſſet, ſi corpus aereum non aſſumpſiſſent. De Angelis malis ſimiliter in ſacris literis legimus ſub corporali ſpecie ſe videndos præbuiſſe; Geneſis autem *cap. 3.* nar-

ratur, dæmonem ſub ſpecie Serpentis apparuiſſe, & *Matthæi cap.* 4. ad Chriſtum tentandum viſibiliter acceſſiſſe.

XXX. Id quibuſdam illuſtratur exemplis ad lectorum levamen,& eruditionem. In vita Sancti Hervæi Abbatis *cap.* 1. penes Socios Antuerpienſes in Actis Sanctorum die 17. Junii legitur: „ „ Ex Cornubia rediens Hervæus, tranſivit per „ curiam Comitis Heleni, a quo magno gau- „ dio, & benevolentia exceptus, ipſi in aurem „ dixit: veni huc, ut te, tuoſque liberem a „ grandi, in quo verſamini, periculo; nam mi- „ hi revelavit Dominus, dæmonem ſub huma- „ na ſpecie in domo veſtra verſari, qui tibi in- „ ſtar famuli inſervit. Obſtupuit ad hæc Co- „ mes, ſed diſſimulans, nemini quidquam in- „ dicavit. Sternuntur menſæ, & accumbitur; „ potum Hervæus rogat: dæmon in Ephebi „ ſpecie vinum offert. Tunc Sanctus elevata „ manu, ſignum S. Crucis ſuper Calicem for- „ mat, qui diſrumpitur effuſo vino; hoc cum „ iterum, & tertio factum eſſet, ſtupente Co- „ mite, mirantibus cunctis, Sanctus apprehen- „ dit dæmonem, & invocato Dei Nomine, jubet „ eum declarare quis eſſet, & quem in finem „ domum hanc intraſſet. Sum, inquit, dæmon „ inferno egreſſus, qui ad crapulam, & gulam „ homines excito, ad iram, & diſcordiam, & „ rixam provoco; quandoquidem verò me invi- „ tum & frendentem licet, cogit divina potentia „ per ſanctum famulum ſuum hoc declarare, „ potum hunc ideo miſcueram, ut ſi ex eo bibiſ- „ ſetis, furore in invicem exardeſcentes, mutuis „ vulneribus hoc loco occubuiſſetis. Tunc San- „ ctus, Dei nomine præcipit, domum iſtam deſe- „ rere, nec amplius reverteretur. Ille juſſa facit „ clamans per aerem: Hervæe, Hervæe Serve

Dei

„ Dei, cur mihi tam crudele moves bellum?
„ Comes Helenus, videns ſe tanto periculo libe-
„ ratum, gratias egit Deo, & S. Hervæo, qui
„ reverſus eſt ad ſuum Monaſterium.

XXXI. In vita B. Joannis Parmenſis, Generalis Ordinis Minorum *cap.* 1. in actis Sanctorum Bollandianis relata *ad diem* 19. *Martii*, narratur, quod dum ſuum Ordinem viſitaret, noctu cum Sociis in ſylvis aberrans, Beata Virgine invocata, „ audierunt pulſari campanam, „ qua excitati.... ad vicinam pervenerunt Ab-„ batiam. Pulſato oſtio, præſto obviam fi-„ unt..... plures Monachi, qui prompti re-„ ceperunt hoſpites: ducunt ad ignem, la-„ vant pedes, exiccant veſtimenta, apponunt „ cœnam, & ſternunt lectos.... Poſt primam „ vigiliam ſurrexit Generalis ad Orationem, „ & audita campana, qua nocte ad Officium „ convocantur Monachi, ad Chorum cum ipſis „ venit, relictis Sociis, qui ſomno, & fatigatio-„ ne tenebantur. Officium incœpturus Hebdo-„ madarius, nec conſueta uſus eſt cæremonia, „ nec ordine, nec verſiculo: *Domine labia mea*, „ ſed abruptim, & cum turbatione incœpit ab „ illo verſiculo Pſal. 35. *Ibi ceciderunt, qui ope-„ rantur iniquitatem*. Reſpondit Chorus: *Ex-„ pulſi ſunt, nec potuerunt ſtare*. Tertiò id ipſum „ repetitum, quod ſuſpicionem ingeſſit Fratri „ Joanni. Præcepit igitur in virtute Paſſionis „ Chriſti, & Sanctiſſimi Nominis ejus ut, ocyus „ edicerent quinam eſſent? Reſpondit, qui Ab-„ batis loco videbatur præeſſe, omnes eſſe An-„ gelos tenebrarum, qui præcepto divino invi-„ ti eſsent miſſi ad miniſtrandum ipſi, & ſo-„ ciis, precibus, inquit Matris Dei, & illius „ Vexilliferi Patris veſtri. Quibus dictis totum „ evanuit, quod ibidem cernebatur. Se autem

cum

„ cum ſociis in nemoroſo antro, atque nuda
„ humo invenit Generalis. „

XXXII. Aliquando tamen dæmones aſsumunt corpora hominum vita functorum; & ad hoc oſtendendum ſimiliter alia duo afferemus exempla. Sit itaque primum illud, quod refertur in vita S. Gilduini Canonici Dolenſis in Britannia *cap.* 2. apud Bollandum in Actis Sanctorum *Tom.* 2. Januarii, *die* 27. quodque fuſiori calamo narratum non pigeat legere, cum me non piguerit tranſcribere. „ Sanctus Adole-
„ ſcens Gilduinus Tranſcenſis.... Alpibus, qua-
„ dam die cum veſpertina hoſpitandi hora jam
„ immineret, nec optimus ad hoſpitandum lo-
„ cus uſquam pateret, tandem incumbente jam
„ fere crepuſculo ad fluvium quemdam per-
„ veniens, videnſque ſecus littus tuguriuncu-
„ lam quamdam, ad eam cum ſuo comitatu di-
„ vertit, ibique ſibi, & ſuis corrogavit hoſpi-
„ tium, & accepit, in domo ſcilicet cujuſdam
„ plebeii viri, ſoliti volentes tranſire fluvium
„ navicula ſua tranſvectare. Tunc de victuali-
„ bus parandis ſolliciti famuli cum hoſpite Do-
„ mino domus agitare, & conſultare cœperunt;
„ quibus ille ait: neſcio quid vobis conſulere
„ poſſim; nam & locus iſte victualibus eſt pau-
„ perrimus, & hora jam tardior ad opulentum
„ victualibus locum, utpote longius remotum,
„ prohibet excurſum. Habeo tamen, inquit,
„ clientem unum curſorem velociſſimum, qui
„ vobis inde, ſi expectare velitis, citius neceſsa-
„ ria poſſit devectare. Vocatus ille, & expen-
„ ſis traditis miſsus, multoque velocius, quam
„ credi poſset, cum victualibus regreſsus, gran-
„ di de celeritate regreſſionis miraculo omnes
„ ſtupefecit, nam locus, ut dictum eſt, tam
„ longè remotior aberat, quam inde tam celer-

rimè

„ rimè quiſquam mortalium redire potuiſſet.
„ Audita res eſt a S. Gilduino, & multo amplius
„ & ipſe clientem illum cœpit habere ſuſpe-
„ ctum. Suſtinuit, cum aliis intentus curis,
„ haud dubium quin ſanctus ſanctis, donec,
„ ad refectionem paratam vocaretur. Cumque
„ jam pranſurus, ſive cœnaturus veniſset, &
„ hymno, ex more præmiſſo, appoſita cibaria
„ facto ſigno Crucis benedici a Deo, & ſancti-
„ ficari precaretur, ita ſunt in contrarium mu-
„ tata cibaria, ut venenata potius cadavera,
„ quam alimenta viderentur, adeo ut ranarum,
„ buſonum, & colubrorum ſpeciem haberent,
„ non alimentorum. Nam & vinum ipſum aquæ
„ lutoſæ ſimile eſt factum. Quæ videlicet for-
„ marum mutatio, cum & ipſi Sancto, & omni-
„ bus convivaturis tam execrabilis eſſet, quàm
„ horribilis, tunc jam ſuſpicio, quæ de veloci-
„ tate curſoris orta fuerat, facta eſt certitu-
„ do, ut jam non hominem miniſtrum illum ſci-
„ rent omnes eſſe, ſed dæmonem. Protinus eum
„ juſſit vocari Sanctus, & ad ſe adduci, ſed
„ ille venire recuſavit. Iterum, atque iterum
„ mandatus venire noluit, iraſcendo, & rixando
„ nihil ſibi, & illi commune eſſe vociferans.
„ Tunc demum in Nomine Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, & in virtute ſanctæ Obedientiæ juſ-
„ ſus venire, amplius morari non valens, de-
„ poſita omni terrifica vanitate iraſcentis, invi-
„ tus venit, & trepidus; nec mirum, ſi reus
„ in ſuis malitiis deprehenſus, Judicis præſen-
„ tiam pertimeſcebat, condignam in ſe laturi
„ ſententiam. Ecce, inquit, o crudeliſſime hoſtis,
„ & rabidiſſime inimice, quid te offenderamus,
„ ut nos occidere volens, venena iſta nobis pro
„ alimentis paraviſſes? Quid tantum de mali-
„ gniſſimis artibus tuis confidis, quod ſervos

Cru-

„ Crucis Christi destruere te præsumis? Sed
„ fatere, jam cunctis audientibus, & nomen
„ fallaciæ tuæ, & causam tam diuturnæ in hoc
„ loco remorationis. Tunc hostis, fatebor, in-
„ quit, licet invitus, quoniam Omnipotentis
„ Domini Jesu Christi virtuti, quæ in te est, cer-
„ tum habeo nihil posse celari. Nomen mihi as-
„ sumpseram Bernutionis, quia quasi homo
„ inter homines, accepta conversandi licentia,
„ non possem sine nomine dignosci. Causa ve-
„ rò assumpti corporis, vel in hoc loco diutius
„ remorandi, intentio mihi est exercenda ma-
„ lignitatis meæ. Oderam enim vehementer
„ virum istum, & ejus benignitati invidebam,
„ quod non tam causa lucrandi, quam subve-
„ niendi benevolentia, volentes fluvium istum
„ transire, navicula sua consuevit transvectare.
„ Quod ex quo facere consuevit, omnino impe-
„ divit malignitatem meam, quia transire vo-
„ lentes, sed nescientes rectam per vadum
„ viam nonnullos præfocabam, quorum ani-
„ mabus non bene ad migrandum præparatis,
„ plurimum nocebam. Propterea hoc mihi
„ corpus assumpsi, obtulique me huic homi-
„ ni serviturum, si quo forte modo insidiari pos-
„ sem vitæ illius, & saluti, & in eo, quem
„ frequentabat fluvio submergere prævalerem
„ eum, & suffocarem. Et unde, ait Sanctus, noce-
„ re ei non prævalebas? Ex eo, ait dæmon,
„ quod ingrediens fluvium semper & se, & totum
„ navigium suum, mihi prorsus contrario Cru-
„ cis signo, præmunibat, imo ad omnia, quæ
„ agenda incipiebat, eodem se muniens signo
„ insidias meas excludebat. Et unde, Sanctus,
„ corpus, quod gestas tibi assumpsisti? Cujus-
„ dam, inquit, scelerati fuit, & cujus arripue-
„ ram animam corpus mihi ad instrumen-

tum

„ tum fraudulentiarum, inſidiarumque uſurpa-
vi. (*Hic noto, Deum forte nunquam permittere ut diabolus aſſumat corpora hominum juſtorum vita functorum, quæ tandem poſt judicii diem in cœlum, eorum animabus unita, ſunt recipienda.*) Et Sanctus, ad hæc: benè, inquit, quod
„ fraudulentum, & inſidiatorem te eſſe profi-
„ teris, quodque malignitatem tuam pateſa-
„ ciens victorioſiſſimæ Crucis Chriſti virtutem,
„ & invitus prædicare compelleris. Vere, ait
„ dæmon, hoc facio invitus, quia tibi ſervo
„ Crucis Chriſti celare nihil valeo. Ea roboratus
„ virtute, vexilloque armatus, venena, quæ
„ tibi pro alimentis paraveram, evadere præ-
„ valuiſti, ſicque mihi nocendi in loco iſto vires,
„ & facultatem omnino auferre. Et S. Gilduinus
„ ait: Benedictus Dominus noſter Jeſus Chri-
„ ſtus Deus cujus Crucis victorioſiſſimam vir-
„ tutem, etiam victus per eam, invitus præ-
„ dicare cogitur inimicus. Sed jam ò cruentiſſi-
„ ma, & funeſtiſſima beſtia, tecum ſermonem
„ conferre diutius nolo. Mendax enim eſſe
„ probaris, & Pater mendacii adeo ut, ſi-
„ quando velis, nolis, veritatem loqueris, nun-
„ quam tamen niſi fallere intendis, Corpus ita-
„ que quod fallaciarum, inſidiarumque tua-
„ rum inſtrumentum aſsumpſeras, citius jam de-
„ pone, & vade ubi jam nulli Chriſtiano dein-
„ ceps valeas nocere. Protinus hoſtis teterri-
„ mus, horribili emiſso ululatu, receſſit, & in-
„ ſtrumentum diabolicæ malitiæ, corpus in me-
„ dio reliquit exanime. Juſſit Sanctus celerius
„ efferri corpus, & humo foſsa ubilibet oc-
„ cultari. „

XXXIII. Simile aliud factum legitur *Tom.* 1. noſtrorum Annalium *Centuria* 1. *cap.* 2. de S. Philippo Benitio „ Evenit, quod in quadam Civi-

tate

„ tate erat mulier, cujus conjux miles erat;
„ & ſocium veluti fratrem habebat; accidit,
„ inquam, ut his duobus viris in prælium....
„ eundum eſſet: qui cum in prælio diutius
„ dimicaſſent, in eo diem obierunt extremam...
„ Humani generis hoſtis, qui omnibus benefa-
„ cientibus obeſt, cum mulieris, tum etiam
„ Filii ſanctitatem cernens; ſtatuit ſocii extincti
„ mariti formam accipere, & cum ipſis mora-
„ ri.... Venit igitur, quaſi de militia rever-
„ ſus ad mulierem dicens: doleo equidem, &
„ vehementer angor, cum me tali fratre orba-
„ tum, te autem.... conjuge privatam videam,
„ qui in bello diem obiit. Quod cum mulier,
„ & Filius audiſſent, maximum gemitum, &
„ ejulatum emiſerunt. Quos diabolus blande
„ conſolatus ait, eos nolle pertimeſcere, ſe
„ marito morienti, Uxorem, & Filium ſibi
„ commendanti promiſiſſe, loco Patris uni,
„ conjugis alteri, futurum. Cum autem dia-
„ bolus cum muliere aliquot dies permanſiſ-
„ ſet;... puer qui prius bonus, & honeſtus
„ erat tunc peſſimus, (*dæmonis Societate*) &
„ inhoneſtiſſimus effectus eſt.... Quod videns
„ Mater, die quadam in Eccleſia ante Virginis
„ Imaginem proſtrata, ... illam deprecaba-
„ tur, ut ex tot tribulationibus, anguſtiiſque,
„ quibus erat circundata, liberare dignare-
„ tur.... Domum reverſa oſtium a quodam
„ viro pulſari audit.... domum ingreſsus, &
„ ſedens, cauſam doloris ejus expoſtulavit; cui
„ illa.... retineo domi hominem ſceleſtiſſimum,
„ viri mei ſocium, cui paulò ante in bello mor-
„ tem oppetere contigit, qui puerum mihi
„ olim bonum, probum, caſtum, in omnium
„ peſſimum commutavit. Cui vir: Miſereor,
„ ait, attamen facias in nomine Domini acceri-

ſiri

„ ſiri illum ad me.... At ille veniens, ſubi-
„ tò clamare cœpit: Cur me crucias Philippe?
„ Quare me vexas Philippe?.... Quem ille
„ talibus aggreditur: In nomine Dei, &
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti, adjuro te, ut
„ nobis dicas quis ſis, & cur huc adveneris?...
„ Inquit adjuratus: tibi dico, me eſſe diabo-
„ lum qui habitum, & formam ſocii viri iſtius
„ Mulieris aſsumpſi, ut ſi quando ſuam devo-
„ tionem dimiſiſset, eam cum puero interfice-
„ rem, ſed quia nunquam dimiſit, ideo nulla
„ mihi in eam poteſtas data eſt. Tunc B. Phi-
„ lippus, abi, inquit, ſpiritus nequiſſime, nec
„ deinceps aliquem hujus domus tentare præ-
„ ſumas. Quod audiens diabolus cum maxi-
„ mis tonitribus inferna loca petens, victus
„ abivit, & illic cadaver admodum fœtens re-
„ liquit. Quam rem proſpiciens mulier, maxi-
„ mas Deo, & inclytæ Matri Mariæ gratias
„ egit, & quo nomine appellaretur vir ille in-
„ terrogavit, cui ipſe: ego ſum ille Philippus,
„ cujus corpus in Tudertina Civitate ſepultum
„ eſt, ſervus Mariæ Virginis, quæ me ad te ei
„ in omnibus obſequentem miſit, ut te ab iſto
„ humanæ naturæ iniquiſſimo hoſte liberarem,
„ quibus dictis evanuit. „

XXXIV. An verò, & quomodo dæmonis incubi ope, (ut ad rem noſtram redeamus) in hujuſmodi corporibus aſſumptis generari poſſit aliquis verus homo, diſcendum eſt à D. Thoma, qui 1. par. q. 51. art. 3. ad 6. hæc habet: *Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum naſcuntur, hoc non eſt per ſemen ab eis deciſum, aut a corporibus aſſumptis, ſed per ſemen alicujus hominis ad hoc acceptum, utpote quod idem dæmon, qui eſt ſuccubus ad virum, fiat incubus ad mulierem, ſicut, & aliarum rerum ſemina*

aſſu-

assumunt ad aliquarum rerum generationem, (ut Augustinus dicit lib. 2. de Trinit.) *ut sic ille, qui nascitur non sit filius dæmonis, sed illius hominis, cujus erat semen acceptum*. Eodem modo loquitur in 2. Sent. *dist.* 8. *art.* 4. *q.* 1. & de potentia q. 6. art. 8. *ad* 5. ubi ad objecta respondet. Idem docet D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 44. *dub.* 5. Guillelmus Parisiensis 3. *part. de Universo cap.* 25. & Theologi communiter *in* 4. *Sententiarum*.

XXXV. Præterea oppugnare solet dæmon obsessos circa animam, quod animæ possit illabi, quia, ut ait Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, inter Augustini Opera, cap. 50. *Dæmones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione, & oppressione uniri: illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit, qui natura subsistens, incorporeus, capabilis est suæ factura*. Sed solum operando circa potentias. Quod clarius docet Venerab. Beda in Acta Apostolorum cap. 6. *Notandum*, inquit, *quod Animam, & mentem hominis nulla creatura juxta substantiam possit implere, sed creatrix sola Trinitas, quia tantummodo secundum operationem, & voluntatis instinctum animus de his, quæ creata sunt, impletur. Implet enim satanas mentem alicujus, & principale cordis, non quidem ingrediens in eum, & in sensum ejus, atque (ut ita dicam) aditum cordis introiens: siquidem hæc potestas solius divinitatis est, sed quasi callidus quidam, & nequam, ac fallax fraudolentusque deceptor, in eos animam humanam malitiæ affectus trahens per cogitationes, & incentiva vitiorum, quibus ipse plenus est*. Non ergo illabitur in substantiam animæ dæmon in obsessis, sed solum operatur circa potentias.

XXXVI.

XXXVI. Et primò quidem quoad intellectum; non quod poſſit operari circa ipſum interius movendo, ſed ſolum operando circa partem ſenſitivam interiorem, idque vel formas, ſeu ſpecies rerum ſenſibilium imaginativæ potentiæ præſentando per motum localem ſpirituum, vel humorum, *qui procurari poteſt a dæmonibus, ſive dormiant, ſive vigilent homines, & ſic ſequitur, quod homo aliquid imaginetur*; vel excitando aliquam paſſionem in appetitu ſenſitivo, & ſpiritus ac humores variis mediis commovendo, ex quibus ſequitur, quod intellectus apprehendat tanquam bonum id, quod revera malum eſt. Ita *D. Thomas* 1. 2. *q.* 80. *art.* 2. Quod prius innuerat Caſsianus collat. 7. cap. 12. *Et hoc fit*, inquit, *cum in illis membris, in quibus vigor animæ continetur, immundus ſpiritus inſidens, eiſque importabile, atque immenſum pondus imponens, obſcuritate teterrima intellectuales ejus obruit, & intercipit ſenſus, quod nonnunquam, etiam vini, febriſque vitio, ſeu nimii frigoris, aliiſque valetudinibus extrinſecus ſupervenientibus, videmus accidere.*

XXXVII. Secundò circa voluntatem; non quod poſsit ſimiliter phyſicè, & realiter eam movere interius in ea operando, vel actum ejus internum efficiendo, ut loquitur S. Doctor *loc. cit. art.* 1. Sed ſolum poteſt movere voluntatem per modum perſuadentis, & ut proponens appetibile. Quod ſic explicat Angelicus Doctor ibidem in corp. *Ex parte objecti poteſt intelligi, quod aliquid moveat voluntatem tripliciter: uno modo ipſum obiectum propoſitum, ſicut dicimus, quod cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum; alio modo, ille qui proponit, vel offert hujuſmodi objectum. Tertio modo ille, qui perſuadet objectum propoſitum habere rationem*

boni, quia, & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod est rationis bonum verum, vel apparens. Primò igitur modo res sensibiles exterius apparentes movent voluntatem hominis ad peccandum. Secundo autem, & tertio modo, vel diabolus, vel etiam homo potest incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi. Hoc modo intelligendi sunt Sancti Patres dum dicunt, quod *diabolus malignos effectus inspirat*, ut loquitur D. Augustt. lib. 4. de Trinit. cap. 12. Quod *diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet*, ut inquit D. Isidorus *de summo bono lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 42.*

XXXVIII. Quare voluntati nequit diabolus necessitatem inferre ad peccandum, ut colligitur ex allata Angelica Doctrina, & ex nostro Henrico Gandavensi *art. 25. q. 2. num. 30.* qui ait, quod diabolus est auctor peccati, *non efficiendo.....sed suadendo*. Et multò magis ex sacris litteris; nam 1. Petri cap. ultim. v. 8. dicitur: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in Fide;* ex Jacobi cap. 4. v. 7. *resistite diabolo, & fugiet a vobis*. Ex Apostolo ad Ephesios 6. v. 16. *In omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Frustra autem talia darentur monita, si homo ex necessitate succumberet diabolo ipsum tentanti; unde appositè scripsit D. Hieronymus in cap. 15. Matthæi: *diabolus adjutor, & incensor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest.*

XXXIX. Hæc obstat, quod arreptitii, seu obsessi blasphement interdum, & plures peccaminosos actus exerceant vel inviti; nam aliud est cogere ad actum, qui ex genere suo sit pec-

ca-

catum, aliud ad peccatum cogere. Primum poteſt dæmon, ita conturbando facultates interiores, ut liber uſus rationis penitus tollatur, ſicut teſtatur Caſsianus *collat.7. cap.*12. inquiens: *Quidam* (ſcilicet energumeni) *ſic afflantur, ut nequaquam ea, quæ gerunt, vel loquuntur, intelligant*, ſed tunc non cogit ad peccatum, quia deeſt arbitrii libertas, ſine qua nullum committi poteſt peccatum. Secundum nequit diabolus, cum non poſsit cogere ad actus objectivè malos, & per conſequens ad peccatum; quam doctrinam docuit Angelicus 1.2. quæſt.80. art.3. *Dicendum*, inquit, *quod diabolus propria virtute, niſi refrænetur a Deo, poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad faciendum aliquem actum, qui de ſuo genere peccatum eſt, non autem poteſt inducere neceſſitatem peccandi.*

XL. Tertiò circa memoriam; ſicut enim poteſt dæmon memoriam juvare, ejus organum adaptando, ut facilius recipiat, & firmius ſpecies retineat, vel motu locali noxia repellendo, vel juvantia applicando: ita poteſt modis contrariis plurimum debilitare, & tollere.

XLI. Tandem, poſſunt mali Angeli homines impugnare illudendo ſenſibus. *Doloſus ille*, inquit D. Athanaſius orat. 1. contra Arianos: *Variis, & falſis imaginibus rerum hominibus illudit, obrepens, & provocans unumquemque ad vitii ſui præcipitia.* Quod tripliciter contingere poteſt ex Seraphico Doctore in 2.diſt.8.par.2. quæſt. 3. cujus verba tranſcribo: *primò oſtendendo præſens, quod non eſt: quod quidem facit ſpecies offerendo, & poteſt intelligi ſic: Quando phantaſmata exiſtentia interius offeruntur forti oblatione ipſi virtuti interiori, vel virtus interior fortiter illis intenditur, ſimilitudo rei videtur eſſe veritas. Hoc manifeſtum eſt per na-*

turam, nam phrænetico, propter aſcenſum fumoſitatum ad cerebrum ex modica occaſione exteriori videtur ei, quod videat multa, quæ non ſunt ſibi præſentia, vel quod audiat. Similiter per fortem converſionem intentionis, phantaſma videtur veritas, ſicut exemplificat Auguſtinus in lib. de Trinitate, *quod quidam tanta converſione recogitabat cujusdam mulieris imaginem, quod ei carnaliter commiſceri videbatur etiam vigilando. Per hunc modum dæmon poteſt ſive intentionem ad imaginem convertere, ſive fumos aliquos immittendo ſpiritum animalem immutare, & phantaſmata diverſimodè variare, & intentioni offerre, & ſic diverſa homini facere apparere, & hoc modo utitur frequentiſſimè: & hujus ſignum eſt, quia nunquam facit hominem aliquid ſentire, cujus imaginem non habet in interiori organo virtutis imaginariæ; nunquam enim cœcos naturaliter facit ſomniare de coloribus, nec ſurdos de ſonis, nec eis talia repræſentat in vigilia, vel in ſomnis.*

XLII. Hunc modum admittit Henricus noſter, qui aliis quidem verbis, ſed eodem ſenſu loquitur conformiter ad Seraphicum Doctorem. Docet enim in Summa *art. 1. quæſt. 8. num.* 18. & 19. quod hoc poſſunt facere Angeli *per motum ſpirituum, & humorum in hominis phantaſtico, ordinando imagines exiſtentes in ipſo tali ordine, quo intellectus intelligere poſſit per ſpecies intelligibiles abſtractas ab eis, quæ nunquam, vel qualia nunquam intellexit, ſecundum quod de tali ordine facto imaginibus a natura aliquando videntur in ſomnis qualia nunquam fuerunt viſa in vigilia,* ut dicit *Philoſophus. Unde de tali potentia Angelorum* dicit Auguſtinus lib. 83. quæſtionum: *Dæmon ſerpit per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſonis, la-*

tet

tet in ira, in fallacia ſermonis, odoribus ſe ſubjicit, infundit ſaporibus, & oſtendit homini formas notas, & ignotas, ex quibus facit conceptus complexos, & incomplexos, quales nunquam prius conceperat. Intelligendum tamen, quod nullam formam per hoc poteſt repræſentare, cujus imaginem, aut ſpeciem extra ſenſum non perceperat, vel in toto, vel in parte, ſecundum quod dormientes ſomniant montes aureos, quod non poſſent facere, ſi nunquam ſeorſum vidiſſent montem, ſeorſum aurum.

XLIII. Secundò, oſtendendo aliquid aliter, quam eſt, & hoc poteſt contingere propter variationem aliquam ex parte organi; ſicut quando humor ſanguineus, vel vapor igneus deſcendit ad oculos videtur homini, quod ea, quæ exterius ſunt, ſint rubea; vel propter variationem aliquam ex parte objecti, ſicut contingit aliquando, quod ex poſitione candelæ factæ de ſerpentis pinguedine, & diſpoſitione palearum, videntur paleæ ſerpentes eſſe, operatione naturali. Simile eſt in aliquibus virtutibus quarumdam rerum mineralium. Et quia iſte modus, non latet dæmones, & ſunt miniſtri veloces, potentes quæ neceſſaria ſunt ad hæc ſtatim afferre, ideo ſenſus noſtros frequenter deludunt, oſtendentes rem aliter, quàm ſe habeat, apparere: quod quidem fit per variationem modicam inducendo eam circa organum, vel objectum, quæ quidem variatio non mutat formam, ſed ſolum eſt ex quadam accidentali adhærentia, & eſt ut paſſio, non paſſibilis qualitas.

XLIV. Tertiò illudere poteſt dæmon ſenſibus noſtris abſcondendo, quod præſens eſt, & hunc modum poſſumus ſic intelligere; Res ſiquidem, quæ præſto eſt, ſenſum noſtrum ſine viſibili obſtaculo poteſt dupliciter latere: aut quia impedi-

tur virtus ſenſus, ne perveniat ad ſenſibile, aut quia impeditur ſpecies ſenſibilis ne perveniat ad ſenſum, & utroque modo impeditur ſenſus, ne percipiat quod ſibi eſt præſto. Utrumque autem horum ſatis credendum eſt eſſe poſſibile virtuti dæmonis, & ideo dicitur poſſe facere per hanc viam ut hominem reddat inviſibilem, quod tamen certum non eſt: ſi tamen eſt, hac via poſſe fieri non eſt multum incredibile.

XLV. Non tamen hæc omnia ſupra enumerata, & multo plura alia exercere in hominibus, & præcipuè in obſeſſis, poſſunt dæmones pro libito, ſed requiritur divina permiſsio, ut apertiſsimè teſtantur Sancti Patres, & in primis D. Aug. lib. 2. contra Adverſarium legis cap. 12. *Videte ſanè*, inquit, *unde probare voluerit humanorum corporum vitia non ad Deum auctorem, ſed potius ad diabolum pertinere; quia Dominus ait in Evangelio de muliere, quam ſanam fecit, quod eam ſatanas alligaverat decem & octo annos, propter quod erat incurva, nec ſe erigere poterat; quaſi ſatanas cum habeat ſemper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam poſſit, niſi ab Omnipotente acceperit poteſtatem. Nam quid aliud, non ſolum in libro Tob..... ſed magis in ipſo Evangelio declaratum eſt, ubi ſpiritus immundi, nec in porcos irent, niſi hoc illis benignus ipſe Salvator petentibus, quos certè in abyſſum poſſet relegare, concederet: rem neceſſariam docere nos volens, ut ſcilicet noverimus, multo minus eos poſſe ſua poteſtate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuſcumque potuerunt.* Quod idem etiam docet de Magis, ac Maleficis lib. 3. de Trinit. c. 7. *Unde*, inquiens, *intelligi datur, nec ipſos quidem tranſgreſſores Angelos, & aereas poteſtates in imam iſtam caliginem, tanquam in ſui generis carcerem, ob illius ſublimis ethereæ pu-*

rita-

ritatis habitationem detruſas, per quas magicæ artes poſſunt quidquid poſſunt, valere aliquid niſi data deſuper poteſtate. Similia docet de dæmonibus lib. 18. de Civit. Dei cap. 18. *Firmiſſimè*, ait, *tamen credendum eſt, omnipotentem Deum omnia poſſe facere, quæ voluerit, ſive vindicando, ſive præſtando, nec dæmones aliquid operari ſecundum naturæ ſuæ potentiam, ... niſi quod ille permiſerit.* Eodem ſenſu loquuntur communiter alii SS. Patres, & præcipuè S. Joannes Chryſoſtomus homil. 13. in cap 6. Matth. circa finem: *Dæmones*, inquit, *neque mala præſtare poſſunt, niſi permiſerit Deus:* S. Joan. Damaſcenus lib. 2. de Fide orthodoxa cap. 4. ait: *nulla adverſus quemquam vim, ac poteſtatem habent* (dæmones) *niſi ea ipſius Dei conſilio, ac diſpenſatione concedatur; quemadmodum in Tob. ac porcis illis, de quibus in Evangelio mentio habetur.* Et D. Anſelmus in Elucidario: *Gregem porcorum intrare non potuerunt* (dæmones) *niſi permiſſi: quanto minus in homines? Formidari ergo non debet Satan*, ut cum D. Gregorio concludam, lib. 2. Moral. cap. 6. *qui nihil niſi permiſsus valet.*

XLVI. Imò etiam hac poteſtate accepta nequit uti diabolus pro libito ſuo, ſed ſolum ubi, quando, & pro quanto Deus permiſerit. Deus (inquit noſter Archiepiſcopus Avenionenſis Illuſtriſs. Capitonius *Explic. cathol. 27. part. 1.*) *dæmonum nocendi voluntatem compeſcit, nec tantum eos agere contra homines quantum vellent, permittit.* Væ enim hominibus, ſi pro libito ſævire in homines permitteretur, cum ex Tob. non ſit poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. Unde Auctor libri recognitionum, quæ S. Clementi tribuuntur, cap. 2. refert, dixiſſe S. Petrum: *Teſtatur Cœlum & terram, quod ſi quantum cupit inimicus deſævire permitteretur a Deo, olim om-*

nes homines deperiſſent, ſed miſericordiæ cauſa non ſinit Deus. Quare ſolum cum limitatione graſſari permittitur hoſtis, ut ſcribit D. Auguſt. *lib. 8. de Civit. Dei cap.* 24. verſus finem: *Nec tamen quodlibet .... niſi quando, & quantum permittuntur* (dæmones) *alta, & ſecreta Dei providentia poſsunt*. Et lib. 3. de Trinit. c. 8. *ſed nec .... mali* (Angeli) *hæc injuſte faciunt, niſi quantum juſte ipſe permiſerit*. Et S. Eucherius Lugdunenſis, ut cæteros Patres omittam, de ſpiritualibus formulis cap. 3. *Per Angelos malos*, ait, *immiſſiones adverſitatum, vel ægritudinum permiſſione Dei fiunt quando, & ubi voluerit*.

XLVII. Quare autem Deus permittat Angelos malos ſuam in homines malignitatem, licet ad menſuram, exercere, nobis præcisè latet, hoc unum ſolum innoteſcit, nunquam Deum id permittere, niſi juſtiſſimè. Audiatur D. Auguſt. qui loc. cit. ait: *Iniqui malitia voluntatem ſuam habet injuſtam, poteſtatem autem non niſi juſtè accepit*. Et lib. 18. de Civit. cap. 8. ait. *Firmiſſimè credendum eſt .... nec dæmones aliquid operari ſecundum naturæ ſuæ potentiam .... niſi quod ille permiſerit, cujus judicia occulta ſunt multa, injuſta nulla*. Et lib. 2. contra Adverſarium legis cap. 12. *Hanc autem poteſtatem Deus bonus occulta nobis juſtitia dare poteſt, injuſtè non poteſt*. D. Greg. lib. 2. Moral. c. 10. *Satanæ voluntas*, ſcribit, *ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas injuſta, quia a ſemetipſo voluntatem habet, ſed a Domino poteſtatem, quod enim ipſe facere inique appetit, hoc Deus non niſi juſtè permittit*.

XLVIII. Attamen licet judicia Dei ſint occulta, aliquas cauſas aſsignare licebit permiſſionis divinæ, ut dæmones homines obſideant, ac divexent. Primò enim interdum permittit Deus, ob obſtinatorum damnationem; legitur

enim

enim Pſalm. 77. v. 54. *miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem; immiſſiones per Angelos malos*, quod manifeſtum ſit in damnatis. Et D. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 8. ait: *Dæmones poteſtatem a Deo accipere aliquando ad malorum pœnam.*

XLIX. Secundò, interdum permittit ad peccantium purgationem, ut loquitur Joannes Gerſon de erroribus circa artem Magicam *dicto* 2. „ nam excommunicati dabantur ab initio „ Eccleſiæ ipſi Satanæ corporaliter vexandi, ut „ Spiritus ſalvus fieret, 1. *Cor.* 5. *v.* 5. Unus ex „ Sanctis Patribus magna prece obtinuit a Do„ mino, ut torqueretur a dæmone, quatenus „ careret elatione. „

L. Tertiò, interdum permittit Deus dæmonem vexare homines „ ad Fidelium probationem „ & exercitationem, ut manifeſtum fuit (*ait* „ *Joannes Gerſon loc. cit.*) in Job, Antonio, & „ Paulo ſecundùm quoſdam, cui *datus eſt Angelus Satanæ* 2. Cor. 12. v. 7. ſicut enim *neceſſe* „ *eſt* ſecundum eundem Apoſtolum, *hæreſes* „ *fieri*, *ut qui probati ſunt manifeſti fiant*, „ 1. Cor. 11. v. 19. ita fiunt ad hoc illuſiones ſi„ miles miraculis, quemadmodum perſpicuè poſitum eſt Deuter. 13. *Tentat*, inquit, *vos Do„ minus ſi ex toto corde diligatis eum*. Hæc „ cauſa noſtris temporibus magnum locum habet. „ Confirmo hoc totum ex D. Auguſtino, qui *lib. 3. de Trinit. cap. 7.* quærens, quare Deus Magis Ægyptiis mira facere permiſit, inter alias hanc aſſignat rationem *ad exercendam, probandam, manifeſtandamque Juſtorum patientiam.* Ex S. Joanne Chryſoſtomo, qui homil. 41. in Act. Apoſt. loquendo de Energumenis: *Illi quidem*, ait, *ex his, quæ graviter ferunt duplex lucrum reportant. Unum quidem, quod humi-*

lio-

liores, & modeſtiores fiunt, alterum, quod pœnas ſic ſuorum peccatorum dantes, puri ad Dominum migrant. Ex D. Anſelmo *lib.* 2. c. 28. *Elucidarii*, qui ait: *Aliquando viri Sancti corpus obſident* (dæmones) *ad coronam.* Ex D. Baſilio ſerm. quod Deus non ſit auctor malorum: *Ille ſapiens*, inquit, *& providentiſſimus rerum humanarum diſpenſator, ejus* (ſcilicet diaboli) *utitur ad noſtram exercitationem, malignitate, quemadmodum medicus viperæ veneno ad ſalutarem medicamentorum præparationem.* Et tandem ex Victore Antiocheno *ad cap.* 5. Marci in Blibioth. PP. tom. 4. qui ait: *Diabolum in hoc Mundo circumvagari ſinit*, (Deus) *non quod nobis male velit, ſed ne per adverſarii abſentiam, humana natura corona, hoc eſt obtenta victoriæ præmio ſpolietur.*

LI. Quartò" interdum permittit (*reaſſumit* „ *Gerſon loco ſupra laudato*) ad gloriæ Dei ma„ nifeſtationem, quæ poteſt eſſe cauſa talis ve„ xationis, ſicut in cœco nato *Jo:* 9. & in legio„ ne dæmonum, quæ porcos intravit, & ſub„ merſit, non ad porcorum punitionem, ſed „ ad potentiæ Chriſti manifeſtationem."

LII. Quintò, ad peccantium punitionem, ut cum eodem Gerſone proſequar" nam hoc patuit „ in Magdalena, quæ ſubjecta erat ſeptem dæmo„ niis, quia carnalibus vacabat vitiis, ſecundum „ Gloſsam." Et revera Magdalenam fuiſſe interius obſeſſam a dæmonibus teſtantur plures Patres, relati a Cornelio a Lapide *Comment. in Luc. c.* 8. quamvis alii, nomine ſeptem dæmoniorum, intelligant ſeptem vitia, penes eundem Cornelium *ibidem ſcit enim:* Inquit S. Maximus Abbas Conſtantinopolitanus Capitum œconomic. cent. 1. c. 83. in Bibliotth. PP. tom. 12. *ipſe Deus, qua ratione cum decenti, humana, & bona providentia diabolo*

bolo permittere ſolet per ſuos miniſtros de peccatis noſtris varia ſumere ſupplicia. Et Titus Boſtrenſis, ſive quiſquis alius ſit Auctor, *ad cap.* 13. Marci in Biblioth. prælaudata *tom.* 4. loquens de muliere illa, quæ habebat ſpiritum infirmitatis decem & octo annos. *Fieri autem poteſt*, inquit, *mulierem hanc ob gravia quædam flagitia, in quæ inciderat, tot annos a Deo deſertam, neglectamque fuiſſe*.

LIII. Quænam autem præcipuè peccata facilius januam dæmonis ingreſſui in corpus hominis aperiant, Deumque moveant ad ſimilem temporalem vindictam ſumendam, non eſt facile decernere, cum fere omnes vitiorum ſpecies hujuſmodi flagello Deus punierit. Tamen quædam certa peccata a Deo ſic punita hic enumerabo.

LIV. Primum ergo peccatum eſt *ſuperbia*, ob quam a dæmone correptos tres Monachos legimus in Vita S. Severini Noricorum Apoſtoli *cap.* 10. penes Bollandum, *die 8. Januarii*, hæc enim habet Auctor: „ quoſdam tres monachos „ ſui Monaſterii Doctor humilis ſuperbiæ fœdi„ tate reſperſos, dum pro ſuis ſingulos exceſ„ ſibus increpatos, durare in pernicie compro„ baſſet, oravit ut eos Dominus in adoptio„ nem recipiens filiorum, paterno dignaretur „ flagello corripere. Prius ergo, quam oratio„ nem effuſis lacrymis terminaret, uno momen„ to iidem monachi dæmone corripiente vexa„ ti, contumaciam ſuam, ac ſuperbiam cordis „ miſerabilibus vocibus fatebantur ..... Præ„ dictos itaque Monachos vir Dei delegatos, fra„ tribus per dies quadraginta arduis abſtinen„ tiæ remediis mancipavit, quibus expletis, „ data ſuper eos oratione, a poteſtate dæmo„ nis eruit, nec ſolum corporis ſanitatem, „ ſed & mentis impertiit. "

LV. Ex Superbia, ſeu Vanagloria procedunt tanquam ex matre *inobedientia*, *hypocriſis*, & *novitatum præſumptio*, quas inter alias ſuperbiæ filias enumerat D. Gregorius *lib.* 30. *Moralium cap.* 31. Ob inobedientiam ſancto Ephrem Syro præſtitam fuiſſe a dæmone correptum quandam illuſtrem virum, legitur in ejuſdem Sancti Vita *cap.* 3. penes Bollandum *in Actis Sanctorum die* 1. *Februarii*, ibidemque *die* 25. *Januarii cap.* 10. Vitæ S. Popponis Abbatis, quid ſimile pariter legitur.

LVI. De *hypocriſi* exemplum habemus in Actis Sanctorum Bollandianis referentibus *die* 24. *Julii*, in Vita S. Segolanæ viduæ, *cap* 3. „ quod, „ quidam Juvenis .... ſub profeſſione Monachi „ omnem humilitatem, atque innocentiam men„ titus acceſſit, (*ad Monaſterium*) habitavitque „ aliquandiu .... in communi cum Fratribus .... „ ſed exigentibus meritis, correptus a dæmone eſt.

LVII. *De novitatum præſumptione*, ex qua oriuntur hæreſes, legimus propter hoc vitium Clericum quendam a dæmonio arreptum in Vita S. Trudperti Eremitæ, & Martyris *cap.* 2. penes Bollandianos Continuatores *die* 26. *Aprilis*. Et de muliere in hæreſim relapſa narrat D. Cyprianus *Sermone de lapſis*. „ Alia, *inquit*, „ in balneis conſtituta, (hoc enim crimini ejus, „ & malis deerat, ut & ad balneos ſtatim per„ geret, quæ lavacri vitalis gratiam perdidiſ„ ſet) illic ab immundo ſpiritu immunda cor„ repta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua „ fuerat vel paſta impiè, vel locuta. Poſtquam „ ſceleratus cibus ſumptus eſt, (*nempe idolothi„ tum*) in perniciem ſuam rabies oris armata „ eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſ„ ſe poſtmodum potuit; doloribus ventris, & „ viſcerum cruciata, defecit. „ Hæc Cypria-

nus,

nus, qui & *Epiſt. 76.* verſus finem loquens de iis, qui per apoſtaſiam exciderunt a Fide, ait: *Sæpe nonnulli de illis, qui ſani baptizantur, ſi poſtmodum peccare cœperint, ſpiritu immundo redeunte quatiuntur, ut manifeſtum ſit, diabolum in Baptiſmo fide credentis excludi; ſi fides poſtmodum defecerit, regredi.*

LVIII. Secundum eſt *Avaritia*, quæ ex Sanct. Thoma 2. 2. q. 118. art. 1. *eſt immoderatus amor habendi; ſeu immoderatus amor divitiarum*, & ob quam opulentum ſutorem fuiſſe a dæmone furioſo occupatum, legitur in Vita S. Marci Epiſcopi Lucerini *cap. 3. die 14. Junii.*

LIX. Inter alias peſſimas filias, quæ ex hac perniciosiſſima matre naſcuntur, numerantur a Magno Gregorio. lib. 31. Moral. cap. 3. *fraus, & contra miſericordiam obduratio*. Primæ ad rem noſtram, exemplum dant quatuor germani fratres Aretini, qui a dæmonio poſſeſſi „ cum ſa-
„ cerdos cauſam ingreſſus illorum dæmonum
„ ab eo dæmone, qui primus erat, inquireret, in-
„ quit ille: Hos quatuor Fratres, ſcias dolo in
„ alterius quandam poſſeſſionem deveniſſe, eam-
„ que fraudibus quibuſdam, & cavillationibus
„ ſibi vindicaſſe, & jus denegaſſe alterius, ſuum-
„ que ratum, & firmum, ut rectum habe-
„ ri voluiſſe, & ex tunc pro ſua quiſque vi cer-
„ tare, ne his quibus jure hæreditario fundus
„ conveniret, redderetur. Quo circa in has mi-
„ ſerias, & ærumnas divino Numine præcipi-
„ tari. Qui ni prius ſupplices culpam fatean-
„ tur ſuam, & agrum, quem ſibi fraude vin-
„ dicavere, propriis reſtituant dominis, & ut
„ jura divina, & humana petunt, jurejurando
„ confirmaverint, ſeu vades dederint, ſe vel
„ male ablata ex tunc reſtituere, vel in concor-
„ diam devenire, mihi credite, nos pro tempo-

re

„ re.... locum Deo daturos. Verum paulò poſt
„ in eos.... iterum redituros ut acrioribus eos
„ afficiamus tormentis, dubitet nemo.... ve-
„ rum.... cum dæmoni fides nulla dare-
„ tur.... Sacerdos, quàm occultè potuit, de-
„ dit operam.... rem quam maximè manife-
„ ſtatam habere.... Cauſa itaque, uti dæmon
„ dixerat ita, eſse cognita, eos durè ſeorſum
„ Presbyter monachus ſeveris verbis increpare,
„ caſtigare imprimis, deinde blande monere,
„ ut deinceps caverent..... rebus itaque dili-
„ genter, ut Sacerdoti Monacho placuerat,
„ confirmatis.... unus, inde alter, poſt ter-
„ tius, demum quartus adeo facillimè in bo-
„ nam valetudinem rediere, ut de ſe omni-
„ bus, qui aderant admirationem non parvam
„ exhiberent." Ita legitur in Vita S. Joannis Gualberti *part. 6. de Miraculis* penes Acta Sanctorum Bollandiana *die* 12. *Julii*.

LX. De *obdurationa* verò *contra Miſericordiam*, exemplum nobis præbet Auctor ejuſdem Vitæ, *ibidem part. 16.* ſcribens: " Figulus
„ quidam, ... cùm ſuam peſſimè vitam inſti-
„ tuiſſet, a dæmone obſeſſus eſt; nam, ut alia
„ ſua male facta omittam, expertem etiam ali-
„ cujus minimæ miſericordiæ a viris fide dignis
„ accepimus, adeo ut inopes domum ſuam prò
„ alimonia petentes, virgis, convitiiſque, &
„ contumelioſis verbis inſectans, procul eſſe coge-
„ ret. Si quis in petendo, ut eis mos eſt, importu-
„ nior, procaciorve extitiſſet, baculo petere,
„ ita ut, qui ſemel domum adierat ſuam, am-
„ plius non rediret. Hunc magis ſibi, quam
„ aliis immitem, & crudelem, dæmon peſſimus
„ divino judicio invaſit."

LXI. Ad avaritiam facilè reduci poteſt *furtum* cum ſimplex, tum ſacrilegum. De utroque

que exempla habemus penes Bollandianos de primo, in Vita S. Ebrulfi Abbatis 2. *Julii*, & S. Victoris Presbyteri *cap.* 1. 26. *Februarii*; de ſecundo in Appendice *lib.* 2. S. Landoaldi Archiepiſcopi 19. *Martii*, & in Vita S. Severini Noricorum Apoſtoli *cap.* 12. 8. *Januarii*, & alibi ſæpe.

LXII. Hoc ſolum advertere non omittam, quod etiamſi non omnes avari dæmoni tradantur corporaliter vexandi, tamen ita iſto avaritiæ ſpiritu agitantur, ut dæmoniacis omnino ſimiles, imo pejores eſſe elegantiſſimè demonſtret S. Joannes Chryſoſtomus homil. 29. in Matth. inquiens: *Quid enim miſerius avaro? Nam dæmoniacus, etſi homines contempſerit, verbo tamen Chriſti abactis dæmonibus liberatus eſt: Pecuniæ autem ſervus Chriſto non auſcultat. Nam etſi quotidie Chriſtum audit prædicantem: Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ; etſi gehennæ terror incutitur, ac Inferni pœnæ imminere dicuntur, non credit tamen Chriſti verbo .... Qui mentis compos cum hujuſmodi hominibus converſabitur? Nam, mea quidem ſententia, cum mille dæmoniacis habitandum potius eſſet, quam cum uno, qui hoc morbo laboraret. Nam æris quidem avidi, etiam innocuos, niſi utiles ſibi ſint, inimicos ducunt, & liberum hominem ſi poſſent, libenter in ſervitutem ſuam redigerent, eumque mille implicarent malis. Dæmoniaci verò nihil hujuſmodi faciunt, ſed ipſi ſoli ſuo malo laborant. Et illi quidem multas domos evertunt, nomenque Dei propter ipſos blaſphemare faciunt ..... dæmonibus autem exagitati, lacrymas nobis ita movent, ut eorum facilè miſereamur, & iſti non ſentiunt plerumque quod agunt; illi præmeditati, omnia faciunt in mediis urbibus bacchantes, ac novam inſanientes inſaniam. Quando*

do enim omnes simul dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Judas solum commisit, qui ad extremam iniquitatem, turpi pecuniarum ardore, devectus est, pariterque omnes qui avaritiam illius imitantur? .... & vincula quidem etiam his undique injecta sunt. Judicii timor, legum terror, multorum odia: sed his ruptis omnia perturbant: quod si quis hos nexus omnino ab iis auferret, tunc videres pejores hos dæmone, quam dæmoniacos, ac fortiore vexari.

LXIII. Hoc idem paulò ante docuerat de peccato luxuriæ; infectos enim hoc vitio comparat cum obsessis illis, qui ex *Matthæi cap.* 8. erant sævi nimis, ac in monumentis habitabant. *Hæc si altius consideras*, inquit, *etiam nunc fieri videbis, multosque invenies in sepulchris dæmoniacos, quos ab infantia sua non ferrum, non catenæ, non multitudo hominum, non exhortatio, non terror, non minæ, non aliud quid hujusmodi adducere potest. Quid enim luxuria correptus, atque petulans, qui omnem corporis formam hiscit a dæmonio differre? non videtur nudus ambulare, sed corporeis quidem vestibus amictus est. Veris autem vestimentis privatus; ea quæ ipsum decet, gloria nudatus est, non lapidibus se ipsum cædit, sed sceleribus, quæ lapidibus duriora, asperioraque sunt. Quis igitur hunc hominem ligare poterit? Quis eum a petulantia removebit? Quis ei persuadebit, ut lasciviam aspernetur? quò fit, ut nunquam sit in seipso, sed semper in sepulchris versetur. Sepulcra enim profectò sunt meretricum diversoria, multo fœtore, multa putredine, multa immunditia repleta.* Hæc Chrysostomus: sed hoc non obstante, hujusmodi peccatum Deus vera diaboli vexatione punit. Quare.

LXIV. Ter-

LXIV. Tertium eſt *Luxuria*. Hinc Paſchaſius Ratbertus *lib.* 5. in *Evangel. Matth. in Biblioth. PP. tom.* 4. ait: *Tunc eis* (ſcilicet dæmonibus) *permittitur ut poſſideant, cum extranei* (homines) *a Deo per immunditiam digni tali manſore fiunt*. Ob hanc, quidam Monachus correptus a dæmone legitur in Vita S. Palæmonis Anachoretæ *cap.* 2. *die* 11. *Januarii*. Item in Hiſtoria translationis, & revelationis S. Medaſti *part.* 2. 6. *Februarii* narratur, quendam factum energumenum ob peccata luxuriæ. Præterea in Hiſtoria miraculorum S. Martialis Epiſcopi Lemovicenſis §. 4. 30. *Junii* legitur: „ quod quidam miles juvenis corpore, qui diù „ vixerat impudicè, a malignis ſpiritibus vexa„ batur.... ad Eccleſiam S. Martialis adduci„ tur.... & vox dæmonum terribilis in Eccle„ ſia auditur: quare Martialis....carnem luxurioſam defendis? „ & tandem liberatus fuit.

LXV. Inſuper *ob inceſtum*. Nam D. Paulus Corinthium quendam inceſtuoſum ſatanæ tradidit, ut habemus 1. ad Cor. c. 5. v. 1. & ſeqq. *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem Patris ſui aliquis habeat.... ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.... tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Præterea *ob adulterium*: " erat Filius, qui rem habue„ rat cum muliere conjugata, cumque do„ mo ejus egrederetur, nemine ipſum vi„ dente, a dæmone eſt obſeſſus." Quem deinde S. Simeon Salus liberavit, ut in ejus Vita *cap.* 5. legitur apud PP. Bollandianos *die* 1. *Julii*.

LXVI. Rursus *ob desiderium* libidinis explendæ: quod clarum fit exmplo in Vita S. Irenes Virginis *cap.* 6. relato, penes socios Antuerpienses *die* 28. *Julii*: " Qui monasterii (*inquit* „ *Auctor*) vineam in vico ejusdem monasterii „ sitam, mercenarius excolebat, ætate juve„ nem, ac libidine effrænem (Nicolao ipsi no„ men erat) ad amorem illarum, quæ mona„ sticam ibidem vitam profitebantur, malignus „ spiritus accendit, & jam victus, atque impu„ ra cupiditate plenus, noctes totas circui„ bat Monasterii ambitum, unde ingressus sibi „ intro ut pateret, & ut cum illa, quam de„ peribat concumberet, operam dedit multo di„ ligentissimam .... hæc dum exequi meditaba„ tur, in terram allisus fuit, & in luto volutatus, spumam expuebat ex ore, & patieba„ tur omnia, quæ patiuntur illi, qui a dæ„ monio vexantur," qui tandem juvenis liberatus est, abigente S. Irene ab eo dæmonium.

LXVII. Item *ob curiosam, minusque castam proprii* corporis inspectionem, pulchritudinisque propriæ vanitatem, & complacentiam, ut legitur de illa muliere, quæ" corpus suum ni„ miæ dedit voluptati, propter quod fuit tra„ dita dæmonum potestati." In Vita S. Deodati Episc. Nolani in Julio Bollandiano *die* 2. & de alia, de qua S. Prosper, sive quicunque sit auctor *lib.* 1. *de Promissionibus, & Prædictionibus Dei*, qui inscribitur *Dimidium temporis cap.* 6. scribit: " Quædam Juvencula Araba na„ tione, ancillæ Dei habitum gestans, cum in „ balneo lavans simulachrum quoddam Vene„ ris impudicè respiceret, & se ipsam, ei„ que se consimilans domicilium se diabolo „ præbuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit,

quem

„ quem quærebat invenit: meatus igitur guttu-
„ ris ipſius occupans &c."

LXVIII. Et quoniam de balneis ſermo eſt, non inutile erit hic adnotare, quod quamvis ad publica balnea fœminæ accederent, ita tamen, ut ſeorſum lavarentur a viris, nihilominus neque id probatur a ſanctis in virginibus, eo quod ut puritas, & candor virginalis aliquo modo inficeretur, maginum periculum immineret; nam D. Hieronymus *Epiſt. 7. ad Lætam* ait: *Mihi omnino in adulta Virgine lavacra diſplicent, quæ ſe ipſam debet erubeſcere, & nudam videre non poſſe.* Et ad Ruſticum *Epiſt. 4. Balnearum fomenta*, inquit, *non quærat, qui calorem corporis jejuniorum cupit frigore extinguere*, & hinc laudat Paulam in ejus epitaphio, ſive *Epiſt. 27.* ad Euſtochium, quod cum aliis Monialibus degens, balneis nunquam ſit uſa, niſi periclitans, & neceſſitate coacta: *Balnea*, ait, *niſi periclitans non adiit*; & rectè quidem, nam ſicut theatra loca eſſe ſolerent, ubi pravus dæmon inſideret, ita & balnea, ut ex Tertulliano *Lib. de Spectaculis* notat Baron. *ad annum 713. num.* 11. Quare nil mirum ſi tantum ob ſimplex balnei lavacrum Deus homines obſideri permitteret.

LXIX. Imò *ob conjugalem intemperantiam*, ob quam Aſmodæus ſeptem Saræ ſponſos interfecit; nam Angelus Raphael, ut Tobiam Juniorem metuentem ne ſi duceret Saram, ipſi eadem evenirent, conſolaretur. *Dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacant ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos....*

Tu autem amore filiorum magis, quam libidine ductus &c. Tob.6. v. 16: 17. & 22. Ob hanc incontinentiam conjugalem, arreptam a dæmonio mulierem, narrat D. Gregorius *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 10. his verbis: " Matrona quædam „ nobilis in vicinis partibus Tusciæ nurum ha„ bebat, quæ intra breve tempus, quo filium „ ejus acceperat, cum eadem socru sua ad de„ dicationem Oratorii B. Sebastiani Martyris „ fuerat invitata. Nocte verò eadem, qua sub„ sequente die ad dedicationem prædicti Ora„ torii fuerat processura, voluptate carnis de„ victa, a viro suo se se abstinere non potuit, „ cumque, manè facto, conscientiam deterre„ ret perpetrata carnis delectatio, Processio„ nem verò imperaret verecundia, plus eru„ bescens vultum hominum, quam Dei judi„ cium metuens, cum socru sua ad Dedica„ tionem Oratorii processit. Mox verò, ut „ reliquiæ S. Sebastiani Martyris Oratorium in„ gressæ sunt, eandem prædictæ Matronæ „ nurum malignus spiritus arripuit, & co„ ram omni populo vexare cœpit." Advertè tamen cum D. Thoma in 4. dist. 32. q. 1. art. 5. quæstiun. 2. ad 1. *quod non fuit punita Mulier illa propter hoc, quod debitum reddidit*; (Vel petiit, addo ego, conformius ad Historiam.) *sed quia postmodum se temerè ad Divina ingessit contra conscientiam.* Hanc autem conscientiam peccati faciebat forte consilium, quod legitur 2. p. *Decreti*, causa 33. q. 4. cap. 5. *Christiano cum Uxore sua convenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim Processionis aliquando non licet convenire: quia etiam a liceitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit, quod postulatur.*

LXX. Tandem dæmon ingreditur ob *animi*

dis-

diſſolutionem, nam inter choreas puellam fuiſſe a diabolo arreptam, legitur in Vita B. Ambroſii Sanſedonii *cap.* 19. 20. *Martii*.

LXXI. Quartum eſt *invidiæ* peccatum, ob quod Saul a ſpiritu malo vexabatur, ut habetur 1. *Regum cap.* 18. v. 3n. Porro ex hoc, tanquam ex radice, *detractio*, & *calumnia* pullulant, propter quas plures a dæmone fuiſſe correptos legimus. Sic in ſecunda Vita S. Domitiani Epiſcopi Trajectenſis *cap.* 3. *die* 7. *Maii*. " „ Quidam, Engelbertus nomine, cœpit dero- „ gare Sancto, & adeuntibus Eccleſiam inſul- „ tare. Mox mirum in modum divinitus cor- „ reptus, cœpit æſtuare, & deſtitutus corpo- „ reis membris, & viribus in terram volu- „ tari. Tandem ſe deliquiſſe profitens, & a „ Sacerdote abſolutionem poſtulans, os ſuum, „ & pectus percutiens a vexatione abſolutus „ eſt." Sic *cap.* 5. Vitæ S. Vincentii Ferrerii *die* 5. *Aprilis*, legitur, ſanctum liberaſſe quendam energumenum, dæmonemque interrogaſſe de cauſa vexationis, qui reſpondit: " Hic ho- „ mo, quem poſſideo .... te, & eos, qui te „ ſequuntur, & audiunt, odit, & multas in te „ objectat infamias, multaſque fecit tibi contu- „ melias." Sic in Vita B. Mariæ Doloroſæ Martyris, 18. *Junii* narratur, quod cum Beata fuerit ab impudico ſollicitata, & repulſam paſſus furti apud Judicem eam accuſavit, & ob hoc morti adjudicata, ipſe tandem impoſtor a dæmone obſeſſus fuit ſeptem annis, donec facti pœnitens, ad Beatæ ſepulchrum ſanitatem obtinuit. Sic in Vita S. Simeonis Monachi Padolironenſis *cap.* 2. *die* 26. *Julii* legitur, quod Romæ quidam Clericus Sanctum traduxerat tanquam hæreticum, " & ad necandum ſervum Dei po- „ pulum concitaverat eadem hora ſpiritus ma-

„ lignus Clericum arripuit, ac pro illata ſervo
„ Dei contumelia diutiſſimè volutando vexavit."
Sic apud Caſſianum *collat.* 18. *cap.* 15. legitur: "
„ Cum tantæ in pueritia ſua eſſet virtutis & gra-
„ tiæ (Paphnutius) ut etiam præclari, ac ſummi
„ id temporis viri gravitatem ejus, & immobilem
„ conſtantiam mirarentur, eumque, licet minor
„ eſſet ætate, pro virtutum tamen meritò ſenio-
„ ribus exequarent, ſuoque ordini ducerent in-
„ ferendum, livor;... quendam de numero Fra-
„ trum edacis zeli igne ſuccendit. Qui nævo quo-
„ dam, ac macula pulchritudinem ejus cupiens
„ deformare, hoc genus malignitatis excogitat,
„ ut opportunitatem temporis captaret, quo Pa-
„ phnutius ad Eccleſiam die dominico proceſſu-
„ rus abeſſet a cella, in quam furtim irruens,
„ codicem ſuum inter ejus plectas, quas de pal-
„ marum foliis ſolebat intexere, latenter abſcon-
„ dit, ac de concinnata factione ſecurus, ipſe
„ quoque velut puræ, ac ſimplicis conſcien-
„ tiæ ad Eccleſiam venit. Cumque celebrata om-
„ nis fuiſſet ex more ſolemnitas querelam ſancto
„ Iſidoro, qui ante hunc, eundemque Paphnu-
„ tium ejuſdem Eremi Presbyter fuit, coram
„ cunctis fratribus detulit, aſſerens ſibi co-
„ dicem de cella furto fuiſſe ſublatum. Quæ
„ ejus querimonia cum ita cunctorum,
„ præcipueque Presbyteri, animos permo-
„ viſſet, ut quid primum ſuſpicarentur,
„ quidve decernerent non haberent, ſumma
„ cunctis admiratione perculſis, de tam inau-
„ diti illic facinoris novitate, ille, qui rem
„ detulerat accuſator urgebat, ut retentis in Ec-
„ cleſia omnibus, miſſi electi quique cuncto-
„ rum, ſigillatim fratrum cellulas ſcrutaren-
„ tur. Quod cum tribus ſenioribus a Presbyte-
„ ro fuiſſet injunctum, univerſorum cubilia
revol-

„ revolventes, ad extremum in Paphnutii cel-
„ lula absconditum codicem interplectas pal-
„ marum, quas illi *Syras* vocant, sicut eum
„ insidiator occultaverat, repererunt. Quem
„ cum inquisitores confestim ad Ecclesiam dela-
„ tum coram omnibus protulissent, Paphnu-
„ tius, licet de conscientiæ suæ esset sincerita-
„ te securus, tamen velut qui furti crimen
„ agnosceret, satisfactioni se totum tradidit,
„ locumque pœnitentiæ suppliciter postulavit ....
„ sed nequaquam passus est eum, occultorum
„ omnium testis, & cognitor vel a se amplius
„ conteri, vel ab aliis infamari; nam quod ille
„ inventor sceleris, rei suæ fur improbus, lau-
„ dis alienæ callidus infamator nullo hominum
„ teste commiserat, per diabolum, qui crimi-
„ nis ipsius inventor fuerat, publicavit. Ar-
„ reptus namque dirissime dæmone, cunctas fa-
„ ctionis occultæ patefecit insidias, criminatio-
„ numque ac fraudum idem fuit proditor, qui
„ commentor. Ita autem spiritu illo immundo
„ graviter, diuque vexatus est, ut ne oratio-
„ nibus quidem sanctorum illic confidentium
„ qui divinorum charismatum merito dæmoniis
„ imperabant, potuerit emendari .... Christo
„ hanc adolescenti Paphnutio gloriam reser-
„ vante, ut illius tantum orationibus, cui
„ insidiatus fuerat purgaretur, & cujus lau-
„ di aliquid invidus inimicus decerpere se pos-
„ se crediderat, ejus nomen proclamans, & de-
„ licti sui veniam, & finem supplicii præsen-
„ tis acciperet." Sic tandem, ut alia exempla
missa faciam, in Vita B. Andreæ Eremitæ Montis
Regalis *cap. 2. die* 18. *Aprilis* legitur, quod detra-
hens in Beatum a dæmone fuit correptus, & po-
stea facti pœnitens, ad ejus sepulchrum liberatus.

LXXII. Quintum est *Gula*, quæ est immo-

derata in cibo, & potu delectatio, de qua ad rem noſtram ſufficeret id, quod docet S. Clemens, ſive quicunque alius ſit Auctor librorum *Recognitionum lib.* 4. §. 16. editionis Cotelerii: *Donec autem*, ait, *naturæ menſura ſervatur* (ab hominibus) & modus legitimus cuſtoditur, (in cibo, & potu) *Dei clementia, ingrediendi in homines, non eis* (dæmonibus ſcilicet) *tribuit facultatem; ubi verò aut mens ad impietatem declinaverit, aut corpus immoderatis cibis, ac potibus adimplebitur, tanquam voluntate, & propoſito eorum, qui ſe ita negligunt invitati, quaſi adverſum eos, qui a Deo poſitam legem ſolverint, accipiunt facultatem.* Tali uſus eſt facultate dæmon in eum militem, qui jejunium non ſervavit Feria quinta in Cœna Domini, ut refertur in Vita S. Rumoldi Epiſcopi, & Martyris *cap.* 2. *die* 1. *Julii.*

LXXIII. Ad Gulam ſpectat *inepta lætitia, & ſcurrilitas*, ut docet D. Gregorius *lib.* 31. *Moral. cap.* 17. & ob has fuit a diabolo correpta quædam puella cantans jucundè, & loquens ultra modum, ut legitur in Vita B. Ambroſii Sanſedonii 20. *Martii.*

LXXIV. Sextum eſt *Ira*; propter iram enim in tantam animi amaritudinem devenit quædam mulier; ut meruerit a dæmone corripi, & obſideri, & fertur dæmonem reſpondiſſe, in Vita S. Iſidori Epiſc. Hiſpalenſis apud Bollandianos *die* 4. *Aprilis*: „ Hujus rei (*verba ſunt dæmonis interrogati de cauſa ingreſſus*) vicina ſua occaſio fuit, atque cauſa, quæ exprobrando, „ & falſo illi amaſium imponendo in tantam „ amaritudinem deduxit animam ejus, ut mente, ultra quam credi poteſt, conſternata, „ & ſuper objectu criminis indeſinenter cogitando, ſollicita, mihi viam aperuit invaden-

di

„ di „ ſimiliter „ invaſionis diabolicæ ſemina-
„ rium fuit, quod tribus quondam potita fra-
„ tribus, (*quædam mulier*) quadam audiret
„ die, quodam accedente caſu, unum ex ipſis
„ tribus fratribus interemptum Quo non tam
„ celerrima adiit, quam feſtina; ſuper eum
„ incubuit, nimioque ex eo confecta dolore,
„ ut mœſtitiam cordis, ex fratre leniret, oſcu-
„ lari corpus cœpit. In cujus amplexu mox
„ pervaſa eſt a plenitudine dæmonum. „

LXXV. At ſi propter iram animo conceptam, multo magis propter eam opere conſummatam invadit dæmon. In Vita S. Charalampii Presbyteri, & Martyris *cap.* 2. *die* 10. *Februarii* legitur, energumenum liberaſſe; qui ob homicidium obſeſſus fuerat. In Vita S. Guilielmi Fundatoris Congregationis Montis Virginis *cap.* 5. *die* 25. *Junii* narratur, quod venator quidam, ſanctum ratus exploratorem eſſe, ei caput læſit, ideoque fuit a dæmone invaſus. Pariter Jonas Abbas, penes Baronium *ad annum* 626. refert, " quod cum aliquo tem-
„ pore Blidulfus Presbyter (*& Monachus mo-*
„ *naſterii Bobienſis*) a B. Patre Attala ad Ti-
„ cinum Urbem directus fuiſſet, ibique per-
„ veniſſet, obvium habuit Oriovaldum Regem
„ Longobardorum Arianæ ſectæ credulum.
„ Is ergo cum vidiſſet Blidulfum Presbyterum,
„ ait ad ſuos de Columbani Monachis is eſt,
„ qui nobis ſalutantibus, apta denegat reſpon-
„ dere. Cumque jam haud procul abeſſet
„ Presbyter, ſalutavit eum rex, ironicè tamen.
„ Ad hæc Blidulfus: ſalutem, inquit optarem
„ tuam, ſi tu ſeductoribus tuis non faveres,
„ & alienis a veritate, Chriſti doctrinis ani-
„ mum non accommodares.... hæc pauliſper
„ audiens rex.... iracundia ſuccenſus, que-

ſtus

„ ſtus eſt, ſe non habere miniſtros, qui ..... „ Monachum .... morti traderent. Tunc unus „ veſanior cæteris, ad hoc patrandum ſe re- „ ſpondit eſſe paratum ..... Progreſſus „ itaque peſſimus ille, alium ſceleris ſocium „ ſimilem ſibi aſſumit .... Monachus .... per- „ cuſſus in cerebro, & omni compage corpo- „ ris colliſus, pro mortuo cadavere relictus eſt „ ab ipſis ſatellitibus .... ſed velut ab ſtrato „ incolumis ſurgit, nec plagarum veſtigiis ap- „ parentibus .... Protinus ille, qui ſe ſpon- „ taneum ad iniquum opus patrandum indi- „ derat, dæmonio corripitur, & diverſis pœ- „ narum incendiis flagellatus, commiſſum fa- „ cinus exitiabiliter confitetur. B. Pater Atta- „ las rogat univerſos Fratres, ut pro peſtifero, „ qui adductus fuerat, orationem ad Domi- „ num fundant; quibus attentius orantibus, „ peſtifer ille ſanitati redditur. Unus è vulgo „ afflatus ſpiritu diabolico irruens in eum, „ (*ſcilicet S. Abbonem Floriacenſem Abbatem*) „ ejuſque latus lancea perforans, Chriſti Mar- „ tyrem effecit, qui etiam, ut fertur, paulò „ poſt arreptus a dæmone miſerabiliter vitam „ finivit." Ita Glaber *lib. 3. cap. 3.* apud eundem Annalium Eccleſiaſticorum Parentem, *ad annum.* 1003. *n.* 14. Item alium a diabolo obſeſſum ob alapam impactam S. Joanni Eleemoſynario *cap.* 11. *ejus Vitæ* dicitur 23. *Januarii*. Imo ob ſolam necem in S. Amatorem Epiſcopum Antiſiodorenſem machinatam, legimus in ejus Vita *cap.* 2. *die* 1. *Maii*; Præterea D. Gregorius *lib. 3. Dialogor. cap.* 14. de S. Iſaac hæc narrat: „ „ Venerabilis Iſaac .... cum primum de Syriæ „ partibus, ad Spoletanam Urbem veniſſet, in- „ greſſus Eccleſiam, a Cuſtodibus petit, ut „ ſibi quantum vellet, licentia concederetur

„ oran-

„ orandi, cumque horis secretioribus egredi „ non urgerent, qui mox ad orandum stetit .... „ Cumque hoc unus ex Custodibus superbiæ „ spiritu inflatus, cerneret, unde proficere de- „ buit, inde ad defectus damna pervenit, nam „ hunc simulatorem dicere, & verbo rustico cepit „ impostorem clamare, qui se tribus diebus, & „ noctibus orare ante oculos hominum demon- „ straret; Qui protinus currens, virum Dei „ alapa percussit, ut quasi religiosæ vitæ simu- „ lator, de Ecclesia cum contumelia exiret. „ Sed hunc repentè ultor spiritus invasit, & „ ad viri Dei vestigia stravit, ac per os illius „ clamare cœpit: Isaac me ejicit .... mox autem „ super vexati corpus vir Dei incubuit, & mali- „ gnus spiritus, qui eum invaserat, abscessit. "

LXXVI. Ex ira oritur *Blasphemia*, ob quam dæmoni traditi sunt Hymenæus, & Alexander ab Apostolo, ut ipse scribit 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 20. ubi loquens de iis, qui circa fidem naufragium fecerunt, sic subjungit: *Ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ ut discant non blasphemare*. Sed non tantum ob blasphemiam in Deum, sed & in Sanctos, quidam leguntur a diabolo obsessi. Sic in miraculis S. Uldarici Episcopi Augustani *c.* 1. *die* 4. *Julii* narratur, quod quidam maledicus in Sanctum virum correptus fuit a dæmone, & miserabiliter vitam finivit; & sic in Vita S. Maximini Episcopi Trevirensis *cap.* 2. *die* 29. *Maii* dicitur, quod „ Quidam, „ Rusticus nomine, cum intrasset Basilicam san- „ cti Maximini, vidissetque lampades a se ipsis „ moventes, dixit: o veri seductores dicitis, „ quia S. Maximinus hoc operatur, & vos per „ ingenium facitis, confestimque a dæmonio ar- „ reptus est, & ad mortem penè deductus. „ Insuper ex ira gignitur *odium*, & „ unus,

qui

„ qui nullis admonitionibus, nullis ſuadelis ad-
„ duci potuit, ut Fratris necem indulgeret ini-
„ mico, ... mancipium hoſtile factus coram
„ omni plebe dentibus ſtridere, ſpumas jacere,
„ crinem rotare occepit: poſtremò in terram eli-
„ ſus, volutabatur furens. Exoratus Vulſtanus,
„ ut miſereretur diſtulit: ſed preſſus tandem,
„ & victus lacrymis, jubet inimico ut abeat:
„ ille diſceſſit eadem facilitate, qua venerat.„
Sic legitur in Vita S. Vulſtani Epiſcopi Vvigornienſis *cap.* 2. penes Bollandum *die* 19. *Januarii*.

LXXVII. Septimum eſt *Acedia*, ex qua inter alia procedunt torpor circa præcepta, & *deſperatio*. Propter hæc vitia dæmon plures invaſit; & quidem ob primum, legitur in Vita S. Segolenæ Viduæ *cap.* 4. *die* 24. *Julii*, quod „
„ quædam puella.... ad converſionem venit....
„ Brevi tempore Monachorum virtutes exæ-
„ quaverunt. Interea ſubiit in ea cogitatio inje-
„ cta per diabolum, & permanere in Mona-
„ ſterio nolebat. Quadam die furtim de Con-
„ gregatione diſcedere volens, illicò impletur
„ a dæmone, quæ deinde a Beata liberata fuit.
Similiter in Vita Sancti Joannis Gualberti *cap.* 5. 12. *Julii* narratur, quod quidam ſui Monaſterii Converſus Monaſterium deſerens a dæmone fuit præcipitatus. Pariter in Vita S. Rudeſini Epiſcopi Dumienſis *lib.* 3. *cap.* 1. *die* 1. *Martii* legitur liberatus energumenus, qui non ob aliud obſeſſus fuerat „ niſi pro voto, quod vovit B. Ma-
„ riæ, ut iret ad Domum ejus, & facere non
„ curavit.

LXXVIII. Propter ſecundum, deſperationem nempè, habemus exemplum in Vita S. Bonæ Virginis Piſanæ *cap.* 6. *die* 29. *Maii*, ubi auctor ſcribit: „ quod cum quædam mulier, qua-
„ dam

„ dam die cum ſocera litigaſſet, tandem ſpiri-
„ tu iracundiæ concitata, extenſis manibus
„ diabolum pluries invocavit, ut eam in ſua
„ eriperet poteſtate„ quod & factum eſt. De alio a dæmone obſeſſo, ex deſperatione invocato, narratur *part.* 8. Vitæ S. Joannis Gualberti *die* 12. *Julii*.

LXXIX. His omnibus addam octavum, nempe *ob parentes inhonoratos*, fuiſſe aliquos a dæmone arreptos; nam B. Victor Papa III. *lib.* 2. *Dialogor. in Biblioth. PP. tom.* 18. narrans, quendam puerum obſeſſum fuiſſe, atque per interceſſionem S. Nicolai liberatum, ſubdit: *Permiſit itaque Deus puerum hunc pro ſua inobedientia* (erga parentes) *flagellari*. Et in Vita S. Parthenii Epiſcopi Lampſaci, *cap.* 2. *die* 7. *Februarii*, legitur, eundem Sanctum curaſſe energumenum, quem dæmon obſederat ob irreventiam erga parentes. Item in hiſtoria miraculorum S. Petri Epiſcopi Tarentaſienſis *cap.* 2. penes Bollandianos, *die* 8. *Maii*, ſcriptum eſt: „ quod
„ Juvenis quidam, viduam matrem, fratreſ-
„ que jurgiis contumelioſis laceſsens traditus
„ ſtatim, & oppreſsus a dæmonio eſt, ut effræ-
„ natæ linguæ pœnas lueret„ ſed terrorem incutiat hoc, quod ſubjicio exemplum, diſcantque filii parentes, ut Deus præcipit, honorare. D. Antoninus in Vita S. Zenobii Prædeceſſoris ſui *part.* 2. *hiſt. tit.* 10. *cap.* 12. §. 1. narrat: „
„ Cujuſdam Nobilis dominæ viduæ, & gentilis
„ quinque filii erant, qui adulti effecti, ma-
„ trem injuriis, & contumeliis afficiebant non
„ raro, uſque etiam ad verbera. Cum autem
„ una die ipſam acriter verberaſſent, irata il-
„ la quam plurimum, eos maledixit ſub his
„ verbis, ut diabolus eos ita raperet, quod verſi
„ in rabiem, dentibus ſuis brachia ſua devo-

„ ra-

„ rarent. Eos immediatè ultio divina ſecuta eſt; „ nam arrepti a dæmoniis, & in rabiem verſi, cœperunt ſibi ipſis corrodere brachia. Quod „ mater aſpiciens, lacrymis plena clamitabat „ adjutorium. Ad cujus clamorem excitati vicini, eos ne ſibi, & aliis nocerent catenis alligarunt. Demum mater adhuc gentilis, ad „ Sanctum Dei refugium habuit, miſeriam filiorum exponens, & facta oratione de mane uſque ad tertiam, demum liberatos a dæmoniis, reſtituit ſanitati, & eis cum matre, „ poſt inſtructionem fidei, baptiſmum tradidit. „

LXXX. Nonum etiam addamus, nempè *abuſus ſacramentorum*, præcipuè Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ: nec non *Sacrorum irriſio*. De Euchariſtia indignè ſumpta exemplum habemus in Anacletis S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, *cap.* 7. *die* 5. *Julii*; legitur enim, quod quædam „ puella.... cum Sacram ſynaxim in Paſchate vellet adire, contra eccleſiaſticas ſanctiones adierit non jejuna, ... poſtridie quam „ Sanctiſſimum Sacramentum accepiſſet, in poteſtatem ſagarum tradita menſibus aliquot „ miſerrimè fuit, & carminibus deluſa, & acerbiſſimis corporis doloribus afflicta. „ Sic Deo permittente. Similiter in Vita S. Sampſonis Epiſcopi Dolenſis *cap.* 4. *die* 28. *Julii* legitur, quod quidam Monachus, qui eidem Sancto venenum propinaverat, & facti impœnitens ad ſacram Communionem accedens, ſtatim a dæmonio arreptus fuit. De Sacramentali Confeſſione legitur in Vita S. Joannis Gualberti *part.* 9. 12. *Julii*, dæmonem ſæpe mulierem obſediſſe, ob tectum in confeſſione peccatum, ſed tandem ſincera facta Confeſſione, fuiſſe ejectum. De *irriſione* verò *Sacrorum* luculentum habemus exemplum

in

in Vita S. Petri Galatæ Eremitæ *die* 1. *Februarii*; ubi narratur, quendam a dæmone fuisse obsessum, quia ridiculè Monachorum ritus in dæmonis adjuratione erat imitatus. En verba: „ „ Cum ea (*nempe quædam mulier*) adduxisset „ famulum coquum, qui a malo dæmone vexabatur, rogavit (S. Petrum) ut ei suum non „ negaret auxilium. Cum precatus autem esset vir divinus, jussit dæmoni, ut diceret causam, cur haberet potestatem in Dei „ creaturam. Ille autem ..... stans ante Judicem, & jussus dicere, quæ fecit .... dixit: „ Heliopoli ægrotasse quidem servi Dominum, „ dominam autem conjugi utpote ægrotanti „ assedisse; Ancillas autem domus in qua manebat, narrasse vitam Monachorum, qui philosophabantur Antiochiæ, & quantas vires habeant adversus dæmones: & has quidem, „ utpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas, & insanas egisse; illum ipsum autem „ famulum, monastica veste ex caprina pelle „ confecta, indutum, illas Monachorum ritu „ adjurasse. Cum hæc, inquit, fierent, ego stans „ præ foribus, superbaque illa, & gloriosa, quæ „ de Monachis dicebantur, non ferens, volui „ facere periculum de illa, quam illos habere „ inveniliter jactabant, potestatem. Ea de causa relictis Ancillis, in hunc me intus, volens „ scire quemadmodum expellerer a Monachis. „ Nunc autem, inquit, didici, nec ulla alia „ egeo experientia, nunc autem te jubente ex „ eo. Hæc dicens aufugit, fugitque liberatus „ famulus. „ Aliud simile legitur exemplum apud D. Gregorium Turonensem in Vitis PP. *cap.* 8. de quodam Clerico casulam S. Nicetii parvipendente: scribit enim, quod Priscus Episcopus, qui S. Nicetio fuit semper adversus. „

„ Dia-

„ Diacono cuidam hujus Cauſulam tribuit: „ erat autem valida, eo quod & ipſe vir Dei „ robuſto fuiſſet corpore. Capſa autem (*nomine Capſa, intellige partem Caſulæ*) hujus indumenti ita dilatata erat, atque confuta, ut „ ſolent in illis candidis fieri, quæ per Paſchalia feſta Sacerdotum humeris imponuntur, „ ibatque Diaconus cum hoc veſtimento diſcurrens, & parvipendens de cujus uſibus remaniſſet: hoc habens in lectulo, hoc utens in „ foro, de cujus fimbriis, ſi credulitas certa „ fuiſſet, reddi potuit ſalus infirmis; cui ait „ quidam: O Diacone, ſi ſcires virtutem Dei, „ & quis fuit, cujus veſtimento uteris, cautius „ te cum eo vivere oportebat; cui ille: vere, „ inquit, dico tibi, quia, & hac caſula tergo „ utor, & de capſa ejus parte prolixiore deciſa, „ tegumen pedum aptabo: fecit illico miſer, „ quod pollicitus eſt, ſuſcepturus protinus divini judicii ultionem; verum ubi deciſo cucullo, „ aptatis pedulis (*nempe pedum indumentis*) pedes operuit, ex templo arreptus a dæmone „ ruit in pavimento, ... cumque ſpumas cruentas ore projiceret, extenſis ad focum pedibus, „ pedes cum pedulis ignis pariter devoravit." Tandem *ob templorum, Eccleſiamque violationem*, ad quod probandum ſufficiat tantum referre id, quod narrat uterque Gregorius, Romanus nempè, & Turonenſis. Primus namque *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 4. (quod eſt de S. Equitio Abbate Provinciæ Valeriæ) hæc habet: " Valeriæ Provinciam „ Longobardis intrantibus, ex Monaſterio Reve„ rendiſſimi viri Equitis in Oratorio ad ſepul„ chrum ejus Monachi fugerunt. Cumque Lon„ gobardi ſævientes Oratorium intraſſent, cœ„ perunt eoſdem Monachos foras trahere, ut „ eos, aut per tormenta diſcuterent, aut gla-

„ diis

„ diis necarent. Quorum unus ingemuit, atque „ acri dolore commotus clamavit: Heu, heu, „ Sancte Equiti, placet tibi, quod trahimur, „ & nos non defendis? Ad cujus vocem proti- „ nus ſævientes Longobardos immundus Spi- „ ritus invaſit. Qui corruentes in terram tam- „ diu vexati ſunt, quouſque hoc cuncti, etiam „ qui foris erant, Longobardi cognoſcerent, qua- „ tenus locum Sacrum temerare ulterius non „ auderent." Secundus verò hæc narrat *lib.* 1. *Miraculorum cap.* 105. quod eſt de S. Vincentio Agenenſi: "Tempore illo, quo contra Guada- „ baldum commotus exercitus, ad Convenenſem „ Urbem directus eſt, ab hujus hoſtilitatis mul- „ titudine Baſilica ejus, (*nempe S. Vincentii*) „ vallatur tota. Erat enim in ea plebs omnia „ rerum ſuarum præſidia confidens de reve- „ rentia Martyris, quod nullus ea præſump- „ ptione temeraria auderet adtingere, & obſe- „ ratis oſtiis, ſe ab intus cum rebus incluſerat. „ Circumdantes autem hoſtes, cum aditum per „ quem ingrederentur invenire non poſſent, „ ignem oſtiis ædis ſubjiciunt, quem diù mul- „ tumque ſuccendentes, non adpræhendebant „ valvæ, donec iis impulſu ſecurium comminu- „ tis, ingreſſi ſunt, diripientes res, populum- „ que incluſum in ore gladii trucidantes. Sed „ non diù hæc res remanſit inulta, nam alii a „ dæmone correpti .... vexabantur." Et de quodam milite, qui cum aliis exercitus Ludo- vici filii Lotharii Imperatoris, animo hoſtili Ro- mam advenerat, narrat *Anaſtaſius Bibliothecarius* in Sergio II. quod "in atrio (*Baſilicæ Prin- „ cipis Apoſtolorum*) a dæmonio arreptus, in „ conſpectu Francorum omnium valde vexa- „ tus eſt." Et quidem, *inquit Baronius, ſuper hoc facto ad annum* 844. *num.* 11. " magna

„ providentia, unius vexatione iidem, qui hoſtili venerant animo, timore correpti ſunt, „ adeo ut omnes ſimul fuerint redditi mites, „ depoſita quam conceperunt truculenta ferocia; videntes etiam dæmones, Deo diſponente, inſurgere vindices pro Eccleſiæ defenſione; ut ſcirent omnino corripiendos divina vindicta, ſi peccaſſent in Baſilicam Principis Apoſtolorum. „

LXXXI. Poſt huc uſque ſcripta, in quibus finem circa hoc facere decreveram, alia adinveniq peccata ſimili vindicta a Deo punita, quæ licet ſorte extra ordinem mihi præfixum, tamen hic breviter exarabo. In primis Michael Paphlago dæmoniacus factus eſt ob illud impedimentum dirimens matrimonium, quod a Theologis, & Jureconſultis *Crimen* vocatur. " Nam „ Zoe Auguſta, *inquit Baronius ex Curopalata ad annum* 1034. *num.* 31. venenum propinavit Michaeli Primo Imperatori ejus marito, „ qui ab hoc deceſſit è vita, opera etiam dicti „ Michaelis Paphlagonis adulteri ejuſdem Zoe, „ formæ quidem pulcherrimi, ſed arte argentarii, quem impudica fœmina deperibat. Accidit autem illud valde prodigioſum, ut „ quem omnium pulcherrimum Zoe ſibi delegerat in maritum, idem novo accidente, in vindictam ſceleris, divinitus orto, fieret deformiſſimus. Etenim (*ſunt verba Curopalatæ*) arreptus a diabolo dæmoniacus evaſit, „ a quo horrendis modis diſtorqueretur; nec „ valuit ullo remedio ſive ſacro per viros eccleſiaſticos procurato, ſive a medicis adhibito, „ aliquo modo ſanari, ſed ad obitum uſque „ oſtentui factus omnibus, manſit in exemplum „ Divinæ vindictæ." Secundò quidam Subdiaconus dæmoniacus evaſit *ob venenum propinatum*

Victo-

Victori Papæ. " Huic (*inquit Lambertus penes*
„ *Baron. ad annum* 1055. *num.* 28. *de Victore*
„ *Pontifice*) Subdiaconus toxicum in Calicem
„ miſit, quem cum ipſe poſt Conſecrationem
„ levare vellet, nec poſſet, a Domino cauſam ſa-
„ cti inquiſiturus, cum populo ad orationem
„ proſternitur, ſtatimque toxicator a dæmone
„ arripitur. Ita igitur cauſa manifeſta, Do-
„ minus Papa Calicem cum Sanguine Dominico
„ cuidam Altari juſſit includi, & pro reliquiis
„ in perpetuum conſervari. Deinde iterum cum
„ populo tamdiù ad orationem proſternitur,
„ quouſque Subdiaconus a dæmonio liberaretur.
Tertiò, *ob ſecretum non ſervatum*. In Vita ſancti Joannis Eleemoſynarii Epiſcopi *cap.* 2. *in Januario Bollandiano die* 23. narratur: Mulierem a dæmone vexatam fuiſſe ob fractum ſilentium, ſeu ſecretum, ad quod tenebatur, quam poſtea S. Epiſcopus precibus ſuis liberavit. Quartò, *ob violationem Clauſuræ Monaſterii*. In Vita S. Carilefi, *cap.* 3. *apud Bollandianos* 1. *Julii* legitur: mulierem inverecundam a dæmone fuiſſe arreptam eo quia Monaſterii Virorum a Sancto conſtructi Clauſuram, etiamſi virili habitu indutam, violavit. Quintò, tres Saraceni dæ-
„ monio repleti, evaginatis gladiis, ſe ipſos con-
„ ciderunt, eo quia captivum ducebant pul-
„ chrum adoleſcentem Idolis offerendum, „
ut ex Sophronio *in Prato Spirituali cap.* 115. refert Cardinalis Baronius *ad annum* 586. Sextò, propter excommunicationem; *nam diabolo major poteſtas ſæviendi* in Excommunicatum *datur, & ſpiritualiter, & corporaliter. Unde in primitiva Eccleſia, quando oportebat per ſigna ad fidem homines invitare, ſicut Spiritus Sancti donum viſibili ſigno manifeſtabatur, ita & Excommunicatio corporali vexatione a diabolo inno-*

teſcebat, ut ait S. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 3. & ex Apoſtolo, verbis ſupra relatis, dare colligitur. Exemplum habemus in Juda Iſcariote, qui poſtquam permiſſionem accepit a Chriſto proditionis perpetrandæ illis verbis: *quod facis fac citius*, & ab Apoſtolorum conſortio abire juſſit. *Tunc introivit in eum Satanas*, ait S. Joannes c. 17. *non ut adhuc alienum tentaret, ſed ut proprium poſſideret*, inquit S. Auguſt. *tract.* 62. *in Joan.* Tandem, *ob damonem invocatum*, ut habetur in Vita B. Ambroſii Sanſedonii, penes Bollandianos Scriptores *die* 20. *Martii*. Ibi namque legitur quod quidam „ cum ſemel iret cum aſello ſuo, & ca„ deret aſellus, invocavit in auxilium dæmo„ nem fortuiti caſus impatiens, „ & ſtatim fuit arreptus, & poſtea ad ſepulchrum Beati liberatus.

LXXXII. Sed non tantum ob peccata lethalia Deus homines vexari permittit a dæmone, ſed etiam *ob venialia*. *Corporaliter*, ait Caſſianus coll. 7. c. 25. *traditos Satanæ, vel infirmitatibus magnis, etiam viros Sanctos novimus pro leviſſimis quibuſque delictis*. Quod exemplo comprobat *ibidem cap.* 27. inquiens: " Cum eſ„ ſet Moyſes ſingularis, & incomparabilis vir, „ ob reprehenſionem unius Sermonis, quem con„ tra Abbatem Macharium diſputans, paulò „ durius protulit, quadam ſcilicet opinione „ præventus, tam diro confeſtim eſt traditus „ ſpiritui, ut humanas egeſtiones ori ſuo ab „ eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum, pur„ gationis gloria ſe Dominus intuliſſe, ne ſci„ licet in eo, vel momentanei delicti macula „ reſideret, velocitate curationis ejus, atque „ aucto remedio, demonſtravit. Nam continuo „ Abbate Machario in oratione ſubmiſſo, di-

„ cto

„ cto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus „ abſceſſit. "

LXXXIII. Ob peccata venialia ſimiliter obſeſſam fuiſſe quamdam Monialem narrat D. Gregorius *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 4. in Vita S. Equitii inquiens: " Quadam verò die una Dei fa„ mula ex eodem Monaſterio Virginum, hor„ tum ingreſſa eſt, quæ lactucam conſpici„ ens concupivit, eamque ſigno crucis be„ nedicere oblita, avide momordit, ſed arre„ pta a diabolo protinus cecidit. Cumque ve„ xaretur, eidem P. Equitio ſub celeritate nun„ tiatum eſt, ut veniret concitus, & orando „ ſuccurreret; moxque in hortum idem Pater „ ut ingreſſus eſt, cœpit ex ejus ore, quaſi „ ſatisfaciens ipſe, qui hanc arripuerat diabous, „ clamare dicens: Ego quid feci? ego quid feci? „ ſedebam mihi ſuper lactucam..... venit illa, „ & momordit me. Cui cum gravi indignatione „ vir Dei præcepit, ut diſcederet, & locum in „ omnipotentis Dei famula non haberet. Qui „ protinus abſceſſit, nec eam ultra contingere „ prævaluit. " Quid ſimile legitur in Vita S. Nazarii Epiſcopi Juſtinopolitani 19. *Junii*, nempe quod " civis cujuſdam filius unicus ambu„ lavit per pratum verſus fontem quemdam, „ ſitis levandæ cauſa, cumque faciendæ Cru„ cis oblitus, aquam non luſtratam hauſiſ„ ſet, cum ea ſimul & dæmonium hauſit, cœ„ pitque furere, & intemperiis agere. " Præterea in Vita S. Celſi Epiſcopi Trevirenſis, *lib. de ejus miraculis c.* 1. *apud Bollandum* 23. *Februarii* legitur, quendam puerum correptum fuiſſe a dæmone, ob aquam epotam, *poculum oblitus ſignare*. Idem legitur accidiſſe cuidam mulieri, quæ potum ſignare neglexerat, in vita B. Ambroſii Sanſedonii *cap.* 19. *die* 20. *Martii*;

quæ omnia, ad ſummum, venialia peccata eſſe dicendum eſt.

LXXXIV. Sed non tantum ſic Deus punit peccata *propria*, ſive gravia, ſive levia, verum & aliquando *aliena*, ut ex ſequenti, quam refert D. Gregorius *lib. 3. Dialogor. cap. 33.* hiſtoria, conſtabit. " Quadam ..... die dum iter caperet, (*S. Eleutherius*) facto veſpere, cum ad ſecedendum locus deeſſet, in Monaſterium Virginum devenit, in quo quidam puer parvulus erat, quem malignus ſpiritus omni nocte vexare conſueverat. Sed Sanctimoniales fœminæ, ut virum Dei ſuſceperunt, eum rogaverunt dicentes: Tecum, Pater, hac nocte puer iſte maneat, quem ipſe benignè ſuſcepit, ſecumque eum nocte eadem jacere permiſit. Facto autem manè, cœperunt Sanctimoniales fœminæ, eumdem Patrem vigilanter inquirere, ſi quid ei pueri, quem dederant, nocte eadem feciſſet. Qui miratus cur ita requirerent, reſpondit: Nihil. Tunc illæ, ejuſdem pueri innotuerunt cauſam, & quod malignus ſpiritus nulla ab eo nocte recederet, indicaverunt, ſummopere poſtulantes, ut hunc ſecum ad monaſterium tolleret, quia jam vexationem illius videre ipſæ non poſſent. Conſenſit ſenex: puerum ad Monaſterium duxit, qui cum multo tempore in Monaſterio fuiſſet, atque ad hunc antiquus hoſtis accedere minimè præſumpſiſſet, ejuſdem ſenis animus de ſalute pueri immoderatius per lætitiam tactus eſt. Nam coram poſitis Fratribus, dixit: Fratres, diabolus ibi cum illis ſororibus jocabatur; at verò ubi ad ſervos Dei ventum eſt, ad hunc puerum accedere non præſumpſit. Poſt quam vocem, hora eadem, ac momento idem puer coram cunctis Fratribus,

" dia-

„ diabolo ſe invadente, vexatus eſt : quo viſo „ ſenex, ſe protinus in lamentum dedit..... „ tunc ſe in orationem cum cunctis Fratribus „ ſtravit, & eo uſque oratum eſt, quouſque „ puer a vexatione ſanaretur, qui tam per- „ fectè ſanatus eſt, ut ad hunc malignus ſpi- „ ritus accedendi auſum ulterius non haberet." En quomodo ob leviuſculam S. Eleutherii vanam gloriam (quam pariter agnoſcit S. Gregorius ſubjungens : *Credo, quod ei elatio parva ſubrepſerat*) puer a dæmone ſit vexatus ! Ob peccatum viri legitur mulier correpta a dæmone, in Vita S. Erminoldi Abbatis Prufeningenſis, & Martyris, *die 6. Januarii*.

LXXXV. Præcipuè verò Deus *ob peccata Parentum* punit Filios dæmoniaca vexatione, ut obſervat Drutmarus, vulgò Grammaticus *in Matth. cap. 37.* penes Biblioth. PP. tom. 15. *Quicunque*, inquit, *dæmonio traditur, aut pro ſuo, aut pro parentum peccato traditur*. Quod pluribus oſtendo. In Vita S. Auxentii Presbyteri, & Archimandritæ *cap. 2. die 14. Februarii* legitur, quod quidam huic Sancto Viro detraxit, ipſumque irriſit" vocans eum planum, im- „ poſtorem, & mercedem præbentem iis, qui „ ſe ſimulant eſſe dæmoniacos, propter tres, „ & ſex obolos, ut videantur convinci, mul- „ tos jam deceptos eſſe" ſed hic punitus fuit in filia, quæ a dæmone, Deo ſic diſponente, invaſa fuit, quam Pater ad Sanctum pro liberatione adducere coactus, meritò audivit." Pro- „ pter tres obolos, aut ſex obolos..... ſi etiam „ reliquis, ut tu dixiſti, mercedem præbeo „ trium, & ſex obolorum, filiæ tuæ quantum „ dedi? (*Inuens ſic clare, filiam ob ejus detra- „ ctionem fuiſſe poſſeſſam a dæmone.*) Cum ita- „ que.... puellam ſanam reſtituiſſet, dimiſit

„ eos in pace." In Vita S. Joannis Gualberti *parte* 10. *die* 12. *Julii*, legitur de puella energumena: „ Conjuratur dæmon, interrogatur; ta„ cet ille. Demum..... circumferentes hinc „ inde truces minaciter oculos, in hæc tandem „ prorumpit verba, inde in Parentes puellæ ipsos „ oculos ignivomos defigens, inquit: Perditi „ miserique, senes, qui vestris sceleribus filiam „ unicam longè prius excruciatam, demum per„ dere curatis: scelesti, reddite, quæ furtim, „ clamve surripuistis ..... inde discedam; se„ cus autem, preces incassum.... fient. Cun„ ctati aliquandiù sunt iniquissimi illi, alius „ alium circumspectantes, movit deinde pu„ dor. Itaque .... habita prius suorum scele„ rum non sine lacrymis confessione, dæmon „ nullo strepitu, nulla voce emissa; alio ver„ sum contendit." In miraculis B. Joannis Taus„ siniani, Episcopi Ferrarienſis, Ordinis Jesua„ torum *cap.* 2. legitur: "David Borella filiam „ habebat, quæ ab immundo vexabatur spiri„ tu, & cum super Beati Joannis sepulchrum „ foret constituta, spretis quodammodo conju„ rationibus, respondit, imperio B. Joannis se „ nunquam a corpore hujus puellæ exiturum, „ nisi illam, quam in concubinatu David Bo„ rella habebat, ipse David desponsaret; quæ „ quamprimum a David fuit desponsata: mox „ puella filia ab immundo spiritu.... est libe„ rata." Et tandem in Vita S. Simeonis Stylitæ Junioris, *cap.* 11. apud Bollandianos *die* 24. *Maii* legitur, quod quædam mulier filiolam paralyticam habebat: „ causa paralyticæ infirmitatis, „ difficilis dæmon erat, qui puellam incesse„ rat, atque iterum dæmonis sævientis causa „ peccatum matris, in punitionem nequitiæ pa„ ralysim proli afferens.

LXXXVI. Sed frequentius filii dæmoni traduntur, Deo permittente, *ob Parentum Maledictionem*, cujus rei exempla hic fusè dabo, ut diſcant mulieres, quæ tam facilè filios ſuos ſubirate maledictis inſequuntur ab hac adeo frequenti paſſione, ſe cohibere. Primum igitur exemplum illud ſit, quod narratur in miraculis S. Erendrudis Abbatiſſæ Salisburgenſis *die* 30. *Junii*. „ Quædam ex Monialibus concepit, & cum „ jam tempus parturiendi inſtaret, anxia ni„ mis & turbata, neſciens qua via tegeret ſcelus „ commiſſum, & qualiter evaderet Abbatiſſæ „ acerbitatem, pœnamque ſibi infligendam, & „ in oratione ſe proſternens in Capella S. Viti, „ uberrimaſque lacrymas effundens, anguſtiis, „ & tribulationibus undique convoluta, non „ ſolum de ſua preſſura, & dolore imminen„ te, verum etiam de partu quid eſſet factura, „ & ſic in oratione poſita obdormivit. Cumque „ evigilaſſet, & nihil conſolationis humanæ, „ nec divinæ inveniret, in deſperationem du„ cta, invocato ſpiritu maligno dixit: O dia„ bole, fer mihi auxilium in hac maxima tri„ bulatione, & dabo tibi hunc fœtum, quem „ producam cum corpore, & anima in damna„ tionem ſempiternam. Interea dæmones gau„ dentes tranſibant cellam Viri Dei Mazalini (*erat autem Mazalinus Abbas S. Petri, frater Vviradis Abbatiſſæ Monaſterii S. Erendrudis, & ſub ejus diſciplina degebat rea monialis*) in Ere„ mo pernoctantis in oratione, & quæſivit ab „ ab eis quò irent? Qui reſponderunt: gran„ de negocium habemus; qui ait, ite, & per„ acto negocio, per Deum viventem vobis præ„ cipio, ad me redeatis. Qui euntes, invene„ runt puerum jam natum, quem rapuerunt, „ & reverſi ſunt ad virum Dei narrantes ei,

quæ

„ quæ geſta ſunt .... Hoc audiens Mazali-
„ nus .... præcepit eis per Deum vivum, &
„ verum, ut puerum ſibi relinquerent: Qui
„ ſtatim puerum in cella Viri Sancti projicien-
„ tes, volantes per viam ſuam obierunt. Ea-
„ dem autem nocte vir Dei ſurrexit, puerum
„ accipiens, & manè ante diluculum venit ad
„ portam Monaſterii, expectans quando veni-
„ ret Abbatiſſa, & januas reſeraret, quod per
„ ſe ſingulis diebus, & noctibus faciebat. Qua
„ veniente, & vidente fratrem ſuum, multum
„ attonita mirabatur, dicens ei: Ad quid ve-
„ niſti Frater? Qui reſpondens dixit Abbatiſſæ:
„ Propter auſteritatem, & malitiam veſtram,
„ quam exercetis in ſubditas veſtras, (oſten-
„ dens ei puerum) hæc anima in damnationem,
„ & poteſtatem diaboli fuerat tradita; ſed me-
„ diante gratia, & miſericordia Dei, eam eri-
„ pui de manibus ſpirituum malignorum, nar-
„ rans ei omnia per ordinem geſtæ rei, præce-
„ pitque ei in virtute Dei, & ſanctæ obedientiæ,
„ ut de cætero miſericordius, exemplo B. Be-
„ nedicti cum ſubditis ſibi ageret, & miſeri-
„ cordiam judicio ſuperexaltaret; fecitque pue-
„ rum ſtatim baptizari, & tradi nutrici ad alen-
„ dum, quo uſque in fide catholica inſtrui poſ-
„ ſet, ac plenius informari. Vir autem Dei in
„ eremum ad cellam ſuam cum gaudio re-
„ meavit, grateſque Deo omnipotenti referens,
„ de ereptione animæ pueri a diabolica ſervi-
„ tute."

LXXXVII. Secundum ſit illud, quod refert D. Antoninus in Vita S. Zenobii Epiſcopi Florentini 2. *part. hiſt. tit.* 10. *cap.* 12. §. 1. " Quendam
„ puerum a dæmone obſeſſum (nam cum ipſum,
„ febribus urentem, mater quadraginta vici-
„ bus in nocte vocitata ab eo, potaſſet, & ite-

„ rum

„ rum potum peteret; attediata Mater potum
„ obtulit cum ira dicens: Bibe in nomine dia-
„ boli, & ex hinc dæmon illum invaſit) obla-
„ tum autem Sancto, à vexatione, oratione
„ ſua, liberavit. „

LXXXVIII. Tertium illud ſit, quod *cap.* 16. Proceſſus S. Yvonis legitur: " Yvo filius Yvonis
„ Andreæ.... maledictus a matre, & datus &
„ conceſſus diabolo, ſtatim cecidit ad terram;
„ & arripuit eum vexatio in corde, & per to-
„ tum corpus, & cum veniſſet ad ſepulchrum
„ D. Yvonis.... ſtatim dictus filius ſenſit ſe li-
„ beratum..... ipſe liberatus, loquens de ma-
„ tre ſua, & de ſe, & de tempore, & de aliis....
„ Specificans etiam, quod quodam ſerò Mater
„ ejus ironicè prorupit contra eum in hæc ver-
„ ba: Es tu qui diffamaſti me? Deinde (*notâ*
„ *mulieris iram*) flexis genibus, & extractis ma-
„ millis de ſinu, dixit: ego do tibi maledi-
„ ctionem meam, & mammillarum iſtarum,
„ quas ſuxiſti, & viſcerum meorum, quæ te
„ portaverunt, & quidquid peperi de te, to-
„ tum trado, & concedo diabolo. „

LXXXIX. Quartum ſit illud exemplum, quod refert Auctor Vitæ B. Ambroſii Sanſedonii, 20. *Martii*. Cum quædam mulier comederet cum
„ filia ſua.... quæ ei indebitè reſpondebat, ma-
„ ledixit ei mater ſua, ſcilicet filiæ, quam ſta-
„ tim poſt maledictionem maligni ſpiritus in-
„ vaſerunt, " quæ poſtea ad ſepulchrum Beati liberata fuit.

XC. Quintum exhibent nunquam ſatis laudati Patres Bollandiani *lib.* 2. *cap.* 2. Vitæ S. Romani Monachi *die* 21. *Maii*. Cuidam filio matri injurio " Mater dixit: mala, quæ mihi, fili,
„ inconſulta impietate ingeris, ſuper caput tuum
„ redintegrentur. Talia intulit, atque illicò fi-

„ lius

„ lius potioris criminis, & majoris insolentiæ „ fomitem incurrens, dæmoniacæ possessionis est „ in hunc modum traditus excidio." Et tandem sextum. Ibidem legitur in Vita S. Petri Prioris Juliacensis *cap. 3. die 23. Junii.*" Quædam „ mulier .... habebat filium parvulum, cui irata dixit: diabolo te commendo puerorum infelicissimè. Antiquus verò hostis ad vocem matris manum pueri arripiens, cœpit eum trahere ad se: quod puer sentiens, manum suam „ ad se perterritus retraxit, quæ tam firmiter „ pectori ejus adhæsit, ut inde nullo modo „ posset avelli. Quod videns mater ejus, flens, „ & ejulans adducit eum ad B. Viri sepulchrum, „ qui mox, ut ibi dormivit, manus læsæ sanitatem recepit. „

LXXXXI. Loquendo verò de parvulis Baptismi fonte renatis, specialiter tres assignat rationes S. Augustinus, quare Deus permittat hos a dæmone vexari, & obsideri. Prima est, ut exinde cognoscamus vitæ hujus infelicitates, & ad desiderium æternorum accendamur. Hanc adducit *lib. 22. de Civit. Dei cap. 22.* inquiens: *Contra milleformes damonum incursus, quis innocentia sua fidit? quandoquidem, nequis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maxime, Deo sinente, ista monstretur hujus Vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas.* Aliam innuit causam ibidem, *lib. 21. cap. 14.* videlicet commutationem in meliorem vitam: *Nonnulli*, inquit, loquendo de parvulis, *& incursus spirituum malignorum aliquando patiuntur, quæ quidem passio absit ut eis obsit, si hanc vitam in illa ætate, etiam ipsa passione ingravescente, ac animam de corpore excludente, finierit.* Tertiam causam agnoscit *lib. 6. contra*

Julia-

Julianum cap. 10. nempè pœnam peccati originalis. *An non agnoſcis*, inquit, *etiam hoc ad illud grave jugum pertinere, quod eſt ſuperis fili Ada, a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium? In hoc autem Jaculo, a die ortus, uſque in diem obitus, etiam ipſos* (Infantes) *ſub eodem gravi jugo conteri, quandoquidem etiam Baptizati parvuli, inter alia mala vitæ hujus, nonnunquam & iſtos dæmonum patiuntur incurſus.* Quartam addamus cauſam, quam adducit S. Auxentius Presbyter, & Archimandrita, ut legitur in ejus Vita *cap.* 4. *die* 14. *Februarii*; cum enim quidam adduxiſſent ad eum *infantem circiter trium annorum, qui poſſidebatur a dæmone.... cœpit dicere iis, qui aderant. Ne exiſtimetis.... hunc puerum peccaſſe.... Sed hoc propter nos contingit, & propter noſtram converſionem.*

LXXXXII. Si ſermo ſit de infantibus non baptizatis, non rarò permittit Deus illos etiam a dæmonibus occidi, tum propter originale peccatum, quo infecti ſunt, tum propter alias cauſas nobis incognitas, unde D. Hieronymus Epiſtola ad Paulam, de dormitione Bleſillæ, de pueris obſeſſis generaliter loquens, ajebat: *Quid cauſæ eſt, ut ſæpe bimuli trimulique, & ubera materna lactentes a dæmonio corripiantur? Judicia enim Domini abyſſus multa, & ò profundum divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

LXXXXIII. Parcat Lector, ſi in ſolius tituli Commentario adeo ſusè progreſſi ſumus; id enim exigebant quædam, quæ tanquam prolegomena præmittenda erant, velut totius Operis fundamenta. Feſtinè igitur procedamus ad

DOCUMENTUM I.

SAcerdos, seu quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos a dæmone exorcizaturus, ea, qua par est, pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debet, qui non sua, sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate constanter, & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitatum reverendum.

SUMMARIUM.

1. *COnvenientius per Sacerdotem exorcismi fiunt super obsessos, quam per Clericum.*
2. *Hinc rejicitur Natalis Alexandri placitum.*
3. *Et multo magis Nicolai Aletensis Episcopi sententia.*
4. *Legitimus adjurationis dæmonum minister, debet saltem esse Ordine Exorcistatus insignitus, & num. 5.*
6. *Exorcistatus est in Ecclesia antiquissimus.*

7. Est

7. *Eſt ordo habens veram rationem Sacramenti ad num. 9.*
10. *Aliqui tamen id negant, alii dubitant.*
11. *Argumenta negantia P. Chriſtiani Lupi referuntur, ad num. 13.*
14. *Et ſolvuntur ad num. 16.*
17. *Alia ejuſdem auctoris objectiones producuntur ad num. 19.*
20. *Quibus ſit ſatis ad num. 23.*
24. *Dato etiam, quod Exorciſtatus non eſſet Sacramentum, non infirmatur intentum noſtrum, cum innegabile ſit, poteſtatem exorcizandi damones eſſe in Eccleſia.*
25. *Non eſt tamen ſacramentum, prout miniſterium eſt.*
26. *Quod probatur contra P. Candidum Brognolum.*
27. *Prater poteſtatem Ordinis, requiritur in Miniſtro poteſtas juriſdictionis.*
28. *Hac duplici poteſtate, Exorciſta poteſt adjurare infantes, & adultos baptizandos, cum quadam tamen limitatione.*
29. *Non tamen Moniales obſeſſas; abſque peculiari Sacra Congregationis licentia.*
30. *Pietas requiritur in Exorciſta.*
31. *Item & prudentia.*
32. *Imo, & integritas Vita.*
33. *Poteſtas Exorciſta eſt a Deo.*
34. *Debet Exorciſta fugere omnem queſtum.*
35. *Debet in conſtantia perſeverare.*
36. *Inſuper humiliter ſe gerere ad num. 39.*
40. *Exorciſta debet eſſe etatis matura.*
41. *Et officio, ac moribus reverendus.*

COM-

COMMENTARIUM.

Sacerdos.

I. COnvenientius est per Sacerdotem, super vexatos a dæmone fieri exorcismos, quia convenientius ab illis exercetur hoc munus, qui majorem habent ex vi characteris Sacerdotalis, dignitatem, potestatem, ac imperium super dæmones: quique ministerio suo exactius satisfacere possunt, utendo videlicet stola, dicendo: *Dominus vobiscum*, cum super energumenos Evangelia leguntur, Missam prius celebrando &c. quæ omnia a Rituali Romano præscribuntur in hoc ministerio observanda, ut videbimus circa finem hujus Operis.

II. Hinc assentiri non possum omnino iis, quæ tradit Natalis Alexander, in sua Theologia Dogmatica, & Morali *lib.* 2. de Sacramento Ordinis *art.* 4. §. 3. ubi asserit: " Optimum interdum fore, illam exorcistatus functionem non „ a Presbyteris, multò minus ab Episcopis, sed „ ab Exorcistis junioribus, ab adolescentulis ad „ hoc officium ordinatis, ac morum innocentia, „ & sapientia huic ministerio paribus, exerceri, „ ad majorem dæmonis *Contemptum*, & confusionem. „

III. Multò minus assentior iis, quæ scripsit D. Nicolaus Aletensis Episcopus in Instructionibus Ritualis suæ Diœcesis, ubi de instructione circa exorcismos loquens, hæc habet: „ certè maximè convenit solos deputari Exorcistas ad hoc „ munus exequendum, non Presbyteros, non „ Episcopos, vel eos, qui majori fulgent in Ecclesia, sive potestate, sive ordine; sic enim, „ & superbia diaboli labefactatur magis, & Exor-

„ cistarum

„ cistarum ordo a sui muneris administratione
„ non vacabit, & non perinvitus ab obsesso cor-
„ pore aufugiet dæmon, cui nullus erit suspi-
„ cioni locus, se ab hominibus aut coli, aut ho-
„ norari, dum videt se non expelli per Eccle-
„ siæ Optimates, Sacerdotes, & Episcopos, sed
„ sola eorum potestate, qui in ecclesiastica Hie-
„ rarchia infimum locum tenent." Hæc Aletensis Episcopus, cujus verba Gallico sermone conscripta latinè dedimus. An autem eadem sint, quæ profert eruditissimus P. Christianus Lupus *in scholiis, & notis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus cap.* 41. quæque a se transcripta asserit *ex scholiis Ritualis Romani* ejusdem Episcopi Aletensis, ignoro; hoc unum scio, quod hic articulus est contrarius antiquis, & recentioribus moribus, ut colligere quisque facilè poterit excatalogo quamplurimorum Sanctorũ, qui Sacerdotali, imo Pontificali honore insigniti; exorcismos egerunt, quem referam in Commentario Documenti VIII. num. 12.

Sive quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister.

IV. Hic legitimus Ecclesiæ Minister debet esse saltem ad Ordinem Exorcistatus ab Ecclesia assumptus; licet enim hæc potestas dæmones adjurandi, & expellendi concessa videatur omnibus credentibus, juxta illud Christi Domini Marci ultim. v. 17. *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient;* & revera in primitiva Ecclesia non tantum Clerici, sed & Laici a corporibus obsessis, in Christi nomine dæmones expellebant, ut colligitur ex Tertulliano, pluribus in locis *infra*

num. 13. citandis tamen præsens Ecclesiæ disciplina est, solum Clericos saltem in Exorcistatus Ordine constitutos, posse hoc munus exercere, ut statuit Concil. Laodicenum *can.* 26. his verbis: *Eos adjurare non oportet, qui ab Episcopis promoti non sunt neque in Ecclesiis, neque in diebus.* Ad quem Canonem respiciens Alcuinus, scribit *lib. de Divinis officiis cap.* 35. de Tonsura Cleric. *Illud ministerium,* loquitur de officio Exorcistæ, *ut canones dicunt, nemo debet usurpare, nisi, qui officium habet, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Exorcista.*

V. Quod serio monuerunt Patres Synodi Attrebatensis in Galliis anno 1025. celebratæ, penes D. Acheryum tom. 1. *Spicilegii*, ubi *tit. de sacris Ordinibus* legitur: *Quam effugandorum dæmonum potestatem nulla manuum impositione, aut Sacerdotalis benedictionis prærogativa donati, olim quidam usurpare volentes, ab obsessis corporibus dæmones per Exorcismum tentabant ejicere, sicut de Filiis Scevæ Judæi, liber Apostolorum commemorat. Qui cum in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, spiritus immundos exorcizarent, concito indignantis spiritus furore vexati, temeritatisque ausum ultore spiritu luentes, audierunt increpantis responsum hoc modo: Jesum novi, & Paulum scio; vos autem qui estis? & continuo insiluit in eos spiritu immundus.* Actor. 19. v. 15. *Quibus illa sui pœna furoris sane dedit judicium, quia non erant ex eorum numero, quibus hoc donum gratia, auctoritate Sacerdotali præstitum fuerat.*

VI. Non sufficit tamen sola potestas Ordinis, ut quis dicatur *Legitimus Ecclesiæ Minister*, sed insuper requiritur potestas jurisdictionis, de qua infra erit sermo. Interim, ut

vis

vis potestatis, quæ recipitur in Ordine melius percipiatur; in primis pro certo tenendum est, Exorcistatum esse in Ecclesia antiquissimum: illius namque meminit S. Ignatius in Epist. ad Antiochenos. *Saluto*, inquit .... *Exorcistas*. Author Constitutionum, quæ tribuuntur Apostolis meminit Exorcistæ *cap.* 26. Tertullianus *lib. de Præscriptionibus cap.* 41. D. Cyprianus, *Epist.* 77. *& alibi*. D. Cornelius, apud Eusebium, *lib.* 6. *c.* 43. dicit, Romæ fuisse *Exorcistas, Lectores, una cum Ostiariis quadraginta duos*. Synodus Romana sub Sylvestro *cap.* 7. statuit, quod *Acolytho Exorcista, Exorcista Lector .... in omni loco repræsentet obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ*. Ejusdem meminit, *cap.* 11. D. Ambrosius ad *cap.* 4. Epistolæ ad Ephesios: *Magistri*, inquit, *Exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt, & verberant inquietos*. S. Eusebius Vercellensis *Epist. ad Episcopos Italiæ*, meminit: Victorini Exorcistæ. Siricius *Epist.* 1. *cap.* 10. *Qui vero*, ait, *ætate grandævus, melioris propositi conversatione provocatus, ex Laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur*. D. Hieronymus ad *cap.* 2. *Epist. ad Titum* dicit, etiam Exorcistas debere *magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, & scientia præcedant*. Concilium Carthaginense IV. can. 7. præscribit modum Ordinationis Exorcistæ. Zosimus *Epist. ad Hesychium cap.* 1. *Assuescat*, inquit, *in Domini castris in Lectorum primitus gradu, Divini rudimenta servitii, nec illi sit vile Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri, nec hoc saltu, sed statu-*

tis majorum ordinatione temporibus. Ita ordinatum jam prius legimus S. Felicem Martyrem apud S. Paulinum in ejus Vita: ..... *Primis Lector servivit in annis, (inde gradum cœpit cui munus voce fideli) adjurare malos, & sacris pellere verbis*. Et tandem D. Isidorus Hispalensis de officiis Ecclesiasticis *lib. 2. cap. 13.* ait: *in primo ordine, & ministerio Ecclesiæ esse Exorcistas secundum officia, quæ in Templo Salomonis erant dispositæ, quæque posterius sunt ab Esdra dispartita invenimus; eosque quos Esdras actores memorat Templi, nunc esse Exorcistas in Ecclesia Dei*.

VII. Secundò, ut vis potestatis hujus ordinis magis, magisque explicetur, tenendum est, Exorcistatum veram rationem Sacramenti habere, perantiqua enim est in Ecclesia ejus mentio, ut jam dictum est, adeoque non aliundè, quam ex divina institutione, & traditione ad nos usque pervenisse credendum est.

VIII. Præterea D. Hieronymus *lib. adversus Vigilantium* dicit: *Episcopum, Diaconos, aliosque Clericos ordinantem, Christi Sacramenta tribuere*; quibus verbis significat omnes generatim Ordines habere rationem, & dignitatem Sacramenti, & consequenter etiam Exorcistatum. S. August. *lib. de bono conjugali cap. 24.* testatur, in omnibus Ordinatis permanere Sacramentum Ordinationis, etiamsi plebi congregandæ non serviant, vel ob culpam ab officio removeantur: *quemadmodum*, inquit, *si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis; & si aliqua culpa quisquam ab officio removeretur, Sacramento Domini semel imposito, non carebit, quamvis ad judicium permanente*. Con-

sequens

ſequens ergo eſt hæc non tantum eſſe officia quædam humanitus inſtituta, ſed Sacramenti vim habentia, quia ſemel accepta amitti non poſſunt propter characterem perpetuum, qui per ea confertur. Inſuper in ſacris Canonibus fit mentio *Ordinationis* non ſolum quando de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, ſed etiam quando de Exorciſtis, & inferioribus miniſtris conſtituendis agitur, eo autem vocabulo ſignificari ſolet ſacramentum Ordinationis; quod magis manifeſtum fit, ſi attendatur modus loquendi Concilii Carthaginenſis IV. quod *can.* 3. ait: *Presbyter cum ordinatur*, can. 4. *Diaconus cum ordinatur*, & ſimiliter can. 7. *Exorciſta cum ordinatur*, ubi tamen cum can. 10. *ad Pſalmiſtas*, can. 11. *ad Sanctimoniales*, & 12. *ad viduas* ventum eſt, nulla fit mentio *ordinationis*, ſed ſolum *electionis*; unde ſicut perſpicuum eſt ordinationem Presbyteri, & Diaconi Sacramentum eſſe, ita de Exorciſtæ ordinatione idem eſt ſentiendum; alias enim Concilium de Exorciſtis loqueretur, ſicut de Pſalmiſtis, Sanctimonialibus, Virginibus, & Viduis.

IX. Tandem aſſertum noſtrum confirment Concilium Florentinum, & Tridentinum; primum enim poſtquam dixit in Decreto Eugenii, pro inſtructione Armenorum: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo*; exemplificavitque de Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, ſtatim ſubjungit: *& ſimiliter de aliis*. Idem præſtat poſt recitatam formam Sacerdotii his verbis: *& ſic de aliorum ordinum formis; prout in Pontificali Romano continetur late*. Igitur cenſet, etiam in inferioribus ordinibus reperiri materiam, & formam Sacramenti, ac proinde exiſtimat, omnes ordines veram

Sacramenti rationem obtinere, & consequenter etiam Exorcistatum. Secundum, nempè Tridentinum idem judicat; quamquam enim hanc veritatem disertè non explicet, tamen cum *sess. 23. cap. 2.* dixisset: *non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur quamvis non pari gradu*; cap. 3. sequenti absolutè pronuntiat: *Ordinem esse verè, & propriè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*, ubi nullam facit distinctionem inter Ordines, qui sint Sacramenta, & qui non sint. Quibus significat se nullum Ordinem, & consequenter nec Exorcistatum a ratione Sacramenti excludere. Quod evidentius declarat *can. 3.* ejusdem sessionis; nam cum *can. 2.* præmisisset *in Ecclesia Catholica alios ordines, & majores, & minores*, præter Sacerdotium, esse, statim subdit: *Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum.... anathema sit*; ubi cum nullum discrimen proferat inter ordines, qui habeant rationem Sacramenti, & qui non habeant, haud dubium est, quia existimet omnes prorsus ordines, & consequenter Exorcistatum Sacramenti rationem obtinere.

X. Scio Durandum ex antiquis, Morinum, Juyeninum, Contensonum, alioſque perpaucos ex recentioribus asserere, Ordines minores non esse Sacramenta, Estium super hac re, sicut & Natalem Alexandrum nihil decernere; verum quia eorum communia argumenta soluta inve-

nies

nies apud Sylvium *in 3. parte q. 37. art. 2. quæst.* 1. ideo ad hunc doctissimum Scriptorem lectorem remittimus, & solum in iis quæ profert P. Christianus Lupus immediatè contra Exorcistatus ordinem, quæque apud neminem, soluta (quod sciamus) reperiuntur, parumper immorabimur.

XI. Hic ergo præstantissimus Scriptor *tom. 9.* ejus operum editionis Venetæ 1727. in scholiis, & notis ad librum Tertulliani *de Præscriptionibus capite* 41. pluribus ostendere conatur, Exorcistæ munus in primitiva Ecclesia non fuisse ordinem, sed gratiam gratis datam, qua deinde cessante, Ecclesia Exorcistas Clericos instituit, & consequenter Exorcistatum non esse ordinem. Audiamus ejus argumenta. Primum est hujusmodi. De Christianis Exorcistis Romani Clementis Constitutiones lib. 8. cap. 26. *Exorcista non fit ordinatione. Certare enim pro præmio Exorcistæ liberæ voluntatis est, ac Dei gratiæ per Christum, & adventum Spiritus Sancti.* Exorcistæ munus vult esse non Ecclesiasticum Ordinem, sed gratis datam gratiam, qualis est gratia sanitatum, aut aliorum miraculorum.

XII. Consonat in homiliis super primam ad Corinthios Epistolam S. Joannes Chrysostomus *hom.* 29. Consueta enim in Baptismo donari charismata laudat, atque adjungit. *Quoniam Apostoli hoc quoque primum signum acceperat, fideles quique hoc accipiebant, nempè linguarum, & non hoc solum, sed etiam multa alia. Nam & mortuos multi excitabant, & dæmones expellebant, & plura alia faciebant miracula. Quin etiam multa alia habebant charismata, alii pauciora, alii plura.* Lucidè dicit, non in ordinatione, sed statim, licet non cunctis, in Baptismo donatam virtutem hanc, adeoque ipsam

non clericalem fuisse gradum, sed gratiam gratis datam.

XIII. Quod ipsum manifestè tradit in libro Apologetico noster Doctor: (loquitur de Tertulliano, cujus librum scholiis, & notis doctissimè illustrat) *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet, jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso*. Ejusmodi dæmonum adjurationem, atque ejectiones affirmat esse quotidianas, eo quod omnis illa mendax, & ficta paganorum divinitas subsit non tantummodo nostris clericis, sed quibuslibet christianis. Id ipsum affirmat in libro ad Scapulam Africæ Proconsulem, ac exemplis demonstrat cap. 2. & 4. *Quanti honesti viri, de vulgaribus enim non dicimus, aut dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt. Ipse enim Severus* Imperator, *Pater* regnantis tunc *Antonini* Caracallæ *Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Evodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad ejus mortem*. Proculus ille erat omninò laicus; etenim clericum esse laicæ mulieris procuratorem nullo modo permittebat disciplina istius temporis. Et in libro de Corona Militis Doctor affirmat *cap.* 11. Christianum non posse fieri militem, & adjungit causam: *Excubabit pro templis, quibus renunciavit? & quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit?* Nequaquam ad solos Clericos, sed manifestè concionatur ad omnes Christianos. Eosdem alloquitur in libro, ad Castitatem exhortatio: *si dæmonem adjurat, confidit sibi*. Plura habet istius modi loca. Quin igitur omnis tunc Christianus exor-

exorciſmos ageret, non eſt dubitandum. Hæc Lupus.

XIV. Verum ad hæc omnia reſponſionem habemus ex iis, quæ communiter docent Theologi, in primitiva nempe Eccleſia Exorciſtas fuiſſe in duplici differentia, quidam enim vim habebant dæmones ejiciendi ex gratia gratis data, & abſque ulla ordinatione: alii verò erant Exorciſtæ per ordinationem, qui videlicet ſuæ ordinationis virtute poteſtatem habebant dæmones ab energumenorum corporibus ejiciendi. Porro de primis loquuntur SS. Patres a Lupo adducti, & primo Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum. Ipſe quidem dicit, juxta Editionem Cotelerii: *Exorciſta non ordinatur*, ſed ſtatim ſubdit: *Hæc enim certaminis laus pendet a libera, & bona voluntate, & a gratia Dei per Chriſtum*. Imò agit de illa gratia energumenos liberandi, quæ eſt gratia curationum; ait enim poſt prælaudata verba: *Qui enim accepit chariſma, ſeu donum ſanctionum*. Hanc autem eſse gratiam gratis datam nemo non videt.

XV. Similiter S. Joannem Chryſoſtomum de gratia gratis data loqui non eſt dubitandum; ante enim prædicta arguentis verba ſcribit: *Si quis fuerat baptizatus, linguis ſtatim loquebatur, & non linguis ſolum, ſed etiam multi prophetabant, quidam autem etiam alias plures oſtendebant virtutes*, & aſſumit verba Apoſtoli: *unicuique autem manifeſtatio ſpiritus datur ad utilitatem*; ſubdens *chariſmata, ſeu dona gratuita nominans manifeſtationem Spiritus*. Poſt hæc ſubdit textum a Lupo allatum, qui pariter totus eſt de chariſmatibus, & gratiis gratis datis, atque miraculis.

XVI. Hoc idem dicendum eſt ad Tertulliani teſti-

teſtimonia, ut conſtat ex ipſius verbis in argumento allatis, & magis manifeſtum fit ex ipſo Tertulliano, qui ibidem arguit mulieres procacitatis eo quod audeant exorcizare. *Ipſæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces! quæ audeant exorciſmos agere*. Super quæ verba ipſemet P. Chriſtianus Lupus quærens, quare Tertullianus fœminas aufas exorcizare arguat procacitatis, cum tamen plurimis Fidelibus, vel omnibus ex conſueta Baptiſmi gratia competebat? Reſpondet, quia „ ſuo ſexui non ſunt do„ nata chariſmata. „ Quare ſequitur, ideo viris etiam ſæcularibus licuiſſe, quia chariſmata in Baptiſmate accipiebant; non ſic autem mulieres, & conſequenter de gratia gratis data apertiſſimè Tertullianum fuiſſe locutum. His omnibus ergo Patrum teſtimoniis, quibus ſtatuitur expulſionem dæmonis eſſe ex gratia gratis data, non excluditur poteſtas, quæ ex ordine procedit, quod eſt id, quod P. Lupus probare deberet.

XVII. Dices tamen, excludi exorciſticam poteſtatem ordinis, & firmari ſolam poteſtatem, quæ ex gratia gratis data procedebat, ſi nulla a Patribus Latinis primi, & ſecundi ſæculi ejuſdem ordinis mentio fiat, imò nulla apud Patres Græcos cujuſcunque ſæculi. Porro res ita ſe habet; quod probari poteſt quoad PP. latinos ex reliquis argumentis, quæ profert idem Lupus *loco citato*, intendens Exorciſtatus ordinem fuiſſe ab Eccleſia ſequentibus temporibus inſtitutum.

XVIII. Dudum, inquit, in latina Eccleſia ſoli Sacerdotes exorciſtæ erant, ut colligitur ex Decreto Innocentii I. *Epiſt.* 1. *ad Decentium Epiſcopum Eugubinum* cap. 6. *De his*, inquit, *baptizatis, qui poſtea a dæmonio corripiuntur quæſivit dilectio tua, ſi a Presbytero, vel Diaco-*

no

no possint, aut debeant consignari? Quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi; ut autem fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei vel a Presbytero, vel a cæteris Clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad Episcopum deducatur, cum si talis casus ei in itinere acciderit, perferri ad Episcopum, nec referri ad sua facile possit. Energumenos exorcizare erat tunc a minoribus Clericis adeo alienum, ut plures Italorum Episcopi censuerint privativè spectari ad se se solos, & sine singulari Episcopi mandato non poterat fieri. Hæc ille, inferens, apud latinos etiam non semper extitisse Ordinem Exorcistatus, cum hæc manuum impositio fieret a solis Sacerdotibus, & consequenter esse gradum ab Ecclesia institutum.

XIX. Confirmat hoc. In primo Officiorum libro *cap.* 44. scribit S. Ambrosius: *Alius Clericus distinguendæ lectioni aptior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, & quod cuique congruerit, id officii deputet.* Loquitur, ait Lupus, de pleno universi cleri corpore, ideoque & de Presbyteris.

XX. Verum huic instantiæ respondeo, nullam fieri mentionem a Patribus Latinis primi sæculi ordinis Exorcistatus, quia propter paucitatem Fidelium omnia illa Ecclesiastica officia committebantur Diaconis. Procedente verò tempore, jamque numero fidelium, non diù post Ecclesiæ primordia, crescente, ministeria, quæ ab invicem erant separabilia, separata sunt, & in diversos ministros distributa, ut manifestum

ſtum eſt ex Patribus *ſupra num. 6.* relatis. Qua ratione non tunc de novo inſtituti ſunt ordines minores, ſed ſolum qui prius adminiſtrabantur per unum, cœperunt ſingulis diſtribui. Audiatur D. Thomas, cujus tota eſt doctrina *in 4. diſtin. 24. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 2.* qua ſoluta manent Lupi argumenta. *In primitiva*, inquit Angelicus Doctor, *Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur, ut patet per Dionyſium* 3. cap. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, *ubi dicit: Miniſtrorum alii ſtant ad portas Templi clauſas, alii aliud quid proprii ordinis operantur, alii cum Sacerdotibus proponunt ſuper Altare Sacrum panem, & benedictionis Calicem. Nihilominus erant omnes prædicta poteſtates, ſed implicitè in una Diaconi poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus divinus, & Eccleſia quod implicitè habebat in uno Ordine, explicitè tradit in diverſis.* Quod pariter docet D. Bonaventura *ibid. art. 2. q. 1. ad 3.* poſt quæ verba addit doctiſſimus Morinus *de Sacris Ordinationibus, part. 3. exercitat. 11. cap. 4. n. 13.* Secundum igitur illos Doctores inſtitutionis ſunt Eccleſiaſticæ, ſed in radice ſua, in fonte, & principio ſuo Apoſtolicæ, & Divinæ, Diaconatu videlicet, quem Apoſtoli inſtituerunt. Diaconatus enim non modo eminenter, ſed etiam formaliter continet omnes inferiores ordines, quos Eccleſia poſtmodum creſcente fidelium numero, de Diaconatu deduxit, & explicat, ſed Diaconus omnia illa miniſteria præſtabat.

XXI. Cæterum ſi ſeorſim reſpondere velimus Lupi momentis, quæ tamen Epiſcopi Aletenſis ſententiam *num. 3.* ſupra relatam evertunt, reſponſio in promptu eſt, & quidem ad teſtimonium Innocentii non incommodè dicere

poſ-

possumus, ibi loqui S. Pontificem de potestate jurisdictionis, non de potestate Ordinis; quod eruitur ex verbis ipsis: *quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nisi Episcopus authoritatem dederit id efficiendi, ut autem fiat Episcopi est imperare, ut manus ei, vel a Presbytero, vel a cæteris Clericis imponatur.* Unde Itali Episcopi censuerunt privativè spectare ad se solos potestate jurisdictionis ordinaria manus energumenis imponere, cum Clericis solum jurisdictionis delegata posse concedi Pontifex declaret.

XXII. Ad illud Divi Ambrosii, dico ipsum non loqui, de universi Cleri corpore, ideoque non de Presbyteris, sed solum sermonem facere de minoribus Ordinibus, & Officiis, nam S. Ambrosius loquitur de illis Clericis, qui sunt *in lubrica ætate, in alacri adolescentia vitæ*, ut scribit paulò post S. Doctor. His singulis *quid congruat, id officii deputet* Episcopus. Presbyteri namque, D. Ambrosii tempore, non assumebantur ad tantam Sacerdotii dignitatem, nisi ætatis *anno* 35. ut ex Siricio, & Zosimo observat, & ostendit Thomasinus, de Ecclesiæ disciplina *tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 67.

XXIII. Quoad Græcos, possem in primis negare assumptum, cum S. Ignatius Epistola supra laudata, & D. Dionysius Areopagita, de *Ecclesiastica Hierarchia part.* 3. *cap.* 3. de Exorcistis mentionem faciant: verum quia aliqui, licet minus plausibiliter Auctorem dictorum Operum, adeoque, & eorum antiquitatem in dubium vertunt, respondeo, eo modo, quo supra dictum est ex S. Thoma, videlicet, apud ipsos hoc Ministerium Exorcistatus committi Diacono, & implicitè esse in Diaconi potestate, eo modo quo fiebat in primitiva Ecclesia.

XXIII.

XXIV. Sed ut ut sit de hac controversia; Demus, Exorcistatus gradum non esse Sacramentum, nunquid propter hoc efficacia hujus potestatis Ordinis vacillat, & fluctuat? Neutiquam profectò. Constans namque Patrum, & Theologorum sententia est, Christum Dominum Ecclesiæ suæ sponsæ potestatem reliquisse dæmones è corporibus expellendi. Et revera si talis erat potestas in Ecclesia Judæorum ejiciendi diabolum virtute Dei, ut colligitur ex illo Matth. 12. v. 22. *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Ubi Tostatus *quæst.* 64. super eadem verba, in Persona Christi sic loquitur: *Non est verisimile, quod dicatis, scilicet me ejicere dæmonia in Beelzebub, quia ego, & Filii vestri ejicimus dæmonia in eadem potestate, & tamen non conceditis, quod filii vestri ejiciant illa in Beelzebub, nec ergo debetis asserere, quod ego ejiciam in Beelzebub, sed in virtute Dei, sicut filii vestri.* Deinde subdit: *Quod autem dicitur: Filii vestri, accipitur de Exorcistis, nam apud Judæos erant Exorcistæ..... sicque de istis Exorcistis Christus loquebatur, qui erant filii Judæorum, id est de gente illa.* Quæ interpretatio conformis est iis, quæ tradit D. Hieronymus super hunc Matthæi locum: Si, inquam, talis in Judæorum Ecclesia potestas erat, nonnè multo magis in Ecclesia Christi est admittenda? Profectò hanc Salvator tradit Matthæi 10. Marci 3. & Luc. 9. *Convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spiritum immundorum, ut ejicerent eos;* & Marci 16. v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient. Per quæ*, inquit Alphonsus a Castro *lib.* 6. adversus hæreses, Verb. *Exorcismus, promisit non tantum Exorcistis, sed toti Ecclesiæ se nunquam illorum invocatione defuturum, qui nomen ipsius inter-*

po-

poſuerit. Et Titus Boſtrenſis, ſive alter, qui eſt Auctor Commentariorum in Matthæum cap. 12. penes Bibliothecam PP. *tom.* 4. ſuper illa verba: *Ecce dedi poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones*, ait: *Quod enim de ſerpentibus, & ſcorpionibus hoc loco ſcribitur, hoc totum ad diabolum, & dæmones, qui una cum illo a Chriſti Dei noſtri ſervis, a quo tantam illi poteſtatem acceperunt, calcantur referendum eſt*. Hanc ergo poteſtatem communicat Eccleſia Exorciſtis, cum nos per Epiſcopum *Idoneos miniſtros novi Teſtamenti facit* contra rectores tenebrarum, & conſequenter ſi quis non acquieſcat communi Theologorum ſententiæ poteſtatem ſcilicet hanc conferri ex vi Ordinis, qui ſit ſimul Sacramentum; fateri ſaltem debet, conferri voluntatem Eccleſiæ, ex facultate Chriſti, cum in Ordinatione ait: *Habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive cathecumenos*.

XXV. Non acquieſco tamen ſententiæ P. Candidi Brognoli, alias in hac de qua agimus materia, apprimè verſati, qui in Manuali Exorciſtarum *part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. §. 4. *& ſeqq.* conatur oſtendere, Exorciſtatus Ordinem Sacramentum eſſe etiam prout Miniſterium eſt, ſeu prout actu exercetur, quia ſcilicet in exercitio hujus Ordinis omnia concurrunt, quæ in Sacramentis. Cauſa enim principalis eſt Deus, qui dæmonem expellit; cauſa inſtrumentalis Exorciſta, qui in nomine Jeſu operatur; materia remota eſt dæmon expellendus; proxima, paſſiva dæmonis expulſio, cooperante vexato (ſi eſt capax rationis) per actus liberi arbitrii; nempe fidei, aliarumque virtutum: ſi verò non ſit rationis capax, tunc pro eo ſupplet Eccleſia, ut in Sacramento Baptiſmi: forma remota ſunt

verba

verba a Christo instituta Marci ultimo v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient*; forma proxima prolatio hujusmodi verborum. Præterea requiritur in ministro intentio expellendi dæmonem, sive faciendi quod facere intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit faciendum. Insuper Exorcismus infallibiliter suum producit effectum, si adsint omnia requisita, nec adsint defectus, sive ex parte intentionis Exorcistæ, sive materiæ, sive formæ, sive obsessi.

XXVI. Sed sicut nullus alius, quem viderim, auctor id asserit, ita hanc amplecti sententiam non audeo, eò vel magis, quod nunquam audivi, Exorcistam, si energumenum liberet, conficere Sacramentum. Præterea in Sacramento Pœnitentiæ, injuria fieret Sacramento super eandem materiam in una, eademque peccatorum Confessione, cum iisdem dispositionibus formam non semel, sed bis, vel ter proferre; licet enim non requiratur materia remota diversa, quia scilicet eadem peccata utile est sæpe cum dolore, detestatione, & satisfaciendi proposito confiteri; diversa tamen materia proxima pœnitentiæ necessaria est, ut absolutio iterum conferatur: Uni ergo Confessioni una respondet absolutio, sed cum diversæ sunt Confessiones, iterari absolutio eorumdem peccatorum potest, ut communiter docent Theologi. Et tamen exorcismi, qui essent forma, super eadem proxima materia repetuntur, & a nostro rituali tres successivè recitandi assignantur, qui *quatenus opus fuerit, repeti possunt*. Insuper forma Sacramentorum nedum est efficax, sed infallibilis, ita quod positis omnibus requisitis tam in ministro, quam in subjecto &c. infallibiliter suum producit effectum. In nostro autem casu non sic interdum evenit etiam positis requisitis in Exorcista, & dispo-

posi-

spositionibus in vexato, dicente D. Augustino lib. 83. *Quæstionum* quæst. 79. *Cum non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum, atque utile judicat.* Et Divus Bernardinus Senensis tom. 4. ait: *Si videris aliquem dæmoniacum, si vultis eum liberare .... liberabitur, si erit pro meliori animæ suæ.* Quod concedit etiam idem P. Broguolus in Manuali *parte* 3. *cap.* 4. *art.* 4. *quæst.* 1. §. 2. *num.* 708. Tandem gratiam Sanctificantem non confert exorcismus, & ideo a ratione Sacramenti distat Exorcistatus, quatenus ministerium est, seu quatenus actu exercetur.

XXVII. Expeditis iis, quæ ad potestatem Ordinis explicandam, tradere opportunum duximus, de potestate Jurisdictionis modo agendum est, & quidem brevius: nam & ipsa ad legitimum Ecclesiæ ministrum formandum requiritur, quia si superior subditos non assignet, nequit Exorcista Ordinis potestatem licitè exercere. Hinc in Concilio Mediolanensi IV. sub S. Carolo pro sua Diœcesi statutum est: *Ne Sacerdoti, Clericove sæculari, aut regulari Exorcismum energumenis adhibere liceat, nisi Exorcizandi facultatem scripto exaratam ab Episcopo impetraverit.* Quod & in aliis Diœcesibus in usu est, & in regularibus insuper sui superioris facultas exigitur.

XXVIII. An autem Exorcista obtenta jurisdictionis potestate possit exorcizare sive infantes, sive adultos baptizandos, negat Estius in 4. *dist.* 24. §. 12. quia scilicet Exorcismi, qui in Baptismo adhibentur non comprehenduntur in officio Exorcistæ, sed magis spectant ad officium Sacerdotis, qui baptizaturus est. Affirmat verò Honorius Augustodunensis *in Gemma Animæ cap.* 177. loquens enim de meris Exorcistis, ait: *In Ecclesia*

autem habent officium infantes catechizandos exorcizare, & per verba Dei, id est Baptizandorum corpora damonibus interdicere, ac de energumenis, id est de obsessis corporibus per exorcismos dæmonia arcere. Hanc sententiam amplectimur cum limitatione tamen, quam assignat S. Thomas in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 3. *Dicendum, quod exorcizare ad Exorcistas pertinet ex proprio officio ordinis; nihilominus tamen est superiorum Ordinum; tamen propter ostendendam unitatem Baptismi, consuetum est in Ecclesia, ut totum, quod ad Baptismum pertinet, expleatur ab uno, scilicet Sacerdote.... in primitiva Ecclesia quandoque magna turba simul ad Baptismum accedebat, & erant pauci Sacerdotes, unde hujusmodi Sacramentalia relinquebantur in minoribus Ordinibus constitutis.*

XXIX. Extra controversiam tamen est, Exorcistam habentem etiam a suo Ordinario potestatem jurisdictionis non posse Moniales exorcizare, sed requiritur Sacræ Congregationis facultas, juxta ejusdem Sacræ Congregationis Decretum relatum a Lezana *tom.* 2. Verbo *Clausura num.* 28. cujus tenor est: *Monialis nulla energumena infra Monasterii septa a quocunque Presbytero sæculari, vel regulari, etiam Confessario exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem ejusdem Monasterii, obtenta prius a Sac. Congregatione licentia, ea de causa deducatur &c.*

Pietate.

XXX. Pietas dupliciter usurpari potest, & eam usurpat S. August. *de Civit. Dei lib.* 10. *cap.* 1. nempe, & quatenus cultus Dei est, & quatenus opus misericordiæ est erga proximum. *Pietas*, inquit, *proprie Dei cultus in-*

tel-

telligi solet .... more autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur. Utroque modo Exorcistam pietate suffultum esse convenit, exhibendo scilicet in suo ministerio honorem debitum Deo, & opere suo misericordiam erga vexatum impendendo.

Prudentia.

XXXI. Hæc virtus est, *qua ab utilibus inutilia discernit, & docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit*, ex D. Bernardo Serm. 72. *de diversis*. Seu brevius ex D. August. lib. 83. *Quæstionum* quæst. 61. *est cognitio appetendarum, & vitandarum rerum*. Hanc porrò scientiam acquiret Exorcista, si Ritualis Romani præcepta, pleraque alia in his Commentariis indicata discet, atque observabit.

Vitæ Integritate.

XXXII. *Si quis enim*, ait S. Cyprianus ad Fortunatum de exhortation. Martyr. in Præfat. *dominica præcepta custodiens, & fortiter Christi vestigiis adhærens contra eum steterit* (nempe diabolum) *vincatur necesse est, quia Christus, quem confitemur, invictus est*. Quare S. Ecclesia considerans quàm necessaria sit morum integritas in Exorcistis, ut efficaciter, ac tutò suum exercere valeant officium, nedum hic, sed in ipsa ordinatione eos his verbis monet: *studete, ut sicut à corporibus aliorum dæmones expellitis, ita à mentibus vestris omnem immunditiam, & nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro Ministerio effugatis. Discite post officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris*

inimicus valeat vindicare. Tunc etenim rectè in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis multimodam eorum nequitiam superabitis. Pontific. Rom. in Ordinat. Exorcistæ.

Non sua, sed divina fretus virtute.

XXXIII. Et revera Exorcistarum potestas est a Deo, ut ex dictis supra *num.* 24. constat, & rursus magis fit clarum ex Sanctis Patribus, qui pro certo habent inesse Exorcistis virtutem divinam. Audiatur D. Cyprianus, qui in Epistola ad Demetrianum ait: Dæmones *voce humana, & potestate divina verbera sentiunt.* Et D. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo: *Hodie quoque*, inquit, de dæmonibus, *illi per nomen Jesu Christi.... adjurati nobis parent, ut inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dedisse potestatem, & virtutem, ut dæmonia nomini ipsius, & passioni ejus obitæ functioni subjecta sint.* Et tandem, ut cæteros omittam, D. Gregorius Nazianzenus *carm.* 61. ait:

Non mirum, namque sum Christi è populo nomen Sanctum;
Sæpe solum pronuntiavi, dæmon verò longè abiit
Stridens, renidens, & inclamans vim Altitonantis.

Ab omni rerum humanarum cupiditate alienus.

XXXIV. Per hoc monetur Exorcista omnem avaritiam fugere, hocque præcepit Christus Apo-

Apoſtolis, quibus poſtquam dixit: Matthæi 10. v. 8. *dæmones ejicite*, ſtatim addit, *gratis accepiſtis gratis date*. Et id exquiſitè fuiſſe obſervatum primis Eccleſiæ Chriſti ſæculis eruitur ex Tertulliano, in Apologetico adverſus Gentes: *Qui vos*, inquit, *ab illis occultis & uſquequaque vaſtantibus mentes, & valetudines veſtras hoſtibus raperet? A dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis ſine præmio, ſine mercede depellimus*. Et ſucceſſivè etiam a Sanctis viris legimus obſervatum. Apud D. Antoninum 1. *part. hiſt. tit.* 8. *c.* 1. §. 31. refertur de S. Cyriaco Diacono, & Martyre, quod cum filiam Saporis regis Perſarum a dæmonio liberaſſet„ Rex B. Cyriaco mul„ ta dona obtulit, at ille nihil accepit, niſi pa„ nem, & aquam, quibus uſus eſt cum ſociis „ ſuis, & ait: Gratiam Chriſti pretio non offeri„ mus, ſed fide æſtimamus." Apud D. Hieronymum, in Vita S. Hilarionis legimus, quod quidam Orionus nomine, qui a legione dæmonum poſſeſſus erat, cum a S. Hilarione curatus eſſet„ non poſt multum temporis cum uxore, „ & liberis venit ad monaſterium plurima, quaſi „ gratiam redditurus, dona afferens; cui San„ ctus: non legiſti, inquit, quid Giezi, quid Si„ mon paſſi ſint, quorum alter accepit pretium, „ alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus „ Sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus flens „ diceret accipe, & da pauperibus, reſpondit: „ Tu melius potes tua diſtribuere.... Noli con„ triſtari fili, quod facio pro me; & pro te „ facio; ſi enim hæc accepero, & ego offendam „ Deum, & ad te legio revertetur. „ In Vita S. Donati Euroeæ Epiſcopi, 30. *Aprilis*, legitur: Filiam Theodoſii Imperatoris a dæmone liberaſſe, ipſique dixiſſe Imperatorem: „ Quod ſi „ illam curaveris, ſemiſſem ex omnibus ejus

„ opibus, præmii loco, reportabis. . . . Imperatore dein promissa Episcopo offerente, nihil „ auri Sanctus admisit, sed cum pium ipsorum „ affectum cerneret, petivit locum; . . . . . in „ quo Templum sibi liceret condere. „ In Vita S. Hypatii Abbatis *cap.* 3. 17. *Junii* habemus, quod cum liberasset quemdam, Urbicium nomine, a præstigiis dæmonum, sanctus veniens, . . . „ gratiasque agens famulo Dei Hypatio . . . . . „ obtulit ei quoque mercedem, quam ille non „ acceptavit. „ Et tandem in Vita Sancti Deodati Episcopi Nolani, 17. *Junii* narratur, hunc Sanctum filiam Valentiniani Imperatoris a dæmone liberasse, & munera rejecisse: „ Restituta „ itaque puella saluti, voluit Imperator S. Deo„ datum suis ditare divitiis, quas constanti ipse „ respuit animo, lautiores se asserens habere the„ sauros. „ Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. statuit: *In hoc exorcizandi munere ejus occasione, non modo quæstum fugiat, sed ne doni, aut muneris quidquam vel minimum capiat Exorcista.*

Constanter.

XXXV. Cum virtus constantiæ nihil aliud sit, quam *stabilitas animi firma, & in proposito perseverans*, ex D. Petro Cœlestino *opusc.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. in Biblioth. PP. *tom.* 25. requiritur in Exorcista hæc firma, & perseverans stabilitas usque ad illius consummationem; nam sine ipsa virtute, *nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur*, ut ait S. Bernardus *Epist.* 129. ad Januenses. Quare Exorcista debet esse constans, & patiens nedum in instruendo, ac disponendo obsesso, sed etiam in sustinendis insultibus, injuriis, calumniis, quibus interdu

a dæmo-

à dæmone, Deo permittente impetitur, exemplo Sanctorum Patrum. De S. Theodoro Archimandrita narrat Gregorius Presbyter in ejus Vita, quod „ cum ad diem constitutam venisset puella annis 28. obsessa, & virum Sanctum aspiceret dæmonium in illa turbatum, „ clamare cœpit, & virum Sanctum detestari: „ Ovis inquiensque nunc adversum nos a spurio, & scorio proficiscitur! At servus Dei „ Theodorus ipsi signo Crucis increpuit, & dixit: Quamvis meretricis sim filius, ut ais, „ tamen ad gloriam filii Dei, & Domini nostri „ Jesu Christi præcipio tibi in nomine ejus, ut „ recedas ab hac muliere, nec amplius illam „ ingrediaris: Dæmon autem magna voce dixit: jussa tua quidem faciam, & egrediar.„ De S. Bernardo Claravallensi Abbate refert Arnaldus Abbas Bonævallensis *lib. 2. cap. 3.* ejus Vitæ, quod „ inter eos qui vexabantur, mulier grandæva, in cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, & jam ita suffocaverat eam ut „ visu, & auditu, & verbo privata videretur. „ Conversus Bernardus ad populum orare jubet attentius, & mulierem ibidem (*scilicet ad Altare*) jubet constitui; illa verò reluctans, „ & vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria, ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit, & in ejus expulsione „ Deum invocat adjutorem, & ad immolationem „ hostiæ accedit.... Malignus quoties adversus „ eum signum Crucis intenditur percussum se „ indicans acrius sævit, & recalcitrans contra „ stimulum, quidnam toleret prodit invitus.„ Tandem in Vita S. Norberti Magdeburgensis Episcopi *cap.* 8. refertur, quod cum ad Sanctum adducta fuisset puella a dæmone obsessa, " sto-

„ la, & Alba indutus exorcismum agere aggres-
„ sus est.... Tunc illa injecit manum ad stolam
„ ejus, ut proximè collum ejus adstringeret.
„ Cumque hi, qui aderant, vellent manus di-
„ movere: Nolite, inquit, permittite illam.
„ Si accepit a Deo potestatem, faciat quod po-
„ test. Tunc verò ejus audacia hoc verbo per-
„ culsa, tanquam reverentiam exhibens, ma-
„ nus sponte relaxavit. Ubi vides, quod pro-
pter hæc exorcismis, & liberatione vexati non destiterunt sancti, sed constantes, & perseverantes usque in finem fuerunt.

Et humiliter exequatur.

XXXVI. Hugo Rothomagensis Archiepiscopus lib. 2. *contra Hæreticos sui temporis, in Biblioth. PP. tom.* 22. Exorcistas ad exequendum suum ministerium cum humilitate his verbis hortatur cap. 6. *Apparet in hoc* (scilicet in officio exorcizandi) *Spiritus scientiæ, ne hoc sibi attribuant, ne inde superbiant, sed sciant quid fuerint per naturam, quid meruerint per culpam, & quid ipsi ab Episcopo consecrati, possint facere per gratiam. Sunt Beati, qui lugent suos, in quibus ante fuerant a bono defectus, ad mala proplapsus, sed consolatur in Domino Jesu Christo, qui eos a malis eruit, & Imperatores super satanam, ad propellendam ejus nequitiam potenter effecit. Benè igitur isti primum pro se ipsis, misericordia superna redemptis, deinde pro illis, quos potestate a Deo collocata eruunt a dæmonum nequitiis humiliantur sub potenti manu Dei, dicentes voce supplici: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In hoc Spiritus scientiæ ei præsta est, quod licet pro of-*

ficio

ficio ſint Imperatores, ſciunt tamen pro fragilitate ſua ſe eſſe peccatores.

XXXVII. Hanc virtutem efficacem eſſe ad dæmonem expellendum docet nos exemplum Sancti Nicetii Epiſcopi Trevirenſis, qui ut narrat S. Gregorius Turonenſis, in ejus Vita, ut coram multitudine energumenum liberaret, „ ſub veſtimento ſuo, propter jactantiam evitandam „ ſcilicet, faciens crucem contra dæmonem, „ relaxari præcepit, qui protinus corruens,.... „ ſanus erectus eſt &c. inſuper nos docet id quod narrat S. Nilus Abbas *tract. de vitiis ad Eulogium, cap. 26. in Biblioth. PP. tom. 27.* Quidam, *ait*, probatiſſimorum movens ſermonem de humilitate, & iſtud ſignificavit; inquit nimirum, „ quod Pater eorum, qui valdè erant probati ab homine, quem dæmon corripuerat, qui„ que graviter inſaniebat, in maxilla percuſſus, „ ſtatim alternans, & aliam paratam propoſuit; „ ille verò velut a fulgure humilitatis repercuſſus, & clamans, confeſtim a creatura illa „ deſiliit.

XXXVIII. Sed humilitatem efficacius forte Exorciſtis ſuadebit exemplum ſubſequens ex Vita S. Joannis Gualberti *part.* 14. deſumptum, 12. *Julii* „ de Senarum partibus mulier ad S. Ma„ riæ de Valle-Umbroſa monaſterium ducta eſt, „ cui dæmoni, qui eam invaſerat, dum Domi„ nus benedictus, qui poſtea S. Mariæ de Cuneo „ monaſterio præfuit, more ſuo, temerè & in„ conſideratè contumelioſa, & convitiis plena „ verba daret (ita ut quandoque fit ab impe„ ritis, dum ipſi dæmones interrogati, moram „ longam in reſpondendo faciunt) hoc videlicet „ ita ſibi inſulsè, & ineptè, & temerariè con„ jurationem, & exprobrationem fieri, dæmon „ agerrimè ferens, tandem vultu truci, ter-

„ ribi-

„ ribilibusque oculis se in eum Benedictum con-
„ vertens, inquit: O omnium Monachorum pe-
„ stifere, omniumque stultorum stultissime;
„ quid tibi vis? Quorsumnam hæc tua fatuitas,
„ me parum consideratè absque ulla supplicatio-
„ ne, seu devotione arguere, corripere, &
„ conjurare audeas? Agitur ne sic o omnium in-
„ sanissime, an quadam cum religione, & timo-
„ re? Abi, quo dignus es, in crucem tuam, ...
„ & si tua solita improbitate perrexeris scelera-
„ tissime, tua coram omnibus pandam vitia .....
„ Benedictus igitur ille Monachus, quem ma-
„ larum rerum conscientia fortè instigabat, non
„ parvo timore correptus, veritus pejora, si
„ pergeret, timens, pavens, in Monasterium
„ concessit. Cui officio Monachus, qui succe-
„ debat, his, quæ dæmon in eum maledixerat
„ cognitis, scelera sua in primis alteri ex Sacer-
„ dotibus Monachis devotè aperiens, & acta,
„ quæ sibi injuncta fuerat, pœnitentia, illuc,
„ ubi dæmon erat concedens dimisso vultu, &
„ voce supplici, dæmoni, ut exiret, in nomi-
„ ne Domini Jesu, & gloriosæ semperque Vir-
„ ginis Mariæ meritis, & S. Joannis imperare.
„ Cui dæmon: Istud est sapere: ita nos, ut tu,
„ in Dei virtute, & submissè conjurare, non ut
„ ille insanus paulò ante verbis tumidis, incon-
„ cinnaque voce exclamare, & superba, & mi-
„ nimè hoc in loco, & tali in officio condecen-
„ tia proferre. Eum profecto, ni fallor, ita
„ castigatum, ita mansuetum reddidi, ut post-
„ hac facilè perspiciet qua cum reverentia, &
„ religione divina omnia a mortalibus peragen-
da sint," & postea a corpore vexati abscessit. Unde scite Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo monuit Exorcistam: *Magna cum humilitate .... memor potestatis, quam a Domino accepit*

pit expellendi dæmones, ad id munus obeundum accedat.

XXXIX. At non ſolum Exorciſtæ convenit humilitas in adjurationis actu, ſed etiam eſt neceſſaria ipſi poſt dæmonis expulſionem, ut colligitur ex Lucæ *cap.* 10. ubi cum Chriſtus vidiſſet diſcipulos gaudentes de victoria ſupra dæmonibus, & dicentes, v. 17. *Domine etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*, eos reprehendit dicens, v. 20. *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubjiciuntur vobis &c.* Hinc S. Antonius Abbas, referente D. Athanaſio in ejus Vita, ajebat: *neque verò ejectione dæmonum eſt gloriandum, ... neque eum, qui dæmones expellit ſolum admirari, neque eum, qui idem nequit, aſpernari debemus .... Signa enim facere non noſtrum, ſed Domini Servatoris opus eſt. Ideò dixit Diſcipulis: in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur, gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis.* Et S. Joannes Chryſoſtomus homil. 48. in cap. 13. Matth. ait: *Multi enim, qui dæmones ejecerunt, ob improbam ipſorum vitam haudquaquam clari evaſerunt, ſed etiam ſuppliciis affecti ſunt.* Cui conſonat S. Aug. lib. 2. contra litteras Petiliani c. 55. inquiens: *Nam de excluſione dæmonum, & de potentia miraculorum, quoniam plerique talia non faciunt, & tamen ad regnum Dei pertinent, plerique autem faciunt & non pertinent, nec noſtri, nec veſtri debent gloriari, ſi qui fortè iſta poſſunt: Quandoquidem, nec Apoſtolos, qui vere iſta ſalubriter, atque utiliter poterant, voluit Dominus gaudere de talibus, quando eis ait: nolite gaudere &c.* Quare cum S. Philippus Presbyter Agyrienſis laudaretur a S. Euſebio Monacho ob expulſionem dæmonum factam, reſpondit humiliter: *Sit nomen Domini benedictum, frater, qui gratis miſeretur,*

& ſal-

& ſalvat Mundum totum, quia nos omnes cum ſimus peccatores nihil boni facientes, quod dignum ejus gloria offerri a nobis queat, aut æquale beneficiis ejus, perpetua in nos gratia ſua dona derivat. In ejus Vita *cap. 3. 12. Maii.*

Hunc præterea maturæ ætatis eſſe decet.

XL. Recole dicta ſupra in Comment. hujus primi Documenti *num. 1. & ſeqq.*

Non ſolum Officio, ſed etiam morum gravitate reverendum.

XLI. Id eſt, exigat, & quodammodo ad ſe trahat officio, & moribus, tum vexati, tum aliorum debitum honorificationis cultum: Officio quidem, cum hujus poteſtas a Deo ſit, divina ſit ex dictis num. 24. & 33. & Exorciſtæ imperium ſuper ſatanam habeant. Moribus etiam reverendus erit, *ſi pietate, prudentia, Vitæ integritate, conſtanter, humiliter &c.* ut tradit Rituale noſtrum, obſeſſos adjurabit. Talem fuiſſe quendam nomine Cardamam, paucis complectitur verbis S. Paulinus Nolanus, Epiſt. 24. quæſt. 5. ad Amandum Epiſcopum. *Prorſus*, inquit, *per omnia Cardamas nobis tam bellus apparuit, ut Clericum probabilem* (En Cardamas morum gravitate, & bonitate reverendus) *& exorciſtam dæmonibus terribilem videremus.* (Ecce eumdem pariter officio reverendum.)

DOCU-

DOCUMENTUM II.

UT igitur ſuo munere recte fungatur, cum alia multa ſibi utilia documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis Auctoribus, & ex uſu noſſe ſtudeat, tum hæc pauca magis neceſſaria diligenter obſervabit.

SUMMARIUM.

1. *MOtivum ſequentis Commentarii adducitur.*
2. *Illicitum eſt Exorciſtæ uti fictionibus ad probandos obſeſſos.*
3. *Non eſt licitum eidem, quærere a dæmone per quem ſit expellendus, vel quinam ſit ejus major inimicus in cœlo.*
4. *Illicitum pariter eſt quærere a dæmone locum, in quo ſit egreſſurus.*
5. *Non licet Exorciſtæ energumenum alapis, flagellis &c. vexare.*
6. *Exorciſtæ non licet imperare dæmoni ſub pœna Excommunicationis.*
7. *Vel per terminos judiciarios.*
8. *Sicut nec conveniens imponere dæmonibus obſidentibus nomina irriſoria, aut eadem in charta ſcribere, & comburere.*

9. *Illi-*

9. *Illicitum similiter est eradere pilos, & capillos damoniaci.*

10. *Non est licitum præcipere dæmoni superiori, ut inferiorem pellat, quamvis eidem præcipi possit, ut cum aliis exeat:*

11. *Neque imperare, ut in infernum, vel desertum, aut alibi abeat:*

12. *Et tandem non est licitum connivere dæmoni petenti rem iniquam.*

13. *Hæc regula ultima clarius explicatur.*

14. *Plures aliæ regulæ indicantur remissivè.*

COMMENTARIUM.

I. IN toto isto Documento nihil esset, quod illustratione indigeret, cum potius introductio sit ad sequentia, Exorcistamque ad probatos remittat auctores. Verum, ut scriptores hac de re agentes Exorcista in offenso decurrat pede, usumque ab abusu discernat, quasdam regulas hic appositè dabimus, ut harum ductu, quæ præsertim reprobare debeat, in Auctoribus perlegendis facile dignoscat. Sit igitur

II. Regula prima illicitum est Exorcistè uti fictionibus ad probandum an quis verè sit obsessus: exempli causa, adhibere ossa bruti, vel hominis demortui, quasi essent sacræ reliquiæ; vel librum prophanum capiti energumeni superimponere, ac si esset Exorcismorum liber, vel Evangeliorum, & his similia excogitare, quibus si forte obsessus perturbetur, & molestiam aliquam præseferat, opinantur aliqui evidenter colligere, omne ejus malum esse fictum, & a phantasia procedere. Ratio hujus nostræ regulæ est, quia dedecet Ministros Christi, & Ecclesiæ, quibus inest virtus terrendi dæmones,

uti

uti fraudibus, & mendaciis. Deinde dæmon, qui optimè novit, quomodo res ſe habeat, facilè poteſt fraudem fraude eludere; nempe latere, aut fingere ſe valde torqueri applicatione, & contactu ementitarum rerum ſacrarum, ne vexatus, & circumſtantes confugiant amplius ad remedia ſalutaria Eccleſiæ, & exiſtiment malum diabolicum eſſe malum imaginarium.

III. Regula ſecunda. Non eſt licitum, quærere a dæmone per quam perſonam, vel per quem Sanctum ſit expellendus. Ratio eſt, quia hoc eſſet aſsumere ſibi dæmonem in magiſtrum. Inſuper fateretur Exorciſta ſuam auctoritatem a Chriſto, & ab Eccleſia acceptam, ſe ignorare, cum hæc ſit in Nomine Jeſu ad dæmonem expellendum. Similiter non eſt licitum quærere a dæmone quinam ſint magis ſui inimici in cœlo, quia hæc interrogatio eſſet injurioſa ſanctis, cum quilibet ſit ſufficientiſſimus ex meritis ſuis liberationem a Deo impetrare a dæmoniaca vexatione obſeſſis.

IV. Regula tertia. Illicitum eſt quærere a dæmone locum, in quo ſit egreſſurus. Ratio eſt, quia poteſtas dæmones expellendi non pendet a loco, ſed a Deo. Poteſt quidem unus locus, præcipuè ſacer, præ alio in Exorciſta, vel obſeſſo majorem devotionem, fiduciamve exercitare, ſed non eſt interrogandus dæmon ut ipſe eligat, ſed ab Exorciſta eſt deputandus; ſic namque eſſet ſe laqueis dæmonis capiendum exponere.

V. Regula quarta. Non licet Exorciſtæ energumenum alapis, flagellis, ſputis, & ſimilibus vexare, & opprobriis dehoneſtare, nam ſi hæc adhibeantur, quia creditur habere aliquam virtutem directe in dæmonibus cruciandos, & affligendos, quia ſic ſuperſtitionem ſaperet; licitum tamen aliquando erit, ſi adhibeantur

(mo-

(moderatè, & cum prudentia) in dæmonis contumeliam; at nunquam licebit rerum immundarum, ut ſtercoris, unguium, cornuum fumo obſeſſos fatigare, quia indecens eſt etiam in contumeliam, his uti rebus.

VI. Regula quinta. Non licet imperare dæmoni ſub pœna excommunicationis, quia excommunicatio fertur propter delicti emendationem, & animæ ſalutem. Inſuper non eſt capax dæmon hujus cenſuræ, cum ſit extra Eccleſiam. Et tandem eſſet ſacras cenſuras deriſioni diabolicæ exponere, quod quàm injurioſum ſit ipſi Eccleſiæ; nemo non videt.

VII. Regula ſexta. Neque licitum eſt Exorciſtæ uti metodo, & terminis judiciariis, præcipiendo dæmoni, ut nunc exeat, & iterum tali die ſe judicio ſiſtat ad reddendam rationem cur tale corpus obſederit. Ratio eſt, quia Exorciſta non eſt judex dæmonis, neque lis intentatur cum dæmone.

VIII. Regula ſeptima. Non eſt conveniens quod Exorciſta imponat aliqua nomina irriſoria dæmonibus obſidentibus, ut exempli cauſa, ſi unus vocetur ſtabularius, alter piſtor Beelzebub, alius coquus Acherontis &c. quia his auditis, adſtantes in riſum converterentur, & ſpectaculum lacrymis dignum, atque ad Orationem & compunctionem provocativum, fieret jocorum, & cachinnorum occaſio, quod valde optant dæmones, & non ſolet res feliciter cedere his facetiis, & nugis. Nec unquam legimus, his epitetis Sanctos uſos fuiſſe, ſed verbis durioribus quidem, quibus pariter utitur Rituale noſtrum, non propterea irriſoriis. Eadem ratione illicitum cenſeo nomen ſcribere, vel imaginem pingere dæmonis in charta, & deinde flammis tradere.

IX.

IX. Regula octava. Non eſt licitum radere pilos, & capillos dæmoniaci ad expulſionem dæmonis, quia hoc ſuperſtitioſum prorſus videtur, nihilque ad finem intentum conducit.

X. Regula nona. Non eſt licitum Exorciſtæ præcipere dæmoni ſuperiori, ut inferiorem pellat. Ratio eſt, quia vel dæmon ſuperior eſt extra corpus, & hoc eſſet habere cum dæmone ſocietatem, ab eoque beneficium petere, contra id, quod dicit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 10. v. 20. *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum*, vel dæmon ſuperior eſt ſimul cum inferiore in corpore obſeſſi, & hoc pariter illicitum eſſet, quia hoc non eſſet expellere dæmonem inferiorem, ſeu dæmones inferiores, ſed dæmon ſuperior eſſet, qui alios expelleret; quod ſimiliter eſſet beneficium a diabolo petere. Et alia utriuſque partis regulæ ratio eſſe poteſt, quia vel virtus exorciſmorum eſt ſufficiens ad ſuperiores dæmones fugandos, vel non? Si non, derogatur Eccleſiæ, & Chriſti poteſtati; ſi eſt ſufficiens, ad quid poſtulatur à dæmone ſuperiore, quod inferiorem expellat? Poteſt tamen præcipi dæmoni ſuperiori, ut perfectè exeat cum omnibus ſatellitibus ſuis, quia tunc non ſolum ipſi, ſed omnibus expulſio præcipitur.

XI. Regula decima. Non eſt licitum Exorciſtæ præcipere dæmoni, ut in Infernum abeat, vel in deſertum, neque inde recedat; vel in ſtagnum ignis per annos mille. Ratio eſt, quia a Chriſto data ſolùm eſt poteſtas ad dæmones ejiciendos, non ad terminum ejectionis, & quamvis Aſmodeus, qui Saram obſidebat religatus fuerit *in deſerto ſuperioris Ægypti*, ut dicitur Tobiæ 8. v. 3. & Apocalypſis 20. v. 2. dicatur, quod Angelus *apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas, & ligavit*

gavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum; & v. 9. *& diabolus .... missus est in stagnum ignis, & sulphuris*. Et iterum v. 14. *& infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis*, tandemque id aliquando Sancti fecerint: Tamen magnum intercedit discrimen inter hos, & Exorcistas; hujusmodi enim Angeli si erant superiores, naturali virtute poterant hoc facere: si inferiores, hoc præstiterunt potestate divina, sicut & reliqui Sancti, qui ad hoc specialiter fuisse inspiratos credendum est.

XII. Regula undecima. Non est licitum connivere petitioni dæmonis ab obsessi corpore egressuri, quando rem iniquam petit, vel contra Dei honorem, vel in hominum perniciem; quia honor Dei omnibus aliis rebus præferendus est: & quia ex charitate tenemur saluti proximi providere. Hinc si petant dæmones aliquem alium hominem vexare, aut ad alios transire, audiendi non sunt: & quamvis Deus concesserit diabolo exoptanti Job affligere, hoc suum desiderium, ut dicitur Job v. 12. *dixit Dominus ad Satan: Ecce universa, quæ habet in manu tua sunt*. Et *Matthæi 8. v. 31.* permiserit Christus dæmones in gregem porcorum intrare. *Dæmones autem*, legitur, *rogabant eum dicentes: si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite.* Et tandem Paulus 1. *Corinth. cap. 5.* Corinthium quemdam satanæ tradiderit, sicut Hymenæum, & Alexandrum 1. *ad Timoth. cap. 1. v. 20.* tamen, his Deus talem potestatem specialiter concessit tam super homines, quam super dæmones, quod nunc in Exorcistis non contingit.

XIII. Scio aliquos Doctores asserere, quod aliquando licebit dæmonibus annuere ingressum in alios homines quadruplici concurrente conditione. Prima, ut his, quem dæmon obsessurus est,

sit

ſit peſſimus, & eo ſupplitio dignus. Secunda, ut adjurans habeat imperium in eum, quem dæmoni traditurus eſt, atque poteſtatem in ipſum dæmonem, ſummumque jus ipſum expellendi quandocunque libuerit. Tertia ut adſit boni majoris ſpes. Quarta ut abſit voluntas placendi dæmoni, ſed id tantum fiat utendo ipſo tanquam lictore, & carnifice. Sed nec etiam cum his conditionibus licebit: nam prima quoad ſecundam partem cuilibet Exorciſtæ prorſus eſt ignota, ſecluſa divina revelatione. Secunda nunquam adeſſe poteſt in puro homine, qualis eſt Exorciſta. Tertia eſt frivola, cum non ſint facienda mala ut eveniat bona. Quarta tandem non ſanat malitiam hujus actionis.

XIV. Plures aliæ regulæ tum poſitivæ, tum negativæ, habentur in toto hoc Opere, & præcipuè in Commentariis tituli *uſque ad num.* 17. incluſivè, Documenti IV. *num.* 2. *& ſeqq.* Documenti V. *num.* 5. 8. 9. *&c.* & *num.* 31. & *ſeqq.* Docum. VI. *num.* 1. & *ſeqq.* Documentii VIII. *num.* 57. Docum. IX. *num.* 1. Docum. X. *num.* 1. 2. 3. 4. 19. *&* 20. & Docum. XV. *num.* 8. *uſque ad* 25. quibus Exorciſta facilè diſcet quid cavendum, quidve ſequendum in Auctoribus perlegendis.

DOCUMENTUM III.

IN primis ne facile credat, aliquem a dæmone obſeſſum eſſe, ſed nota habeat ea ſigna, quibus obſeſſus dignoſcitur ab iis, qui vel atrabile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obſidentis dæmonis ſunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere. Diſtantia, & occulta patefacere. Vires ſupra ætatis, ſeu conditionis naturam oſtendere, & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora ſunt indicia.

SUMMARIUM.

1. PLures *videntur obſeſſi, qui revera non ſunt.*
2. *In fictos obſeſſos pœnæ ſtatutæ fuerunt a Concilio Trullano.*
3. *Quanam ſint hæ pœnæ explicatur, uſque ad num.* 5.
6. *Signa obſeſſionis alia ſunt probabilia, alia evidentia.*

7. Pri-

7. *Primum ſignum evidens explicatur.*
8. *Explicatur, quomodo dæmon poſſit cognoſcere occulta. Uſque ad num.* 12
13. *Iterum diviſio ſignorum recenſetur.*
14. *Enumerantur ſigna certa.*
15. *Item ſigna probabilia;*
16. *Et ſigna particularia pro infantibus indicantur.*

COMMENTARIUM.

In primis ne facile credat aliquem a dæmone obſeſſum eſſe.

I. S. Philippus Nerius ajebat: *in hac re haud facile credendum eſſe; quandoquidem inuſitati quidam effectus ſæpe non ex dæmone, ſed ex morbis melancholicis, capitis debilitate, aliiſque hujuſmodi proveniunt; in fœminis verò, ex vehementi phantaſmatum impreſſione aliiſque tum animi, tum corporis ægritudinibus; non raro etiam ex malignitate, qua ſe ſe ob varias cauſas à dæmone obſeſſas ſimulant.... Has igitur ob cauſas vir ſanctus ſuos in ſpiritu filios admonebat in hac re ne facile crederent*, inquit, Hieronymus Bernabeus in ejus Vita, penes Bollandianos Scriptores *die* 26. *Maii*.

II. Et longè prius hujuſmodi fictos dæmoniacos agnoverunt Patres Synodi Trullanæ, anno Chriſti 692. celebratæ, qui contra eos hæc ſtatuerunt can. 60. *Eos, qui ſe à dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate eorum figuram, & habitum ſimulatè præſeferunt, viſum eſt omni modo puniri, & hujuſmodi afflictionibus, laboribuſque eos ſubjici oportere, quibus iis, qui verè a dæmone correpti ſunt, ut*

a damonis operatione liberentur, jure ſubjiciuntur.

III. Quænam autem ſint pœnæ, afflictiones, labores, quibus ſubjiciebantur veri energumeni hic indicamus, ad majorem hujus canonis intelligentiam. Et primò incipiemus a pœnis ſpiritualibus. In primis energumenorum nomina ad Altare non recitabantur *Energumenum*, inquit Concilium Illiberitanum, anno 305. celebratum can. 29. *qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad Altare cum oblatione recitandum; neque permittendum ut ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Secundo, energumeni ſunt irregulares, nec ad Ordines Eccleſiaſticos admitti debent: *Clerici, qui in adoleſcentia a damonibus cognoſcuntur obſeſſi ad ſuperiorem Sacri regiminis gradum aſcendere non poſſunt*, inquit Auctor Libri de Eccleſiaſticis Dogmatibus, qui inter Opera D. Auguſtini extat. Concil. Nicenum primum *Can.* 1. juxta translationem ex Arabico P. Franciſci Turriani, penes Labbeum tom. 2. Concilior. *Jubemus*, decernit, *ut damoniacus non poſſit admitti ad Clerum.* Et contravenientes his ſanctionibus, fuerant a Deo puniti, ut de quodam Clerico, qui ad Ordines aſcendit, quamvis a dæmone liberato, narrat D. Gregorius *lib.* 2. *Dialogor. cap.* 16. „ Eodem quoque „ tempore, *inquit Magnus Pontifex*, quidam „ Aquienſis Eccleſiæ Clericus, dæmonio vexaba„ tur, qui a venerabili viro Conſtantio ejuſdem „ Eccleſiæ Antiſtite per multa fuerat Martyrum „ loca tranſmiſſus, ut ſanari potuiſſet: ſed San„ cti Dei Martyres noluerunt ei ſanitatis donum „ tribuere, ut quanta eſſet in Benedicto gratia „ demonſtrarent. Ductus itaque eſt ad omnipo„ tentis Dei famulum Benedictum, qui Jeſu „ Chriſto Domino preces fundens, antiquum hoſtem

„ hostem de obsesso homine protinus expulit:
„ Cui sanato præcepit dicens: Vade; & post-
„ hac carnem ne comedas, & ad sacrum Or-
„ dinem nunquam accedere præsumas. Qua-
„ cunque autem die ad sacrum Ordinem acce-
„ dere præsumpseris, statim juri diaboli iterum
„ mancipaveris. Discessit igitur Clericus sanus,
„ & sicut terrere solet animum pœna recens,
„ ea quæ vir Dei præceperat interim custodi-
„ vit. Cùm verò post annos plurimos omnes
„ priores illius de hac vita migrassent, & mi-
„ nores suos sibimet superponi in Sacris Ordi-
„ nibus cerneret, verba viri Dei, quasi ex lon-
„ go tempore oblitus, postposuit, atque ad Sa-
„ crum Ordinem accessit, quem mox is, qui
„ reliquerat diabolus tenuit, eumque vexare
„ quousque animam ejus excuteret, non ces-
„ savit. „

IV. Imo Concilium Arauxicanum, non solum energumenum fieri Clericum vetuit, sed jam factum deponi jussit Canone 16. *Energumeni*, ait, *non solum non assumendi sunt ad ullum Ordinem Clericatus, sed & illi, qui ordinati jam sunt ab imposito Officio sunt repellendi*. Hanc autem disciplinam mitiorem reddidit Concil. Toletanum XI. *can.* 13. ubi hæc habet: *Communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur; aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur; vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscusse se ingerant Sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporis incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus in terram probantur elisi, qui tamen, & ipsi tamdiu erunt ab officii sui ordine, & loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum liberati*. Cui consonat Decretum 19. Ge-

lasii, in Epistola ad Episcopos Lucaniæ. Nec non canon. 78. Apostolorum. *Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, sea neque cum fidelibus precetur; purgatus autem recipiatur, & si sit dignus, fiat.*

V. Loquendo verò de pœnis corporalibus, olim energumeni cogebantur pavimenta Ecclesiæ verrere. *Pavimenta*, inquit Concilium Carthaginense IV. canon. 91. *domorum Dei energumeni verrant*. Et Canone 92. victum a Clericis recipere quotidianum debeant, & in Ecclesiis continuam moram facere: *Energumenis, in domo Dei assidentibus, victus quotidianus per Exorcistas opportuno tempore ministretur*. Utinam & nunc vigerent omnia hæc: sic enim fieret, ut plures dæmoniaci ficti è medio tollerentur. Et pro fœminis sæpè fictè energumenis debita pœna esset illa, quam interdum consulit S. Philippus Nerius, nempè *dira flagellatio*, ut legitur in ejus Vita, penes Bollandianos *loco citato num.* 1.

Sed nota habeat signa.

VI. In duplici differentia sunt obsessionis diabolicæ. Quædam tantum sunt probabilia, quædam verò evidentia, ut infra videbimus *num.* 13. & 14.

Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere.

VII. Hoc signum, sicut & sequentia duo a Rituali Nostro adducta sunt certa, & evidentia.

tias. Primum intelligi debet de aliquo rudi, & ignotæ linguæ prorſus ignaro, nec ſufficit ut ſolum unum, vel alterum verbum proferat, ſed pluribus verbis loqui debet, ut evidens ſignum dici poſſit. Hoc ſignum dederunt quædam energumenæ liberatæ ad interceſſionem Sancti Philippi Agyrienſis Presbyteri: legitur enim in Collectione ſuorum miraculorum penes Bollandianos *in Commentario prævio ad Vitam Sancti, die 12. Maii* inter has „ Græcè quaſ-„ dam, plures Latinè, Saracenicè alias loqui „ ita perfectè, ut nihil purius ab expertiſſimo „ quoque in ſuo genere proferri poſſit „ ſic energumena illa, quam apud Vagellum exorcizavit S. Norbertus tale ſignum dedit; nam „ dæmon „ irridens Cantica Canticorum a principio uſque „ in finem per os puellæ dedit, & de verbo ad „ verbum in Romana, deinde in Teutonica lin-„ gua interpretatus eſt, ut refert D. Antoninus *2. par. Hiſt. tit. 17. cap. 1. §. 3.* Einhardus *lib. 3. cap. 13.* penes Baron. *ad annum 828. num. 29. & 31.* narrat quod „ Puella quædam annorum circiter „ ſexdecim, ab erratico ſpiritu poſſeſſa ad Ba-„ ſilicam Martyrum (*nempe SS. Petri, & Mar-„ cellini*) a parentibus adducta eſt, quæ cum „ ante tumbam Sacra Corpora continentem ve-„ niſſet, & Presbyter ſuper caput ejus exorciſ-„ mum, ſecundum conſuetudinem perlegiſſet, „ ac deinde dæmonem qualiter, & quando in „ eam fuiſſet ingreſſus percontari cœpiſſet, non „ barbarica lingua, quam ſola puella noverat, „ ſed Romana locutione Presbytero reſpondit. „ Cumque Presbyter miraretur, (*non mirarer „ plane ego*) atque interrogaret, unde illi latinæ „ linguæ notitia cum parentes ejus, qui ibi præ-„ ſentes adſtabant hujuſcemodi ſermonem peni-„ tus ignorarent .... Ego, ait, ſum ſatelles, & diſcipu-

„ ſcipulus ſatanæ &c. .... nec poſt exactum a ſe
„ dæmonem latinè loqui potuit, ut palam poſſet
„ intelligi non illam per ſe, ſed dæmonium per
„ os ejus fuiſſe locutum. " Similiter: " Catharina quædam puella, Averſa Campaniæ urbe,
„ Romam eo nomine perducta eſt, ut ab ea
„ dæmonium ſuis precibus meritiſque Philippus ejiceret. Hæc porrò cum nullas litteras
„ didiciſſet, tamen Græcè, ac Latinè loquebatur, quaſi in Scholis diu exercuiſſet. Præterea ejus corpori tantum roboris acceſſerat,
„ ut multorum, vel fortium, ac robuſtorum
„ manibus teneri non poſſet. Quoties verò Beatus Pater eam ad ſe perduci juberet quamvis
„ longè abeſſet, ſtatim præſentiebat, ajebatque:
„ Nunc Presbyter ille me accerſit .... Igitur
„ quadam die .... Philippus parentum calamitati, & puellæ compatiens .... orationi ſe dedidit, eodemque momento ab immundis ſpiritibus liberam ſe ſenſit. „ ut refert P. Bernabeus in Vita S. Philippi Nerii *cap.* 31. penes Bollandianos *tom. 6. die 26. Maii*. Ubi vides, hanc mulierem tria evidentia ſigna a Rituali noſtro enumerata dediſſe, quia ſcilicet *ignota lingua* locuta eſt: *diſtantia, & occulta* patefecit, *& vires ſupra ætatis, & conditionis naturam* oſtendit. Frequens eſt in Sacra Hiſtoria hujuſmodi ſigna legere, dum de obſeſſis ſermo occurrit; verùm in ſecundo ſigno parumper eſt immorandum, ut ejus genuina ſignificatio percipiatur.

Diſtantia, & occulta patefacere.

VIII. Intellige de rebus occultis, quidem, ſed externis, & opere conſummatis, ſive externo aliquo ſigno indicatis: nam occulta interna, ut ſunt occul-

occultæ cordis cogitationes, dæmon cognoscere nequit, sicut nec Angeli boni; hoc enim solius Dei est proprium, ut ex sacris paginis colligitur, & præcipuè 3. Regum *cap.* 8. *v.* 39. ubi dicitur: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*. Ecclesiastici 24. v. 18. *Abyssum, & cor hominum investigavit*. Jeremiæ 17. v. 9. & 10. *pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Quasi dicat*, subinfert solemnis noster Doctor Henricus Gandavensis quod libeto 3. quæst. 13. *& non alius: non ergo dæmones*; & in Psalmo 43. v. 22. *Ipse enim novit abscondita cordis*; unde nec Angelis bonis datum est, ut de malis testatur Augustinus *Serm.* 91. *de Verbis Evangel. Matthæi* 22. alias *de Tempore* 234. qui loquens de Jobo; *colebat*, inquit, *Deum, faciebat eleemosynas, & quo corde faciebat nemo sciebat, nec ipse diabolus, sed Deus noverat*. Et S. Hieronymus in Psalm. 16. ad vers. 11. *Diabolus*, ait, *in anima intrinsecus nescit quid cogitat homo*; & D. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 156. *Ea*, inquit, *quæ cogitatione volvuntur, minimè diabolo cognita sunt*.

Unum tamen objici potest ex D. Augustino, qui *lib.* 1. *contra Academicos cap.* 6. narrat de quodam Albicerio, qui a quodam alio interrogatus, *ut diceret, quid secum ipse tacitus volveret, Virgilii versum eum cogitare respondit. Cum ille obstupefactus negare non posset, perrexit quærere quisnam versus esset. Nec Albicerius, qui Grammatici scholam vix transiens vidisset, aliquando, versum ipsum securus, & garrulus canere dubitavit*. Cum igitur Albicerius non alia ope, quam dæmonis id præstare potuerit, dicendum videtur dæmones nosse cordis secreta.

Verùm

Verùm facilis reſponſio eſt, ſi dicamus ex aliquo ſigno, vel ſpecie in Phantaſia reſidente, potuiſſe dæmonem conjicere verſum, quem alter animo volvebat, & Albicerio ſuggerere, quamvis iſte eum non didiciſſet, eo modò, quo energumeni inſtinctu dæmonis multa dicunt, quæ nunquam didicerunt.

De virtutibus hominis interioribus ſentiendum eſt, has non poſſe dæmones cognoſcere, *quia ſi virtutum internam ſpeciem*, inquit S. Auguſt. de Geneſ. ad litt. c. 17. *poſſent in hominibus cernere, non tentarent, ſicut illam in Job nobilem, ac mirabilem patientiam procul dubio ſi poſſet diabolus cernere, nollet a tentato utique ſuperari.*

IX. Hinc cognoſcere non poſſunt futurum ſtatum animæ hominis morientis, cujus vita fuit virtutibus, & vitiis temperata, cum occulta poſſit eſſe contritio, aut etiam delictum, quia nempè hæc ſola poſſunt cogitatione elici.

X. Poſſunt tamen per conjecturas, & per inditia noſtras cogitationes cognoſcere, ut colligitur ex Divo Hieronymo in cap. 15. Matth. *non debemus*, inquit, *opinari dæmonem occulta cordis rimari, ſed ex corporis habitu, & geſtibus æſtimare quid verſemur intrinſecus*. Ex S. Auguſtino de Divinat. dæmonum cap. 5. *dæmones*, ait, *aliquando hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt*. Et ex Caſſiano, qui collat. 7. cap. 15. ait, *nulli dubium eſt, quod poſſint ſpiritus immundi cogitationum noſtrarum attingere qualitates, ſed indiciis eos ſenſibilibus forinſecus colligentes; id eſt ex noſtris diſpoſitionibus, aut verbis, ac ſtudiis in quæ propenſius conſpexerint nos inclinari. Cæterum illas, quæ necdum de internis animæ prodierunt,*

dierunt, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes quas ingerunt utrum susceptæ, vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, id est per illum interiorem motum in medullis, ut ita dicam, latitantem, sed ex motibus, atque indiciis exterioris hominis deprehendunt. Quamobrem arcanas hominum cogitationes, voluntatesque non vident Angeli, nec illas quidem, quarum instinctus eorum mentibus immittunt, utrum susceperint, nec ne, clarè, certoque cognoscunt, sed ex indiciis, ac signis, externisque commotionibus, quæ in corpus ex animo redundant divinando colligunt. Sic, ex pallore subito vultus, aut fervore sanguinis, & calore formidare aliquem, vel iracundia, aut amore concitari intelligunt: tum externus corporis, ac membrorum motus, velut aspectus, & incessus, quid intus deliberatum sit, ostendit.

XI. Solùm ergo in hoc sensu intelligendum est dæmonem *distantia, & occulta patefacere*; & revera sæpe patefacit, ut ex pluribus, quæ subjicimus exemplis, nedum ob dictorum confirmationem, sed etiam ad Lectoris levamen, fit manifestum. In Vita sancti Norberti Archiepiscopi Magdeburgensis, & Fundatoris Ordinis Præmonstratensis *cap.* 11. penes socios Bollandianos, legitur, quod cum adductus fuisset energumenus ad sanctum virum, eumque „ circum-
„ starent, & Clerus, & Populus, alii ob curio-
„ sitatem, alii propter pietatem, pessimus dæ-
„ mon per os invasi hominis, multorum pes-
„ simam vitam, & adulteria, & fornicationes
„ cœpit detegere, & quidquid confessione tectum
„ non erat, malitioso ejus ore detegebatur. Hæc
„ audientes cœperunt omnes hac, illacque dif-
„ fugere, paucis cum Patre Norberto remanen-

tibus.

„ tibus. „ In Vita S. Urſmari Epiſcopi, & Abbatis Lobienſis *cap.* 3. *die* 18. *Aprilis* narratur, quod ad quendam energumenum „ nullus accedere erat auſus, quoniam illico publicabatur conſcientia ejus, nam cum ante eum „ veniſſet quidam juvenis, eja, inquit, ſodalis, quid ante modicum egeris, nonne reminiſceris? Ego ſedebam ſuper palum, cum tu „ ſepe exturbata, ſtudioſus informator chirothecarum, feſtinabas ad quod ſcis ſcorti diverticulum. Erubuit ille conſcientia convictus, Presbyteroque advocato, quid egerat „ eſt confeſſus: redienſque protinus ſciſcitabatur ab illo, an aliquid in ſe cognoſceret ex „ prioribus. Ille furibunda facie, torvis in eum „ oculis directis, tu, inquit, qui ſis noveris; „ mihi autem cum abſtractus ſit aditus omnis, „ quid me interrogare quæris? „ In Vita B. Guillelmi Toloſani, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini *cap.* 2. *die* 18. *Maii*, narratur ſimiliter, quod cum Beatus ex obedientia acceſſiſſet ad viſitandam obſeſſam, „ primo interrogavit dæmoniacam: de quo feſto ego facio hodie? Et reſpondit: de tali feſto. Et alius honorabilior „ totius ſtudii Toloſæ interrogavit, de quo faciebat ipſe? & reſpondit dæmon: Tu dixiſti „ meas matutinas, quia tu in nocte tranſacta „ jacuiſti cum una meretrice. Et ex tunc de cætero nullus fuit, qui eum interrogaret. „

XII. Alia tria addamus exempla. Quo tempore S. Theodorus Studita in exilio cum diſcipulo ſuo frigus, & verbera patiebatur. „ Mulier „ in Bitynia, quam dæmon obſederat, vehementius ab infeſto ſpiritu agitari cœpit.... atque hujuſmodi verba interciſa voce profe„ rens: Leo meus (*nempe Leo Armenus Impe„ rator, Sacrarum Imaginum perſecutor*) ver-

bera

„ bera iterum misit ad Theodorum, ejusque
„ carnes laceravit.... Et hæc quidem mulier
„ energumena, procul licet posita, longèque
„ ab illo distans, annuntiabat. „ Ita ex Michaele S. Theodori discipulo scribit Baronius *ad annum* 819. *num.* 21. „ Calligraphus quidam Alexandriæ Venerabilis Vir, ex matutina vigilia domum vadens, media nocte videt statuas
„ ex metallo æris abstractas, & voce grandi dicentes, interempum Mauritium, & Filios
„ ipsius, atque omnes casus, qui apud Byzantium fuerunt gesti. Manè verò facto pergens,
„ hæc Augustali retulit, qui præcepit ei, nullo hæc manifesta facere, scribensque diem præstolabatur exitum: die verò nona prætereunte, ecce nuntius venit, indicans Mauritii interemptionem. Tunc Augustalis dæmonum
„ vaticinium publicavit. „ Idem Eminent. Baronius *ad annum* 602. ex Theophane *lib.* 17. Miscell. Theodobertus Rex cum aliis jussus fuit a S. Nicetio Episcopo Trevierensi communioni abesse, sed hoc non obstante, quadam die Dominica Rex Ecclesiam est ingressus." Lectis igitur
„ Lectionibus, quas Canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super Altare Dei, ait Sacerdos:
„ non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati prius abscedant. Hæc Rege renitente, subitò exclamat
„ unus de populo arreptus a dæmone puer Juvenis, cœpitque valida inter supplicia tortu ræ
„ suæ, & Sancti virtutes, & Regis crimina confiteri, dicebatque Episcopum castum, Regem
„ adulterum, hunc timore Christi humilem, illum gloria Regni superbum, illum Sacerdotio
„ impollutum, a Deo postea præferendum, hunc
„ ab auctore sceleris sui velociter elidendum „.
Hæc D. Gregorius Turonensis in Vita S. Nicetii.

Etid

Et id genus alia.

XIII. Duplicis generis ſunt hujuſmodi ſigna, alia certa, & evidentia, quæ provenire non poſſunt a cauſa naturali humana, ſed neceſſe eſt ut proveniant a cauſa ſuperiori, puta a dæmone; alia conjecturalia, ſeu probabilia: ut ſunt ea, quæ ſumuntur ab effectu, qui ſæpius, vel ut plurimum procedit a dæmone, tanquam a cauſa, aliquando tamen provenire poteſt a cauſa naturali. Hæc ſigna collegit diligentiſſimè P. Candidus Brognolus, in Manuali Exorciſtarum *par. 1. cap. 2. art. 5.* quæ tranſcribere non piguit, quibuſdam meis interjectis notis ad quædam tantum ſigna. Quia verò ſigna certa, & probabilia ſunt in duplici differentia; quædam enim deprehenduntur ex parte animæ, ſine ejus potentiis tum intellectivis, tum ſenſitivis interioribus, & exterioribus; quædam deſumuntur ex diſpoſitione corporis: exordimur a primis.

Signa certa enumerantur ex parte animæ.

XIV. Primum ergo ſignum eſt, cum quis eſt rudis, & ignarus, ſi diſtinctè, & ordinatè diſcurrat, & diſputet de arduis, & ſublimioribus quæſtionibus, ut de Philoſophicis, vel Theologicis. Tale ſignum dedit quædam Monialis energumena, quæ „ aliquando ſic profundè lo-
Ex Intellectu.
„ quebatur da Sancta Trinitate, quod videba-
„ tur eſſe doctrix quædam peritiſſima in Sacra
„ Theologia. Interdum autem videbatur, quod
„ ſciret omnia idiomata, „ ut legitur in Vita

B. Co-

B. Coletæ Ordinis Minorum *cap.* 7. apud Bollandum *die 6. Martii*.

Secundum eſt, cum quis delirio, ac phreneſi laborat, nulla alia affectus ægritudine, ſi Exorciſta dæmoni (ſi adſit) conditionaliter præcipiat in nomine Jeſu, ut deſinat nocere illi, ac ceſſet impedire eum in ſuis functionibus, & operationibus ſenſitivarum potentiarum; ſi, inquam, immediatè ceſſet delirium, & phreneſis recedat, & ritè, & ordinatè diſcurrat, & ad omnia ſeriò reſpondeat interrogata, dæmonem adeſſe præceptum factum intelligentem, ſignum eſt evidens. Ex intellectu.

Quando occulta annuntiat, remota adducit, futura prædicit, & ſimilia opera, quæ naturaliter ab intellectu humano ſciri, aut fieri nequeunt, nec dæmoniacam excedunt cognitionem, aut potentiam, ſi ex vitæ ſuæ ſanctitate non arguatur talia a divina revelatione prodire, homo dæmoniacus eſt, vel diabolicus, videlicet vel eſt poſſeſſus a dæmone, vel cum dæmone habet commercium. (Vide, quæ diximus ſupra *num.* 8. *& ſeqq.* & infra dicenda in Commentario Documenti IX. *num.* 2. *& ſeqq.*)

4. Quando quis concidit velut mortuus, & ſurgit ſine mora ad præceptum ab Exorciſta factum dæmoni in nomine Jeſu, ſignum eſt ibi eſſe dæmonem præceptum intelligentem.

5. Cum in aliqua corporis parte eſt aliquis dolor, vel tumor, ſi ad ſignum Crucis, & præceptum dæmoni factum in nomine Jeſu ut recedat, aufugiat, & iterum, jubente Exorciſta, accedat, diabolicæ præſentiæ ſignum eſt evidens.

6. Si Homo inopinato, ſine ulla præcedente cauſa velit ſibi mortem inferre, itaut ſe ſaxis collidat, in ignem ſe immittat, ac præcipitem det, nec tamen ſequatur ſibi aliquod malum, Ex voluntate.

signum est evidens dæmonem adesse hæc mala volentem, & intentantem, sed Deum diabolicam malitiam impedientem, & patientem ab hujusmodi periculis præservantem: (talia signa dabat obsessus ille, de quo sermo est in Evangelio *Matth.17.*)

Ex imaginativa, seu phantasia.

7. Quando imaginationi se præsentant res inhonestæ vehementer circa imagines Sanctorum, vel Beatissimæ Virginis, vel etiam Jesu Christi, si eodem tempore simul sentiat in capite, ea parte qua residet phantasia, veluti plumbum, vel aquam frigidam, vel ferrum ignitum, aut quid simile, quod fugiat ad signum Crucis, & invocationem Sanctissimi Nominis Jesu, & se recipiat ad alterum corporis membrum, ita ut eodem tempore etiam cesset imaginatio talium objectorum, signum est evidens præsentiæ diabolicæ.

Ab amore.

8. Quando quis timoratæ conscientiæ, ac honestatis amator aliquam ardentissimè amat personam; præcipuè si aliqua adolescentula pura, & modestiæ, ac castitatis amatrix inopine incipit amare ardentissimè virum aliquem, vel juvenem, cum quo prius nullam domesticam habuit conversationem, vel longam ipsius pulchritudinis aspectionem, ac meditationem, & si videatur potius furere, quam amare, signum est evidens malefici amoris.

A desiderio.

9. Quando aliquis homo, vel mulier timoratæ conscientiæ cum aliqua persona carnaliter commisceri ita vehementer desiderat, ut sentiat sibi pectus aduri, nisi illam quærat, & impatiens velit ad illam accurrere, vel clamet se mori, nisi sibi illa adducatur, nulla præcedente dispositione, puta domestica conversatione, allocutione, imaginis ipsius expressivæ, longa meditatione, vel beneficii alicujus acceptione, dæmonia-

moniacæ operationis ſignum eſt evidens: (circa hæc duo ſigna, vide Commentaria Documenti V.)

10. Quando quis bonæ mentis, & Chriſtianæ modeſtiæ ſtudioſus gaudet male agere, puta parentes contemnere, convitiis impetere; religioſos, & præcipuè Sacerdotes irridere, & ſubſannare, & hoc contra ſuam voluntatem, ſentiens intrinſecus in corde repugnantiam, ſignum eſt evidens. A gaudio.

11. Quando quis, puta maritus, odio habet uxorem præſentem, quam abſentem vehementer diligit, vel è converſo, uxor maritum, vel pater filium, vel filius patrem. Mater filiam, vel filia matrem, vel alias hujuſmodi perſonas, quas natura ipſa amare docet: Si hoc ſit contra propriam voluntatem, nec adſit aliqua ratio ad odium excitans, ſignum eſt evidens. Ab odio.

12. Quando quis Sacramenta, ſacramentalia, ſanctorum tumulos, & reliquias, omneſque res ſacras contra ſuam propriam voluntatem odit, & abhorret: (In Vita S. Marthæ Matris S. Simeonis Stylitæ Junioris *cap.* 5. *penes Bollandianos die* 24. *Maii* legitur, quod quidam vir „ duobus dæmoniis ab annis triginta infeſſus ne„ quibat in Choro Eccleſiæ pſallentibus conſiſte„ re, aut Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſe „ omnino: expellebatur quippe ſtatim a dæmo„ niis ex æde ſacra, atque eliſus terræ, cum do„ lore, ac ejulatu durabat: „ qui poſtea a Sancta fuit liberatus. Et in Vita S. Agnetis de Monte Politiano *cap.* 10. apud eoſdem Patres Continuatores *die* 20. *Aprilis* legitur, quod „ vir „ quidam habebat filium, quem taliter ab æta„ te tenera maligni agitabant ſpiritus, quod „ nullo pacto alicujus ſancti imaginem aſpicere „ poterat, nec in Eccleſia, quando Divina ce-

„ lebrabantur, perſiſtere valebat. „ Et Innocentius III. in Bulla Canonizationis S. Homoboni Confeſſoris, penes codicem Canonizationum Romæ Anno 1729. impreſſum, accurante Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Juſto Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano, narrat, quod quædam energumena " Oblatam Euchariſtiam „ conſecratam abhorruit, nec recepit. ")

A deſperatione.

13. Quando nulla præcedente tribulatione, vel perſecutione, agitatus quis deſperat, ac propterea nunc veſtes, ac propria membra dilacerat, nunc pugnis ſe percutit, modo in puteis, modo in ſtagnis, aut lacunis ſe ſubmergit; aliquando in ignem ſe dejicit, aliquando ſaxis ſe collidit, vel ab alto loco ſe præcipitat, dæmoniacæ præſentiæ ſignum eſt evidens, ſi hoc faciat contra ſuam propriam voluntatem. (Tale ſignum dedit energumenus ille, de quo ſic legitur in Vita S. Honorati Epiſcopi Ambianenſis „ „ Paſtor quidam pecudes agens per paſcua, „ correptus a dæmonio, ſe in fluvium Sammo- „ næ præcipitare tendebat: „ (*apud Bollandianos die 16. Maii*)

Ab ira.

14. Quando ſtatim ac vir, & uxor ſunt in proſpectu, ſi alter alterum fugit, vel ita iraſcantur ad invicem, ut unus alterum aggrediatur calce, pugnis, unguibus, morſu, quaſi hoſtem inſenſiſſimum, licet ſeparati ſe ament ardentiſſimè, ſignum eſt evidens diabolicæ operationis.

Ex viſu.

15. Cum ſubitò patienti lumen aufertur, & ſubitò reſtituitur; quod ſi frequenter accidat, ſignum eſt evidens.

16. Quando patiens diurno tempore nihil videt; nocturno verò benè videt, & ſi ſciat legere, legit ſine lumine; ita quod illi dies videtur nox, & è contra dæmoniacus eſt, vel diabolicus.

17. Quan-

17. Quando ſubitò variatur auditus, ita ut patiens ſit ſurdus, & poſtea bene audiat, ſi hoc eveniat in audiendo ſpiritualia, evidens eſt ſignum. Ex auditu.

18. Quando ultra ſeptem, vel novem dies patiens nihil comedit, vel parum, & tamen fortis eſt, & pinguis ſicut prius, ſignum eſt evidens eſſe dæmoniacum, vel diabolicum. (In Vita S. Prœcordii Presbyteri legitur liberatus energumenus ad ejus ſepulchrum, qui „ nec potum „ ſumpſerat menſe integro: „ *penes Bollandum die 1. Februarii*. Similiter apud eundem legitur, in Vita S. Macedonii Anachoretæ *cap. 2. die 24. Januarii*, ſanctum curaſſe obſeſſam, quæ cibum, & potum ſumere non poterat. Et apud ejuſdem Bollandi Continuatores *lib. 3. cap. 6.* Vitæ S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis, & Martyris *die 7. Maii* refertur, quod quædam „ a „ dæmonio vexabatur, non ſic quidem quod „ turbaretur in ſenſibus, ſed ſic eam ſpiritus „ exagitabat immundus, quod nec comedere, „ nec dormire eam ſinebat.) Ex guſtu.

19. Quando patiens vehementiſſimè ardet ſiti, nec tamen poteſt aquam, aut vinum bibere, imo quidquid aptum eſt extinguere ſitim, abhorret.

20. Quando quis videtur fame perire, nec tamen cibum ullum guſtare poteſt, imo omne comeſtibile fugit, & abhorret.

21. Quando inopinato vocem amittit, nec poteſt loqui, nec os aperire etiam volens, ſi poſtea loquatur ad præceptum dæmoni factum ab Exorciſta in nomine Jeſu, ſignum evidens eſt.

22. Cum varios abſque connexione quis profert ſermones, niſi ſit phreneticus, vel mente captus, vel ebrius, vel ſit mulier patiens defectum menſtruorum, dæmoniacus erit. Ex loquela.

23. Quando quis, alioquin ſanus, & bene diſpoſitus canina, aut lupina fame vexatur, & licet maximam cibi quantitatem devoret, ſemper tamen eſurit. (Talis fuit energumena illa de qua in Vita S. Macedonii Anachoretæ legitur *cap. 2. apud Bollandum die 24. Januarii*, „ſanctum „ nempè liberaſſe illam comedentem in die tri„ ginta gallinas, nec poſſe appetitionem ex„ tinguere ſatietate, ſed adhuc alias appetere.

Ex potentia nutritiva.

24. Quando puer, vel puella, adoleſcens, vel adoleſcentula, qui alias erant natura pingues, & alacres, nulla apparente ægritudinis cauſa, non ſolum non augentur, & quantitate molis proficiunt, ſed potius decreſcunt, & continua macie afficiuntur, & conſumuntur, quamvis manducent, & bibant non ſolum more ſolito, ſed majori in quantitate.

Ex augmentativa.

25. Quando vir uxori, vel uxor viro appropinquare non poteſt, quia ſibi videtur aliquod eſſe corpus intermedium (v. Comment. Tituli num. 25.)

26. Quando vir non poteſt habere copulam cum uxore, vel perſona, quam amat, quia ſtatim elumbis, & elanguens recedere cogitur, quod tamen ei non evenit, ſi cum aliis mulieribus commiſcetur.

Ex generativa.

Signa evidentia ex diſpoſitione corporis.

27. Dolor continuus in capite ſine aliquo intervallo, ſive ſit per modum gravaminis, ſive per modum percuſſionis: ut cerebri, vel temporum indeficiens, & intima terebratio, ſi ad ſignum Crucis ſtatim ceſſet.

28. Ventus quidam vehemens, qui decurrit

per

per totum corpus ad modum formicarum, vel ad modum ſerpentis velociter quaquaverſum ſerpit, vel ſicut mus modo in hanc, modo in illam corporis partem ſe intromittit.

29. Deportatio corporis, & illius elevatio contra voluntatem patientis, & non videtur a quo deportetur, ſignum eſt evidens diabolicæ præſentiæ. (Parcat Lector, ſi in ſequenti adnotatione fuſiores erimus, id eruditione exigente) Elevatam in aerem fuiſſe quandam obſeſſam puellam narrat, ex actis publicis quibuſdam Baronius *ad annum 713. num.* 15. his verbis: „ „ ducta eſt puella ante Altare, & venit omnis „ congregatio Monachorum: & dum omnes fle„ cterent genua, & dicerent Kyrie eleiſon, & „ cum tunc cœpiſſet ſævius dæmon agitare puel„ lam, conteſſus eſt ſe vehementiſſimè torque„ ri ab Anaſtaſio, qui præſens eſſet, (*nempe a S. Anaſtaſio Martyre, cujus caput in Monaſterio trium fontium Romæ aſſervatur, & antequod puella energumena conſtituta erat.*) Adeoque „ fuit violentus motus peſſimi dæmonis in puel„ lam, ut eam in aera elevaret, ſuſpenſamque „ teneret pedibus ſurſum capite deorſum ver„ ſo. Ex quo violento motu, & naturæ huma„ næ impoſſibili, potuit ab unoquoque, licet „ incredulo, certo ſciri, a dæmone verè arre„ ptam eſſe Virginem illam, ne fingere puta„ retur. „ Simili modo in aerem elevatos alios obſeſſos ſcribunt Patres mox referendi. Advertendum tamen, quod licet diabolus fœminas ſublimes interdum tenuerit pedibus ſurſum, capite deorſum verſis, non per hoc permiſit Deus ludibrio exponi pudorem, ſed majori miraculo fecit veſtes inhærere pedibus, non ſecus ac ſi iisdem eſſent funiculo colligatæ. Audiatur S. Hilarius Pictavienſis in libro contra Conſtan-

tium Imperatorem, *num.* 8. ubi ait: *Plus crudelitati vestræ Nero, Deci, Maximiane debemus; diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique Beatorum Martyrum Sanguis exceptus est, & veneranda ossa quotidie testimonio sunt, dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur elevari sine laqueis corpora, & suspensis pede fœminis, vestes non defluere in faciem.* S. Paulinus in natali VII. S. Felicis, penes Bibliothec. PP. tom. 6.

His etiam potiora, tamen spectata profabor.
Ante alios illum, cui membra vetustior hostis
Obsidet, ad sacri pia limina Martyris, ægra
Excussum de plebe rapi, admotumque Sacratis
Ante fores Sancti, cancellis, corpore verso
Suspendi, pedibus spectantem tecta supinis.
Quodque magis mirum atque sacrum est,
nec in ora relapsis
Vestibus, ut rigidis, aut ad vestigia sutis,
Corporis omne Sacrum casto velatur operto,
Scilicet ut Divini operis reverentia tectis.
Corporibus maneat, nec pœna dæmon in ipsa
Qua cruciatur ovet, nudis prodendo pudorem
Artubus, illæso gravius torquetur honesto.
Recta licet versis sedeant cum tegmina membris.

Audiatur insuper Severus Sulpitius *in Dialogis Dialogo tertio* (in prælaudata Bibliotheca, tomo eodem) qui inquit: *Vidi quemdam appropinquante Martino in aere raptum, manibus extensis in sublime suspendi, ut nequaquam solum pedibus attingeret .... Tum verò cerneres miseros* (scilicet energumenos) *diverso exitu perurgeri, hos sublatis in sublime pedibus, quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum.* Ex quibus apparet, Deum in his peperciſſe pudori; non tamen semper id efficit, ut patet ex

his,

his, quæ ſcribit S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ſive Epiſt. 27. ad Euſtochium Virginem, nam loquens de S. Paula, ait: *Cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſque pede fœminis veſtes defluere in faciem.* Scio eruditiſſimum P. D. Petrum *Coutant*, Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri, cujus præcipuè ſtudio, & labore prodierunt S. Hilarii Pictavienſis Opera Pariſiis 1693. Scio, inquam, in notis ad locum ſupra relatum S. Hilarii, ubi refert hunc D. Hieronymi teſtimonium putare addendam eſſe particulam *non*. Scribit enim: *Suſpenſiſque pede fœminis, veſtes* (adde *non*) *defluere in faciem*, hac ſolum innixus conjectura, quia cum hæc verba ſint ad imitationem Hilarii expreſſa, indicio ſunt, librum contra Conſtantium Imperatorem, Hieronymo ignotum non fuiſſe. Verùm cum ex una parte, nec in editione Operum Doctoris Maximi ann. 1518. Lugduni per Jacobum Saccon, nec in alia 1576. Romæ in ædibus Populi Romani, nec tandem in altera Eraſmi, illa particula legatur; & ex altera, conjectura P. *Coutant* non ſatis me moveat, dicendum cenſeo, aliquando veſtes non defluxiſſe, Deo ſic providente ad ſervandum pudorem, aliquando verò defluxiſſe, vel in peccati invereundiæ vindictam, vel ob occulta, juſta tamen Dei judicia.

30. Vociferationes, clamores, ſciſſio veſtium, arrotationes dentium, vel quæcumque corporis agitationes ſine ulla cauſa, ſi patiens non ſit ſtultus, & ei diſpliceant, & cognoſcat illa, & nollet.

31. Vis, ſeu impulſus ſupra naturam patientis,

tis, ut cum homo natura debilis, non potest teneri a multis: cum manibus, ac dentibus frangit ferrum, & alia similia.

Signa probabilia ex parte Animæ.

XV. Primum est, quando patiens, alias bonus, & timoratæ conscientiæ, nulla de causa odio habet sacerdotes, religiosos, parentes, amicos, & maximè in sacris constitutos, eosque contra suam voluntatem propriam conviciis, & opprobriis afficit, si signum non est evidens dæmoniacæ præsentiæ, saltem valdè est probabile.

Ex voluntate.

2. Quando quis absque ulla præcedente causa (si non est mente captus) suos parentes, consanguineos, amicos, ac familiares, ut inimicos existimat, & ab eis tanquam sibi noxiis aufugit.

Ab æstimativa.

3. Quando quis, præter suam naturalem inclinationem, & consuetudinem remedia naturalia sibi utilia, & proficua, & omnia delectabilia, ut noxia judicat, & sibi inconvenientia, ac molesta existimat.

4. Quando continuè patienti fiunt apparitiones inhonestæ fortiter moventes phantasiam, etiam contradicente voluntate, ac si oculis corporalibus viderentur.

Ab imaginativa, seu phantasia.

5. Quando sæpius occurrunt imaginationi visiones horribilium præcipitiorum, ac periculorum, nec est natura timidus.

6. Quando apparent visiones rerum spiritualium frequenter, & patiens non habet fundamenta sanctitatis, ac virtutis.

7. Quando sentiuntur allocutiones interiores formatæ, & distinctæ, & cognoscitur illas a Deo non esse.

§. Quan-

8. Quando somnia sunt ordinaria horribilium, vel libidinum, in persona timorata, & casta.

9. Quando quis repente, absque ulla prævia ægritudine, obliviscitur omnium scientiarum, vel artium, quibus ritè, & perfectè instructus erat. A memoria.

10. Quando quis post multa, vel confusè enarrata, vel distinctè, sed naturæ suæ, & artis captum excedentia, repentè mutatur, & omnium, quæ dixerat amplius non recordatur.

11. Quando quis præter suam consuetudinem amat obscura, & tetra loca, & quærit horrores solitudinis. Ab amore.

12. Quando quis alias sanæ mentis inopinatò incipit pericula, & alia id generis sibi noxia amare, & quærere.

13. Quando quis parentes, amicos, & maximè in sacris constitutos odio habet, sine ulla præcedenti causa. Ab odio.

14. Quando quis fugit hominum, parentum, & amicorum familiaritatem, ac consortium, nec orationi, aut meditationi vacat, sed accedia pressus ac melancholia obrutus, præter suam naturalem inclinationem, ac solitam naturæ suæ consuetudinem solus permanet, sine ulla præcedenti gravi tribulatione. A fuga.

15. Quando quis absque ulla causa fugit Sacerdotes, Ecclesias, divina officia, Missarum celebrationi assistentiam, quamvis alias sit devotus, & timoratæ conscientiæ.

16. Quando quis fugit, & abhorret habitare magis in uno cubiculo, quam in alio, in una domo, quam in alia, in una Civitate, quam in alia, nec hujusce rei ullam habet rationabilem causam, nec ipse ullam adducere novit.

17. Quando quis oculis sanus fugit lucem omni suo conatu.

18. Quan-

A triſtizia.

18. Quando quis triſtatur, & dolet, & qua de cauſa triſtetur, vel qua parte doleat proferre neſcit, nec adeſt aliqua cauſa triſtitiæ naturalis.

19. Quando quis triſtatur, ſudoriſque guttas emittit ad præſenti am Sacerdotum, & non aliorum, ad ſacrarum applicationem, ad Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ perceptionem, ad ipſius in Miſsa elevationem, ad Confeſſionem Sacramentalem, & ad cætera ſpiritualia exercitia, & præcipuè ad præcepta dæmoni facta ab Exorciſta.

20. Quando quis triſtatur, ac dolet magis exiſtens in uno loco, quam in alio, in uno tempore, quam in alio, puta in aliquo menſe, hebdomada, die, vel hora determinatis, non habita ratione ad planetarum mutationes, & influxus, ſed quatenus talis hebdomada, talis dies, talis hora.

21. Quando magis triſtatur, ac dolet in vigiliis, ac ſolemnitatibus majoribus, ut in Quadrageſima, Adventu, Quatuor temporibus, non ratione jeiunii, ſed quia talis dies; vel in die Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, & ſit hoc pluries a ſe obſervatum.

22. Quando quis in locis lætis, ac deliciarum, præter ſolitam ſuæ naturæ inclinationem, ac conſuetudinem non gaudet: & ubi alii lætantur ſonando, cantando, & ſaltando, ipſe magis ac magis triſtatur, nec habet aliquam triſtitiæ rationabilem cauſam, imo ſi ſolitaria loca quærat amica mœroribus: nec tamen ſtudio, aut orationi vacet.

A Spe.

23. Si quis ſperat, & ſe jactat conſequi aliquid nimis arduum, quod naturæ humanæ, & induſtriæ vires, ac communem ordinem naturæ excedere videtur, ſi non eſt mente captus, dæmoniacus eſt, vel diabolicus.

24. Pa-

24. Patiens, qui audet facere aliquod excedens totam naturam humanam, vel induſtriæ vires; ſi id a Deo eſſe veriſimiliter exiſtimari non poſſit, dæmoniacus eſt, vel diabolicus. Ab audacia.

25. Quando quis ſubit ſponte pericula mortis, puta ſe ab alto loco præcipitat, vel quid ſimile agit, ad quod deberet mors ſequi, nec tamen ſequitur, neque aliud malum, dæmoniacus eſt, vel diabolicus.

26. Quando quis ſine ulla cauſa, timore, ac terrore ſubitaneo inaniter percellitur, & neſcit quid timeat. A timore.

27. Quando, nulla cauſa præcedente, quis valde timet occidi, præcipuè ab amicis, & ideo ab eis fugit, & ſe abſcondit.

28. Quando quis timoratæ conſcientiæ, nulla præcedente cauſa contra ſe ipſum iraſcitur, vel etiam contra parentes, amicos, & domeſticos, ac ira percitus profert blaſphemias in Deum, Chriſtum, Mariam Virginem &c. dæmonemque invocat in ſui auxilium, dæmoniacus eſt, vel diabolicus. Ab ira.

29. Quando quis velut canis rabidus, aut lunaticus ſpumat, & dentibus fremit, ſi non eſt ſtultus, vel aliqua naturali infirmitate correptus, dæmoniacus eſt, vel diabolicus.

30. Quando patiens videt res in alia diſpoſitione a ſua propria, & naturali, ut ſi canem videret ut hominem, lignum pro homine, & alia hujuſmodi, periculum eſt obſeſſionis, vel alterius dæmoniacæ perturbationis. Ex viſu.

31. Cum oculus patientis ſic perturbatur, ut terreat videntes, terribileſque, ac perlucidas monſtrat oculorum acies.

32. Cum lacrymas emittit ab oculis abſque alia cauſa, neſciens quid ploret.

33. Cum faciem Sacerdotis, & præcipuè

Exor-

Exorciſtæ patiens vix aſpicere valet, & album oculorum variis modis mutat. Quod maximè attendendum in Infantibus, & puerulis, ex quibus alia ſigna difficillimè hauriri poſſunt.

34. Quando videt dæmonem ſub aſpectu minantis, aut jactantis ſe corpus ejus velle poſſidere, vel ſub forma monſtruoſa gigantis, hominis atri, aut recenter mortui &c. Vel etiam canis, leonis, urſi, lupi, avis, ſerpentis, vel alterius generis &c. ſignum eſt dæmonem jam corpus poſſidere, vel tentare ingreſſum ut poſſideat.

35. Quando aliqua, quæ erant ante oculos, ſubtrahuntur, ut non videantur, deinde ſubito apparent, ſignum eſt diabolicæ illuſionis.

Ex auditu.

36. Quando patiens audit quaſdam voces ſe vocantes, & ille maximè attendit.

37 Quando eſt rumor continuus in auribus, nec adſit probabilis cauſa naturalis aſſignanda.

38. Quando Exorciſmos, Evangelia, ſacraſque lectiones non ſolum cum extraordinario tædio, ſed etiam cum ingenti perturbatione; vel gravi ſopore affectus auſcultat.

39. Quando pulſantur Campanæ benedictæ, vel aliud ſignum datur ſpirituale; ſi gravi afficiuntur tædio.

Ex guſtu.

40. Quando per multos menſes non potuit guſtare panem, vel carnem, quæ prius ſine difficultate comedebat, nec tamen aliqua videtur correptus ægritudine.

41. Quando quis inceſſanter cruda devorat, nec ſatietatem præſefert.

42. Quando comedit beſtialiter in magna quantitate, & bibit valdè exceſſivè contra ſuam conſuetudinem, nec tamen unquam ſatiatur.

43. Quando patiens cum difficultate comedit, itaut violenter oporteat illum cibare, & nullam habet infirmitatem hoc cauſantem.

44. Quan-

44. Quando patiens magis abhorret cibum benedictum, quam alium.

45. Quando patiens gravi velut delirio correptus longam fert inediam.

46. Quando improviſo exeunt ex ore hominis ſani, nec vino, aut paſſione perturbati, vel phreneſi laborantis verba, quorum ſtatim poſtea non recordatur, ac neſcit ſe illa dixiſſe, vel nollet ea dixiſſe. Ex loquela.

47 Quando quis timoratæ conſcientiæ abſque ulla cauſa, verba profert parentes, vel amicos, quos honorare conſuevit, miro modo pungentia, ac ſubſannantia.

48. Quando quis non ex inſtituto, nec liberè volens, voces interdum Brutis non parum abſimiles emittit: (vide exemplum infra referendum in Commentario Documenti XVII. num. 14.

49. Quando quis ſacra verba difficillimè profert, nec niſi truncando, & balbutiendo, præcipuè cum recitat Pſalm. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam &c.* vel Pſal. 90. *Qui habitat &c.* vel profert Sanctiſſimum Nomen Jeſu, vel Beatiſſimæ Deiparæ Mariæ, aut initium Evangelii S. Joannis.

50. Quando quis aufugit Sacrorum odores, ut rerum benedictarum thuris, Roſarum, &c. ſi illos benedictos non abhorreat. Ex odoratu.

51. Quando de ore patientis exeunt fœtores infernales, ut ſulphuris, picis, fuliginis, carbonum, & hujuſmodi.

52. Quando quis tangendo nimis urit, vel igneſcit, aut ſubito frigeſcit. Ex tactu.

53. Cum percutiendo leviter nimium infert dolorem.

54. Quando ad ſimplicem tactum manuum Sacerdotalium, patiens capitis gravedinem, vel rem frigidiſſimam ſentit.

55. Quan-

Ex nutritiva potentia.

55. Quando, nulla naturali ægritudine affectus, cibum non potest attrahere ad stomachum, ad corpus nutriendum.

56. Quando cibum in stomacho retinere non potest, sed illum vomitu rejicere cogitur, licet alias sanus sit; si verò sit benedictus illum retinet.

57. Quando quis, alias sanus, & benè dispositus, cibum digerere non potest, licet magnam habeat in stomacho caliditatem.

58. Quando bolum fere perennem sentit in stomacho, & persæpè ad guttur accedentem, quo suffocari videtur, præcipuè si hoc contingat etiam immediatè post sumptam medicinam evacuantem.

59. Cum quis vomitu rejicit cultros, clavos, acus, capillos, vitra, & alia id generis artificialia (vide Commentarium Documenti XIV. *num.* 5. & *seqq.*)

60. Quando quis per posticum eadem emittit, vel quæcumque alia, quæ in corpore generari non possunt; vel continuum per multos menses emittit sanguinem nulla offensus ægritudine.

Ex augmentativa.

61. Quando quis contra solitum naturæ suæ, ac complexionis cursum nimio tumore, ac pinguedine afficitur in aliquibus corporis partibus, vel etiam in toto corpore, nulla alia affectus ægritudine.

Ex generativa.

62. Quando personæ, vel corpora, aut generationis organa apparent horribilis formæ, vel fœditatis intolerandæ.

63. Quando vir, etsi calidæ sit naturæ, & complexionis robustæ, non potest semen decidere intra vas muliebre, licet seminet extra.

64. Quando ex parte fœminæ vas muliebre, quod prius erat latum ita constringitur, ut a virga penetrari non possit, licet vir sit robustus. (De his, vide Commentarium Documenti V.)

65. Quan-

65. Quando uterque Conjux ex parte suorum parentum sunt fœcundi, nec tamen generare possunt, eò magis si constat ex aliis causis uxorem esse maleficiatam, nec apparet causa naturalis sterilitatis. (*Sed de hac re nobis volentibus diligentius disputare, verecundia resistit, & compellit veniam a pudicis auribus poscere.... quisquis ergo ad has litteras impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam; facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facillimè pudicus, & Religionis Lector, vel auditor ignoscit.... legit enim hæc sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, quæ immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam; præcipuè quia nos non damnabilem obscœnitatem nunc, sicut ille commemoramus, atque reprehendimus, sed in explicandis humanæ generationis effectibus: verba tamen sicut ille obscœna vitamus.* Loquor cum D. Augustino lib. 14. de Civit. Dei cap. 23.

Signa probabilia ex parte Corporis.

66. Si statim ab initio, nullis peccantibus humoribus ex causa existentibus, morbus se prodit cum gravissimis symptomatibus, ut sunt: mentis quædam stupiditas, varia deliria melancolica, motus quidam convulsivi, qui epileptici videntur.

67. Repentinæ corporis passiones, & oppressiones, quas ipse oppressus explicare nescit.

68. Ejusdem generalis extenuatio, & color infaustus, puta viridis, pallidus, cedrinus, aut croco similis.

69. Spontanea nervorum, ossium, medulla-

rumque vexatio, aut rigiditas, ut convulsionem præseferat.

70. Laceratio, & constrictio intestina viscerum, ac dolor in ventre cum maximo rumore, & revolutione vitalium.

71. Pulsatio arteriarum circa collum.

72. Cordis gravatio, & punctura, ac si acubus configeretur.

73. Dolor in stomacho perpetuus: ut punctura in ore per momenta pungentes, vel per modum indigestionis, vel magnæ debilitatis, aut duræ pilæ aggravantis, quo suffocari, ac strangulari videtur ægrotus.

74. Cibus semper indigestus, crebræque vomitiones, si hoc non eveniat, quando cibus est benedictus.

75. Ventris dejectio, inflatio, & tumor per flatum frigidissimum, vel calidissimum sensibiliter permeantem, discurrentem, & evanescentem.

76. Colli, & renum frequentes perpessiones.

77. Particulæ corporis velut nexibus ligatæ, & oculorum palpebræ ita astrictæ, ut vis aperiri possint.

78. Sudores leves circa noctem, quamvis temporis constitutio frigida vigeat, quorum Medici nesciunt causam naturalem assignare.

79. Syncoparum accidentia statutis horis advenientia, cum continuo vitæ tædio, gravamine melancholiæ, obstinata taciturnitate, & suspiriis, quæ luctuosa vocantur, absque manifesta causa emissis. (Sic de quadam muliere obsessa legitur, quod primò cujuscunque mensis die agitabatur, in Vita B. Jacobi de Oldo Presbyteri *peres Acta Sanctorum Bollandiana* 18. *Aprilis*.)

80. Tremor in membris, & præcipuè in capite patientis causatus per præsentiam spiritualium rerum, vel personarum.

§ 1. In-

81. Inquietudo, qua aliquis nullo modo quieſcere poteſt nec ſtando, nec ſedendo, nec decumbendo, & infirmitas nulla apparet.

82. Tuſſis ſicca valdè moleſta patienti, & aliis ſine pituitæ expulſione, quæ nunquam conſumatur, ſed aggravatur dum ſpiritualia adminiſtrantur.

83. Oſcitatio frequens cum maxima oris dilatatione, & præcipuè dum aliqua ſacra lectio habetur.

84. Tumores ſubiti, qui in aliqua parte corporis citò oriuntur, & ſine aliqua cura naturali citò evaneſcunt.

85. Decurſus ſubiti caloris, vel frigoris exceſſivi per humeros, & renes.

Signa pro Infantibus particularia.

XVI. 1. Quando nunquam poſſunt lacte ſatiari, etiamſi continuè lac ſugant nedum ex una, ſed ex pluribus nutricibus, ac magis fiunt macilentes, ſignum eſt evidens, ſi verò etiam habeant faciem ad modum hominis ſenis eunuchi, & ſint ponderoſiſſimi, periculum eſt, quod filii ſint ſuppoſitii, id eſt a dæmone poſiti loco filiorum verorum. Reliqua verò ſigna mox enumeranda ſunt probabilia.

2. Quando ſæpius contremiſcunt nulla apparente cauſa, maximè ſi adjungatur, quod continuè flent, & non dormiunt, & prius non erant tales.

3. Quando habent oculos timidos, ac pavidos, nec audent rectè aſpicere Exorciſtas, ac religioſos devotos. (Aliud huc ſpectans ſignum vide ſupra inter ſigna probabilia *num.* 33.)

4. Quando repentè, amiſſa bona faciei, ac totius corporis conſtitutione, fiunt pallidi, & macilentes, & præcipuè ſi mater, vel aliquis ex

domeſticis eſſet maleficio affectus, & effectus conſimiles pateretur; nam aliquando tota una familia maleficio afficitur.

5. Quando non amplius volunt lac ſugere, & tenent os apertum.

6. Quando Infantes videntur ſæpius mori, & non moriuntur.

7. Quando, nullis peccantibus humoribus ſi ex ſanis repentè fiunt infirmi, & præcipuè in aliquo membro ſint compreſſi, vel appareat aliquod foramen in corpore, aut ſub lingua, in auribus, circa umbilicum, in pedibus &c.

8. Quando circa renes, vel in pectore ſunt nigri.

DOCUMENTUM IV.

HÆc autem ut magis cognoſcat, poſt unum, aut alterum exorciſmum interroget obſeſſum, quid ſenſerit in animo, vel in corpore, ut ſciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet ac repetat.

SUMMARIUM.

1. *Signa probabilia evadere poſſunt certa, & quomodo?*

2. *Li-*

2. *Licet interrogare obſeſſum, ad quæ verba magis dæmones conturbentur.*
3. *Dæmones Exorciſmis conturbantur, & torquentur,*
4. *Et magis per quædam verba quam per alia.*
5. *Aſſignatur cautela in hoc adhibenda.*

COMMENTARIUM.

Hæc autem, ut magis cognoſcat &c.

I. PLura enim ſigna, quæ merè probabilia, & æquivoca ſunt, exorciſmi adminiculo evidentia evadunt.

Interroget Obſeſſum.

II. Aliud eſt interrogare dæmonem ad quænam verba magis crucietur, aliud obſeſſum ipſum interrogare. Hoc ſecundum a noſtro Rituali admittitur; primum verò non, & eſſet illicitum, ut conſtat ex iis, quæ docuimus in Commentario Tituli *num. 9.*

Ut ſciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur.

III. Dæmones conturbari, torqueri, uri exorciſmis, docuerunt Patres. Tertullianus in Apologetico adverſus Gentes fatetur, dæmones *dolentes* exorcizari. D. Cyprianus ad Demetrianum: *O ſi audire eos velles*, ait, *& videre quando a nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis....*

quando ejulantes, & gementes voce humana, & poteſtate divina flagella, & verbera ſentientes venturum Judicem confitentur. Et Epiſtola ad Magnum: *Quod hodie etiam*, inquit, *geritur, ut per Exorciſtas voce humana, & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus.* Lactantius Inſtitutionum Divinarum lib. 2. cap. 15. *Itaque*, ait, *maximis ſæpe ululatibus editis verberari ſe ſentiunt, & ardere.... proclamant.* S. Zeno Veronenſis Sermone de Reſurrectione ſcribit: *Vagi atque immundi ſpiritus.... utriuſque ſexus humani doloſa blanditiarum captione, ſeu violentia viventium domos corporales infringunt..... At ubi ventum fuerit ad divini certaminis campum, cœperintque ſacri nominis telo pulſari, tunc vexatum certari miſereris: diſcoloratur enim per momenta color, figura ſua tollitur a natura, in obliquos horroris inſani vertuntur orbes oculorum, acies dentium ſpumatis horrida globis inter labia liventia ſtridit, intorta omnia paſſim membra tremore vibrantur, gemit, flet, denuntiatum pavet judicii diem, pellique ſe plangit.... At cum divina adjuratione in eculeo ſpirituali torquentur, nolentes, & inviti diſcedere compelluntur.* Et tandem S. Gregorius Nazianzenus *carm.* 61. teſtatur quod dum exorciſmos ipſe agebat dæmon *ſtridens, renidens, & inclamans vim Altitonantis*, longè abiit.

Porrò dæmones magis per quædam verba, quam per alia torqueri conſtat ex praxi Eccleſiæ, nam ut notat Joannes Micrologus de Eccleſiaſticis obſervationibus *cap.* 7. " Secundum „ Romanam auctoritatem nullam orationem „ *per eum, qui venturus eſt*, concludimus, „ niſi ſit exorciſmus, in quo diabolus per di„ vinum judicium, ut a creatura Dei diſce-

„ dat,

„ dat, exorcizatur, sive adjuratur " & rationem hujus reddit Cæsarius Heisterbachius *lib.* 5. *cap.* 10. inquiens, " sentiunt, & timent dæmones pœnam sibi præparatam, hinc est, quod „ omnes Exorcismi, qui ad illorum nequitiam „ enervandam fiant, per ignem, & extremum „ Judicium concluduntur " quod forte longe prius docere voluit Tertullianus, cum in Apologetico adversus Gentes cap. 23. scripsit: *Atquin omnis hæc nostra in illis* (spiritibus scilicet immundis) *dominatio, & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia expectant..... ita de contactu, deque afflatu nostro contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentes, & nobis præsentibus erubescentes.* Si ergo Ecclesia potius exorcismos concludit: *per eum qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem*, quam per alia verba, ut magis dæmonis vires infringat, & nequitiam enervet, fatendum plane erit, diabolum ad quædam verba magis conturbari. Hæc dicta volui, ad vindicandum hoc Ritualis nostri monitum, quod ab aliquibus non satis probari videtur, & præcipuè a *P. Brognolo in Manuali Exorcist. part.* 1. *cap.* 3. *art.* 5. *quæst.* 7.

V. Advertendum est tamen, Exorcistam non nimis in hoc fidere debere, cum dæmon vaferrimus ostendere possit se gravissimè torqueri cum aliqua sacra proferuntur, & non ad alia forte efficaciora, & tamen haud sic esse, *sed cautus esse debet, innumerabiles enim sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem*, ut ait Rituale nostrum, Documento sequenti.

DOCUMENTUM V.

ADvertat quibus artibus, ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimum fallaciter respondere, & difficilè se manifestare, ut Exorcista diù defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omnino esse liberatum: sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcunque possunt impedimenta, ne infirmus se subjiciat exorcismis; vel conatur persuadere infirmitatem esse naturalem: interdum in

medio Exorciſmi faciunt dormire infirmum, & ei viſionem aliquam oſtendunt ſubtrahendo ſe, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum; ſed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad ſagos, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ Miniſtros confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quieſcere, & ſuſcipere Sanctiſſimam Euchariſtiam permittit, ut diſceſſiſſe videatur: denique innumerabiles ſunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur Exorciſta cautus eſſe debet.

S U M M A R I U M.

1. *UT artes, & deceptiones dæmonis Exorciſta cognoſcat, orare debet Deum, & Beatam Mariam.*
2. *Præcipuum dæmonis ſtudium eſt fallere.*

3. *Hinc*

3. Hinc dæmon non est fide dignus, etiam si vera loquatur.
4. Imò nec quando dicit se compelli a Deo, vel ab Ecclesia ad veritatem dicendam.
5. Illicitum proinde est Exorcistæ juramentum exigere a dæmone sui exitus a corpore obsessi.
6. Inter fallacias, quibus utitur, una est, difficile se manifestare.
7. Alia est se abscondere, postquam est manifestus.
8. Imò interdum relinquunt corpus, & deinde redeunt.
9. Petere signum exitus a dæmone, negant aliqui licitum esse.
10. Asseritur a nobis.
11. Quædam signa exitus enumerantur.
12. Alia fallacia est, persuadere obsesso infirmitatem esse naturalem.
13. Obsessi Parentibus,
14. Et Vulgo.
15. Facile hoc decipiuntur errore Medici.
16. Probatur homines vexari a dæmone posse per maleficium, quod revera dari ostenditur usque ad num. 17.
17. Triplex genus maleficii enumeratur.
18. Aliqua exempla maleficii soporiferi referuntur.
19. Maleficii amatorii mentio habetur in Sacra Scriptura.
20. Quædam exempla ejusdem maleficii narrantur ad num. 23.
21. Alia de maleficio hostili exhibentur.

Dari etiam maleficium ligaminis, quod ad hostile spectat, ex sacris Canonibus ostenditur.

Et etiam exemplis.

Species cujusdam rari maleficii exemplo detegitur.

Colligi-

Colligitur quam immerito aliqui maleficia negent.

Maleficiatus non debet ullo modo judicare de auctore maleficii.

Non licere ad Magos confugere ut maleficium solvatur, ostenditur ex sacris litteris, & Doctoribus.

Etiam si malefici parati sint maleficium maleficio tollere.

Quædam Objectiones solvuntur,

Et rursus alia objectio refertur,

Quæ item solvitur.

Ac exemplo, & auctoritate responsio roboratur.

Recurrentes ad Magos, & ad Sagas interdum, Deo permittente, sævius vexantur a dæmone, & num. 40.

Licitum tamen est ad maleficum confugere, quando probabiliter creditur posse modo licito maleficium tollere.

Quædam tamen limitationes assignantur.

Securius est ad remedia Ecclesiastica confugere.

Nedum ad magos confugere, sed & modis superstitiosis uti, illicitum esse probatur.

Non tamen per hoc reprobantur sacra amuleta seu brevia, Reliquiæ, imagines Sanctæ &c. quæ res superstitiosæ non sunt.

Imo earum usus comprobatur sanctissimus, piissimus, & utilissimus ad num. 51.

Circa hæc tamen, quædam advertenda traduntur.

Conciliantur Sancti Patres, qui nobis oppositi videntur.

Etiam si dæmon permittat vexatum sumere Sanctissimam Eucharistiam, non tamen hoc est signum, quod dæmon abierit.

Magnum est hominis discrimen, versari inter diaboli astutias, & ideo ut facilius ista detegan-

tegantur, de eorum cognitione Exorcista instruitur.

Tribus modis dæmon cognitionem accipit, ex SS. PP.

Et ex Sacra Scriptura.

Quousque hæc se extendat, explicatur per Regulas, cum quibusdam limitationibus usque ad num. 63.

64. Voluntas dæmonis habet moralem necessitatem peccandi, & similem impotentiam ad actum moraliter bonum.

65. Et quamvis aliquem actum bonum facere videatur, tamen non bene eum facit.

66. Dæmon homines impugnat.

67. Imò hoc est ejus præcipuum ministerium.

68. Insuper gaudet de malo spirituali hominis.

69. Assignantur motiva hujus pravi gaudii, ad num. 70.

71. Deus tamen non sinit quantum diabolus vellet.

72. His de voluntate, & intellectu dæmonis explicatis, de ejus potentia dicendum occurrit.

73. Dæmonis potentia naturalis circa res corporeas explicatur.

74. Dæmon non potest miracula facere, ad num. 76.

77. Discrimina inter vera, & falsa miracula assignantur.

78. Non potest dæmon rem aliquam creare,

79. Nec formam substantialem immediatè producere.

80. Quid dicendum sit de serpentibus magorum Pharaonis, aperitur, ad num. 85.

86. Potest tamen producere quædam animalia.

87. Diversimodè tamen ac produxit Moyses.

88. Non potest in instanti aliquam mutationem facere.

89. Potest tamen brevi sanationes quasdam operari, demptis morbis incurabilibus.

90. Non

90. *Non poteſt tranſmutare humana membra in beſtialia.*
91. *Quamvis poſſit humana corpora affligere.*
92. *Non poteſt dæmon in inſtanti motum localem exercere.*
93. *Licet poſſit breviſſimo tempore corpus movere.*
94. *Mens noſtra circa realem magorum, & ſagarum deportationem ad nocturna conventicula aperitur uſque ad num. 99.*
100. *Non poſſe dæmonem impedire virtutem agentium naturalium ab intrinſeco, quamvis ab extrinſeco poſſit, oſtenditur.*
101. *Nihil poteſt in corpora Cœleſtia.*
102. *Et quid poſſit in elementa, traditur.*
103. *Poteſt terræmotus efficere, fulgura, &c.*
104. *Non poteſt mortuos ſuſcitare; ubi de anima Samuelis per Pythoniſſam evocata diſſeritur. Uſque ad num. 108.*
109. *Huc uſque dicta videntur ſufficere ad intentum.*
110. *Aſſignantur modi, quibus dæmon poteſt quidquid poteſt.*
111. *Quidquid poteſt dæmon, cum ſua proportione poſſe ejus miniſtros, aſtruitur.*
112. *Quæ non poteſt dæmon facere, ſi facta videantur, illuſiones ſunt reputandæ.*
113. *Concluditur his omnibus, ſufficienter inſtructum eſſe Exorciſtam ad dæmonis fraudes cognoſcendas.*

COM-

COMMENTARIUM.

Advertat quibus artibus, ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorciſtam decipiendum.

I. EUt magis advertere poſſit, oret Deum Exorciſta, ut tam verſipellis hoſtis aſtutias cognoſcere, & confringere poſſit. Hoc apertiſſimè docet D. Antonius Abbas referente D. Athanaſio in ejus Vita, inquiens: *Multis precibus, atque exercitatione eſt opus, ut accepto quis ſpiritus dono diſcernendi ſpiritus, horum naturas noſſe poſſit .... multi enim illorum ſunt doli, multæ inſidiæ, quas parant. Beatus itaque Apoſtolus, ejuſque æmuli talia norunt cum dicerent: Non enim ignoramus cogitationes ejus.* Deinde oret Exorciſta Beatiſſimam Virginem, ut ejus ope declinet verſutias ejus, & machinamenta, & prælia ſubdola. „ Hoc autem, *inquit Joannes Gerſon collat. de Angelis in initio*, ut „ nunc, & olim fiat, implorandum eſt illius au„ xilium, pro qua ad eum comminatus eſt Do„ minus dicens: *Et ipſa conteret caput tuum.* (*Geneſ. 3. v. 15.*)

Solent enim ut plurimum fallaciter reſpondere.

II. Hoc eſt unum ex præcipuis dæmonum ſtudiis. *Fallunt autem*, ait D. Auguſtinus de Divinatione dæmonum cap. 6. *etiam ſtudio fallendi, & invida voluntate, qua hominum errore latantur.*

tantur. Non semper tamen fallunt, sed ut plurimum. *Diabolus* enim *interdum verum dicit ..., concessum est autem diabolo, & interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Si autem nunquam diceret verum, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus*, ut ait Auctor Operis Imperfecti, *hom. 19. in Matth.* In vero autem, quod interdum profert, finem semper habet fallendi, ut pariter observavit D. Augustinus, de diversis quæstionibus ad Simplicianum *quæst. 3.* dicens: *Miscent tamen isti fallacias, & verum quod nosse potuerint, non docendi magis, quam decipiendi fine pronuntiant.*

III. *Hinc cum veritatem loquitur, non fide dignus est veterator ille*, ut cum D. Athanasio *orat. 1. contra Arianos* loquar, quod exemplo suo nos docuit Salvator, dum silentium imposuit dæmoni verum clamanti: *Scio qui sis, Sanctus Dei*; statim namque *comminatus est ei Jesus, dicens: obmutesce*, ut refert S. Marcus *c. 1. v. 24. & 25.* ad quæ respiciens D. Antonius Abbas, referente D. Athanasio in ejus Vita, *ipse quoque Dominus*, ajebat, *quamvis dæmones vera loquerentur, verè enim dixerunt: Tu es filius Dei; tamen jussit obmutescere, fierique silentium, ne quando veritati quid vitii de suo aspergant, utque nos consuefaciat a talibus aures nunquam non avertere, etiamsi vera loqui videantur*. Super eadem Evangelii verba inquit Victor Antiochenus: *Salutare quoque documentum per hoc nobis tradidit, ne videlicet ullam unquam dæmonibus fidem habeamus, etiamsi vera se dicturos profiteantur*. Idem pariter tradit Euthymius Zigabenus Comment. in Evangel. Marci cap. 1. *Docuit nos*, inquit, (Christus) *ne dæmonibus unquam credamus, etiam vera dicentibus*. Et ra-

tionem

tionem ſupra aſſignatam adducit: *cum enim ament mendacium, ſintque nobis inimiciſſimi, nunquam vera loquuntur, niſi ad fallendum, veritate, quaſi eſca quadam, utantur.*

IV. An autem dæmoni fides adhibenda ſit, cum a Deo, aut ab Eccleſia ad veritatem dicendam ſe compelli dicat, affirmat Hadrianus Lyræus in Triſagio Mariano *lib.* 1. negat autem Bail, in quodam ſuo Opuſculo a ſe indicato *tom.* 2. Summæ Conciliorum, ubi de Concilio Pariſienſi ſub Gregorio IV. anno 829. Primò, quia dæmon eſt mendax, & ſubdolus hoſtis humani generis, ideo fide indignus. Secundò, quia calumniator eſt juſtorum hominum. Tertiò, quia poteſtas data Eccleſiæ ſuper energumenos extendit ſe ad ipſos è corporibus ejiciendos cum imperio, & & poteſtate, non ad inquirendam rerum occultarum veritatem. Quare ſi quid verum dicat diabolus, ut aliquando accidit, non id tribuendum virtuti ordinariæ exorciſmorum, ſed vel dæmonis voluntati propter fines illos, quos ſibi proponit, vel forſan Sanctitati Exorcizantis. Quartò, quia facultas Pariſienſis in Comitiis Ordinariis Sorbonæ anno 1623. die 2. Januarii, & iterum die 2. Martii damnavit quemdam librum editum cum hoc titulo: *Vera & memorabilis hiſtoria de tribus energumenis &c.* Motiva autem cenſuræ, & damnationis revocantur in Actis facultatis ad quatuor capita, quorum primum, & ſecundum, quæ ad rem noſtram propius ſpectant, ſunt: Primum: *Quod vellet Auctor & condemnat dæmonem ſi certis rationibus, quas profert, ſe Sacramento obſtrinxerit non poſſe fallere, eique fidem eſſe adhibendam. Quod omnibus dolis, & deceptionibus viam ſternit.* Secundum eſt: *ſi hoc præſtito juramento aſſeveret dæmon ſe tanquam Miniſtrum Dei accepiſſe provinciam*

enuncian-

enunciandi aliqua ad Dei Gloriam, & fidelium institutionem, ei auscultandum, & obediendum esset. Quod aliquo pacto Idolatriam sapit. Cui Bail sententiæ libenter subscribimus tum ob ejus motiva, tum ob Patres a nobis relatos.

V. Hinc obiter notet Exorcista, illicitum esse exigere a dæmone juramentum sui exitus a corpore obsessi, quod juramentum exigitur a quibusdam Exorcistis antiquis, qui proinde cavendi sunt.

Et difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus.

VI. Enumerat hic Rituale nostrum plures ex fallaciis, quibus sæpe utitur dæmon, ut Exorcistam decipiat, sed aliquæ ex his nullo indigent Commentario: ex se enim patent.

Aliquando postquam sunt manifesti abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omnino esse liberatum.

VII. Pluribus exemplis id comprobatum habemus. In parte 4. miraculorum S. Joannis Gualberti 12. Julii legitur, quod quidam vir a dæmonibus obsessus, adductus fuit ad monasterium, & sepulchrum Sancti „ fiunt itaque pre-

„ ces more ſolito.... Mira res! inter orandum
„ ſæpius his agitabatur furiis, ut vix etiam fu-
„ nibus, & catena ligatus, & vinctus a quam-
„ pluribus viris atrociſſimis teneretur. Non-
„ numquam verò quamdam præſeferre humani-
„ tatem, & modeſtiam, ut qui aderant fere
„ major pars affirmaret, eum nullo affici do-
„ lore, nullo torqueri morbo, nulla indigere
„ curatione; nam in dæmone tantus dolus, tan-
„ ta calliditas, & aſtutia erat, ut ſignum Cru-
„ cis in hominis fronte fieri permitteret, &
„ quod majus eſt, Dominicam orationem, & Vir-
„ ginis Mariæ hymnum ipſum proferri ſineret,
„ ita ut ex Monachis etiam nonnulli ſanum,
„ & incolumem dicerent. Cæterum, ... cum
„ Religioſi Viri a pio opere non deſiſterent.....
„ dæmones..... cœperunt ipſi varias, & tarta-
„ reas emittere voces.... & demum ingenti vi funi-
„ bus effractis, curſum foras arripiens, eum vix
„ turba hominum in corona reducta cœperunt.
„ Non parvo itaque tempore in pio opere con-
„ ſumpto, demum dæmones unus poſt alterum
„ exeuntes, eum fere vita hac privatum reli-
„ quere.„ Similiter in Vita S. Norberti *cap.* 13. narratur, quod quidam pervaſus a dæmone ad-ductus fuit ad Sanctum Virum „ quem cum „ P. Norbertus diligenter eſſet intuitus.... cœ-„ pit hominem ſignare, & exorcizare, donec „ quieſceret.... Rogabat ſiquidem orando San-„ ctam Dei Genitricem, ... ut ejus miſereretur.... Quod videntes, qui adſtabant, ga-„ viſi ſunt valde, gratias agentes Deo, & dicentes: Eja benedictus Deus per omnia..... „ ſed ille..... non eſt, inquit, ut vos putatis, quia numquam Spiritus iſte nequam „ receſſit, ſed latitat.... ex divinæ virtutis timore ut non expellatur, ſed nobis receden-

„ tibus

„ tibus acrius hunc miserum valeat cruciare, „ qui deinde a S. Abbate liberatus fuit. Tamdem in Vita S. Kingæ, seu Cunegundis Virginis, apud Bollandianos Continuatores, *die* 24. *Julii* legitur, quod „ quædam puella decimum annum agens „ a dæmone obsessa, ... in cœnobium Sanctimonialium, & ad Sepulchrum S. Cunegundis .... adducta est ... Cognatis autem, & „ necessariis Sanctam Dei Cunegundim pro illa, „ & ejus liberatione suppliciter obsecrantibus, „ liberata est tam pro suo, quam amicorum, „ & assistentium judicio, nulla obsessionis, & „ vexationis dæmoniacæ perferens signa. Verum „ a Monasterio ad hospitium deducta, dæmon, „ qui fallaciter se ad tempus occuluerat, mordacius illam excruciare cœpit „ quæ postea a Sancta ei apparente sanata fuit.

VIII. Imò revera interdum relinquunt corpus, & deinde redeunt. Tilmanus Bredembachius gravis æque, ac pius Auctor *lib. 7. Sacr. Collat. cap* 39. „ Narravit mihi, *inquit*, Venera„ bilis Dominus N. ætate, doctrina, & vitæ „ sanctimonia commendatissimus, atque etiam „ nunc superstes, eo ipso die, quo novus „ Evangelista Martinus Lutherus defunctus „ est, universos homines, qui id tempus ad „ Gheelam Brabantiæ, spe liberationis, quam „ ad corpus S. Dymnæ divino beneficio plurimi jam inde a multis retro annis consequi so„ lent, advecti erant, è teterrimis illis, & hor„ rendis dæmonibus, hospitibus suis liberatos; „ postridiè verò ab iisdem rursus obsessos, & „ discruciatos fuisse: dæmones verò, cum in„ terrogarentur, ubi pridie delituissent, re„ spondisse, principem ipsorum, & Archidæ„ monem præcepisse; ut universi spiritus mali„ gni ad sui prophetæ, & fidelis cooperarii Mar-

„ tini Lutheri exequias confluerent; congruere
„ enim, ut qui quamplurimos ad inferos redu-
„ xisset, a quamplurimis ad eosdem solemniter
„ reduceretur. „ *Et addit Tilmanus:* „ Hanc
„ historiam cum referrem in præsentia quorum-
„ dam virorum honoratorum, quidam magni
„ Principis Consiliarius subjunxit, se fuisse Islebii
„ in ædibus paternis Lutheri, in quibus & de-
„ functus est: ibidemque paulò ante mortem
„ Lutheri, quemdam Luthero a multis annis ser-
„ vientem, fortè è fenestra cubiculi, in quo id
„ temporis erat Lutherus, fontem rivulos suos
„ grato murmure emanantem voluisse conspi-
„ cere, è cujus margine mox ille videret pluri-
„ mos teterrimos cacodæmones, huc, illuc sal-
„ titantes: quo viso, cum ille vehementer per-
„ celeretur, animoque, & vultu totus permu-
„ taretur, rogasse Lutherum palloris istius, &
„ subitæ mutationis causam. Quam cum ille
„ celaret, tandem resumpto spiritu, rursus
„ paululum a fenestra prospexit, ac denuò dæ-
„ mones terribilibus teterrimarum bestiarum
„ formis aspiciens, majori horrore, ac trepidatio-
„ ne concussus sit. Cumque rursus Lutherus
„ instaret, ut quid vidisset ediceret; tandem
„ illum rem visam Luthero aperuisse: Qui cum
„ paulò post defungeretur, & cadaver Vvitem-
„ bergam veheretur, toto illo itinere innume-
„ rabilem corvorum, horrendum in modum
„ crocitantium, multitudinem, funus super-
„ volitasse, ac Vvitembergam usque comitatum
„ suum præstitisse. Atque hi procul dubio fue-
„ runt isti (addebat Consiliarius,) qui mandato
„ sui Principis, & Archidæmonis, vasa, quæ
„ prius occupaverant, dimittentes, ad exequias
„ Martini Lutheri confluxerunt, ne quisquam
„ istorum tantis deesse videretur solemniis. „

Sed

Sed ceſſare non debet Exorciſta, donec viderit ſigna liberationis.

IX. Pater Candidus Brognolus in Manuali Exorciſtarum *part.3. cap.4. art.5. §. 2.* ſuperfluum eſse aſserit petere a dæmone ſignum exitus a corpore obſeſſi. Hujus ratio eſt, quia dæmon eſt mendax, & pater mendacii; poteſt enim lampadem extinguere, vitrum frangere, campanam pulſare, abſque eo quod egrediatur ab energumeni corpore.

X. His tamen obſtat uſus Eccleſiæ, & Rituale noſtrum, quod apertiſſimè indicat in 1. Exorciſmo poſito ante Evangelia legenda ſuper Obſeſſum, hæc ſigna liberationis peti poſse; & hic ſupponit, quia, licet dæmon aliquando poſſit eſse fallax, raro tamen ita contingit, quando in ſigni poſtulatione ſervatur modus ab Eccleſia præſcriptus. Nam ſignum hoc petitur, non ut conducens ad expulſionem, ſed ut expulſio in nomine Chriſti ſequuta, nobis manifeſtetur. Credendum namque eſt, quod Chriſtus reliquit ſuæ Eccleſiæ poteſtatem ad expellendum dæmones, ut docuimus ſupra in Comment. Document. I. num. 24. non qualemcumque, ſed manifeſtam, & conſequenter ad expoſtulandum ſignum, quo expulſio nobis innoteſcat. Et quamvis dæmon ſit pater mendacii, quotieſcunque tamen cogitur virtute divina per Exorciſmos Eccleſiæ, fallere nequit.

XI. Cæterum, nulla ſunt ſigna infallibilia, quia ipſi non aliis rebus exire coguntur, niſi Dei voluntate, ac proinde poteſt plura ſigna egreſſus dæmon Exorciſtis promittere, & minime egre-

di, sed in obsessis latere. Signa autem probabiliter egressum manifestantia, in primis sunt, ipsorum spirituum confessio, qualis illa fuit de qua scribit D. Marcus cap. 1. v. 24. *Et clamavit dicens: quid nobis, & tibi Jesu Nazarene! Veniſti ante tempus perdere nos.* Secundò, in terram collisio, & dejectio, ac si energumenus mortuus videatur, ut accidit illi, de quo Marci 9. v. 25. dicitur: *Exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: quia mortuus est.* Tertiò, ingentes clamores, aut ejulatus, vel belluarum voces, ut legitur Actorum 8. v. 7. *Multi eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.* Plura alia hujusmodi signa colligi possunt ex historiis in hoc Opere adductis. Probabilius tamen signum, licet non adeo manifestum est, cum persona prius obsessa se veluti a quodam magno pondere exoneratam, a quodam ligamine solutam, & a quocumque dolore, & gravamine sublevatam, ac cor suum ob liberationem hilaritate, ac jucunditate repletum habere experitur, idque per multum temporis: licet enim dæmon possit se abscondere, ut vidimus supra num. 7. tamen diu ibi esse sine eo, quod aliquas molestias inferat, attenta ejus invidia, & in homines livore, moraliter est impossibile. Nam ut dicitur Proverb. 6. v. 37. *Numquid potest quis abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant.*

Conantur persuadere, infirmitatem esse naturalem.

XII. Hæc est una ex præcipuis astutiis dæmonis, qua utitur ad decipiendum ipsum vexatum, ut

ut docuit Auctor homiliarum, quæ S. Clementi tribuuntur, homil. 9. num. 12. editionis Cotelerii, inquiens: *Itaque per latentes in eorum animabus dæmones, datur illis* (scilicet obsessis) *intelligi, se non a dæmone vexari, sed a corporis morbo, exempli gratia, vel ab acri materia, vel a bile, vel a pituita, vel a nimio sanguine, vel ab inflammata cerebri membrana, vel ab alio quopiam.*

XIII. Id ipsum persuadere conatur diabolus ipsis etiam energumenorum parentibus, ut habemus in Evangelio Matthæi 17. ubi narratur, quod accessit ad Christum homo genibus provolutus ante eum dicens: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur.* Super quæ verba apposite hæc scribit S. Petrus Chrysologus serm. 52. de dæmoniaco surdo, & muto: *Domine*, inquit, *miserere filii mei, quia lunaticus est, & male torquetur. Aut humanæ naturæ, aut cœlestis elementi dæmon, quod suæ artis fuerat, voluit videri, aptans lunæ cursibus hominis passiones. Vexabat corpus Lunaribus incrementis, ut esse Lunæ crederent, quod erat diabolici criminis, & furoris.*

XIV. Imò errorem hunc spargit dæmon in vulgus, ut notat Paschasius Rothobertus *lib.* 8. in Evangel. Matth. *Notandum*, inquit, super relata verba, *quod Evangelista eum etiam juxta patris vocem, & æstimationem vulgi lunaticum vocat, non quod a Luna aliquid pateretur molestiæ, qui spiritu vexabatur immundo, sed quia callidus hostis sic suis operabatur ludibriis in homine, justa lunarem cursum, ut ab ea pati æstimaretur a populo, quatenus per hoc Dei Creatura, quæ bona creata est, atque hominibus perutilis, & necessaria infirmaretur, ejusque infamiam ad Creatoris injuriam retorqueret.* Plu-

di, sed in obsessis latere. Signa autem probabiliter egressum manifestantia; in primis sunt, ipsorum spirituum confessio, qualis illa fuit de qua scribit D. Marcus cap. 1. v. 24. *Et clamavit dicens: quid nobis, & tibi Jesu Nazarene! Venisti ante tempus perdere nos.* Secundò, in terram collisio, & dejectio, ac si energumenus mortuus videatur, ut accidit illi, de quo Marci 9. v. 25. dicitur: *Exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: quia mortuus est.* Tertiò, ingentes clamores, aut ejulatus, vel belluarum voces, ut legitur Actorum 8. v. 7. *Multi eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant.* Plura alia hujusmodi signa colligi possunt ex historiis in hoc Opere adductis. Probabilius tamen signum, licet non adeo manifestum est, cum persona prius obsessa se veluti a quodam magno pondere exoneratam, a quodam ligamine solutam, & a quocumque dolore, & gravamine sublevatam, ac cor suum ob liberationem hilaritate, ac jucunditate repletum habere experitur, idque per multum temporis: licet enim dæmon possit se abscondere, ut vidimus supra num. 7. tamen diu ibi esse sine eo, quod aliquas molestias inferat, attenta ejus invidia, & in homines livore, moraliter est impossibile. Nam ut dicitur Proverb. 6. v. 37. *Numquid potest quis abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant.*

Conantur persuadere, infirmitatem esse naturalem.

XII. Hæc est una ex præcipuis astutiis dæmonis, qua utitur ad decipiendum ipsum vexatum, ut

ut docuit Auctor homiliarum, quæ S. Clementi tribuuntur, homil. 9. num. 12. editionis Cotelerii, inquiens: *Itaque per latentes in eorum animabus dæmones, datur illis* (scilicet obsessis) *intelligi, se non a dæmone vexari; sed a corporis morbo, exempli gratia, vel ab acri materia, vel a bile, vel a pituita, vel a nimio sanguine, vel ab inflammata cerebri membrana, vel ab alio quopiam.*

XIII. Id ipsum persuadere conatur diabolus ipsis etiam energumenorum parentibus, ut habemus in Evangelio Matthæi 17. ubi narratur, quod accessit ad Christum homo genibus provolutus ante eum dicens: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur.* Super quæ verba apposite hæc scribit S. Petrus Chrysologus serm. 52. de dæmoniaco surdo, & muto: *Domine*, inquit, *miserere filii mei, quia lunaticus est, & male torquetur. Aut humanæ naturæ, aut cœlestis elementi dæmon, quod suæ artis fuerat, voluit videri, aptans lunæ cursibus hominis passiones. Vexabat corpus Lunaribus incrementis, ut esse Lunæ crederent, quod erat diabolici criminis, & furoris.*

XIV. Imò errorem hunc spargit dæmon in vulgus, ut notat Paschasius Rothobertus *lib.* 8. in Evangel. Matth. *Notandum*, inquit, super relata verba, *quod Evangelista eum etiam juxta patris vocem, & æstimationem vulgi lunaticum vocat, non quod a Luna aliquid pateretur molestiæ, qui spiritu vexabatur immundo, sed quia callidus hostis sic suis operabatur ludibriis in homine, justa lunarem cursum, ut ab ea pati æstimaretur a populo, quatenus per hoc Dei Creatura, qua bona creata est, atque hominibus perutilis, & necessaria infirmaretur, ejusque infamiam ad Creatoris injuriam retorqueret.* Plu-

ra occurrunt exempla in Sacra Hiſtoria, ſed unum ſufficiat ex miraculis recentioribus S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis depromptum, penes Bollandianos Continuatores, *die 7. Maii*; interceſſione namque ejuſdem Sancti fuit liberatus „ „ energumenus a dæmone continuos cruciatus, „ moleſtias, dolores immenſos, maximè vero in- „ creſcente, & decreſcente Luna paſſus.... vi- „ ſitat ædiculam (*S. Martyris*) in eaque poſt „ Confeſſionem, & pœnitentiam, Sacra Synaxi „ percepta, liberatus a dæmone, multas gratias egit.

XV. Et facilius medicos hoc decipi errore, quam alios teſtatur idem Paſchaſius ibidem ſubdens: *Unde de talibus loquuntur Medici quod cumque volunt, qui nec eos immundum habere ſpiritum arbitrantur, ſed corporalem aliquam paſſionem propter humorem cerebri in Luna curſu vitiatum, quia & Luna humidam habet naturam.*

Aliqui oſtendunt factum maleficium.

XVI. Dupliciter homines vexantur a dæmone, ſeu obſidentur, vel immediatè per ipſum, vel mediante maleficio, quod nihil aliud eſt, quam facultas, qua quis ope dæmonis alteri damnum parat. Non me latet, aliquos dixiſſe, *quod maleficium*, ut cum D. Bonaventura loquar, in 4. diſt. 24. quæſt. 2. in corp. *nihil erat in Mundo, nec alicujus vis niſi in ſola æſtimatione hominum, qui multos naturales defectus attribuunt maleficiis dæmonum, propter defectum fidei. Sed iſta poſitio derogat juri, & derogat opinioni vulgi, & quod majus eſt, experimento, & ideo*

non habet ſtabilitatem. Quod ante Doctorem Seraphicum docuerat etiam Doctor Angelicus *ibidem quaſt.* 1. *art.* 3. *in corp.* Igitur contra iſtos nobis pauliſper eſt immorandum, & ea, quam tradit S. Bonaventura methodo, utemur.

XVII. Hoc ergo aſſertum in primis *derogat juri*, & quidem divino, quod prohibet ad magos, & veneficos accedere; ſi enim non darentur hujuſmodi homines, qui maleficiis auxilio dæmonis in aliorum hominum perniciem uterentur, ad quid diceretur Levitici cap. 19. v. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini*; Et cap. 20. v. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui*. Et Deuter. 18. v. 11. & 12. *Non inveniatur in te..... maleficus, nec incantator, neque qui Pythones conſulat.... omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu ſuo*.

XVIII. Nec pariter in maleficos, & Magos ſtatuerentur pœnæ a Jure tum Canonico, tum Civili: & primo quidem; nam malefici excommunicandi ſunt. *Concil. Rom.* 4. ſub Damaſo *c.* 4. Leo IV. *Epiſt.* 2. & maleficia exercentes per quinquennium pœnitere debent. *Conc. Ancyran. c.* 23. Imò maleficus occidens aliquem maleficio, neque in fine recipiendus eſt ad Communionem. *Concil. Eliberit. c.* 6. Nunc verò Innocentius VIII. *Conſtit.* 1. *Summis*, ſtatuit hujuſmodi maleficos eſſe puniendos per Inquiſitores; & Gregor. XV. Conſtit 46. *Omnipotentis*, decrevit, quod ſi ex maleficio ſequatur mors, curiæ ſæculari malefici tradantur: ſi verò mors non ſequatur, ſed vel infirmitas, vel divortium, vel impotentia generandi, vel damnum in frugibus, vel aliis, muro perpetuo in carcere S. Officii claudantur.

XIX.

XIX. Et jure civili ſtatuitur, quod ſortilegi, & multo magis magiæ ſuperſtitioſæ rei pœnam publicationis omnium bonorum, & ultimi ſupplicii, etiam aliquando per ignem inferendi, incurrant: *l. nullus 3. & l. nemo 5. C. de maleficis.* Per conſtitutionem verò Caroli V. magiam cum damno tertii exercentes, igne cremandi; ſine aliorum damno autem, arbitraria pœna Judicis: v.g. relegationis, carceris, vel etiam ultimi ſupplicii, pro diverſitate circumſtantiarum puniuntur. Has juris civilis pœnas ex P. Anacleto Reiffenſtuel in *lib. 5. Decretal. titul. 22. num. 13. & ſeqq.* deprompſi.

XX. Derogat ſecundò *opinioni vulgi*, ut certo certius eſt; quare remanet ſolum, ut poſtremo loco oſtendatur, quod deroget *experimento*. Ut verò clare procedatur ſciendum eſt, quod ad tria potiſſimum genera reduci ſolet maleficium, nempe ad *ſomnificum*, ſeu *ſoporiferum*; *Amatorium*, Græcis *Philtrum*; & *Hoſtile*. Primum eſt, cum magi, vel ſortilegi, & ſagæ aliqua potione malo carmine, & certis ritibus ſoporant, ut interea ope dæmonis aliquod damnum hominibus afferant. Secundum eſt illud, quo aliquis in amorem impudicum ſui, vel alterius quempiam incendit, & ad parendum libidini ſuæ inflectit. Tertium eſt, cum Magus, aut ſortilegus bonis animi, & corporis aut fortunæ damnum infert. De his tribus generibus exempla ſelecta adducam, ex quibus conſtabit, dari hujuſmodi maleficia.

XXI. Et ut a primo genere incipiamus, narrat Ernaldus, ſeu Arnaldus Abbas Bonævallis in Vita S. Bernardi *lib. 2. cap. 6.* quod in regione Nannetenſi „ Erat miſera Mulier, quæ a „ quodam petulante diabolo vexabatur: (ap- „ paruit autem ei laſcivus ille diabolus in ſpecie „ mili-

„ militis, valde pulchri aspectu, & in amorem
„ suum intus suggestione latenti, extra locutio-
„ ne blandienti animum ejus fallaciter inclinavit.
„ Cumque mulieris assensum obtinuisset expan-
„ sis brachiis pedes ejus super una manuum
„ suarum posuit: altera vero manu caput ejus
„ operuit, sibique eam fœderis hujus signo dota-
„ vit.) Habebat autem illa virum strenuum
„ militem, sed hujus tam execrabilis commer-
„ cii prorsus ignarum. Abutebatur ergo ea,
„ etiam in eodem lecto cubante Marito, invisi-
„ biliter impurissimus ille adulter, & incredi-
„ bili vexabat libidine. „ Quod non nisi per so-porem in maritum immissum contingebat.

XXII. De secundo genere, scilicet de maleficio amatorio, seu Philtro plura habemus exempla, sed ante quam hæc afferamus, advertendum est, quod hujusmodi maleficii mentio habetur in Sacris Litteris, & in SS. Patribus. Sic Nahum cap. 3. v. 4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia.* Ubi S. Hieronymus scribit: *Facit enim amare eas, quæ odisse debuerunt, & detestari, quæ amare debebant, ut cum deceptæ fuerint, ... etiam alios malefica arte supplantent.* Advertendum tamen quod *quamquam hominem lacessere, atque aggredi ipsis* (nempe dæmonibus) *permissum sit, nemini tamen illi vim inferre possunt. In nobis enim situm est eorum tela vel excipere, vel propulsare.* Ut ait D. Joannes Damascenus *lib.* 2. fidei Orthodoxæ *cap.* 4. Hinc Facultas Theologica Parisiensis anno 1389. inter alios, hunc articulum in ordine 14. damnavit: *Quod possibile est per tales artes cogere liberum hominis arbitrium ad voluntatem, sive desiderium alterius.* Vide dicta supra in Comment. Tituli *num.* 38. & 39.

XXII.

XXIII. Nunc ad exempla accedamus, & primum illud sit quod narrat D. Hieronymus in Vita S. Hilarionis: „ De Gazensis emporii oppido „ Virginem Dei, vicinus juvenis deperibat, qui „ cum frequenter tactu, jocis, actibus, sibilis, „ & cæteris hujusmodi, quæ solent morituræ „ Virginitatis esse principia, nihil profecisset; „ perrexit Memphim, ut confesso vulnere suo, „ magicis artibus rediret armatus ad Virginem. „ Igitur post annum doctus ab Æsculapii vatibus „ non remedianti animas, sed perdenti, ve„ nit præsumptum animo stuprum gestiens, & „ subter limen domus puellæ tormenta quædam „ verborum, & portentosas figuras sculptas in „ æris Cyprii lamina defodit. Illico insanire „ virgo, & amictu capitis abjecto, rotare cri„ men, stridere dentibus, inclamare nomen ado„ lescentis: magnitudo quippe amoris eam in fu„ rorem verterat. „ Hanc postea ab hoc maleficio liberavit S. Hilarion, ut videbimus infra in Comment. Documenti XV. *num.* 17. & 19.

XXIV. Secundum illud sit, quod legitur in vita S. Irenes Hegumenæ Virginis cap. 5. *penes socios Bollandianos die 28. Julii:* „ Mulier quæ„ dam è nobilibus Cappadociæ, & ipsa genus „ trahens, accessit ad Irenen, fœminas inter, „ admiratione dignissimam. Coma capitis attonsa, & una ex earum, quæ sub ipsa vitam mo„ nasticam profitebantur, numero facta. Sed „ spiritus malignus, qui modis variis semper „ invidet bonis, sponsum in ipsius regione de„ gentem vehementer subingressus, valdè ac„ cendit, & amore sponsæ contabescere fecit, „ quo illa relicto, & omnibus contemptis, pro„ pter amorem Domini ad Irenes popularis suæ „ disciplinam confugerat. Nec verò ignorabat „ infelix quod amor erga illam imposterum

„ su-

» supervacaneus foret, prout res tunc erat: in-
» telligebat enim, jam illam benignum Christi ju-
» gum subiisse, sed (o diabolicæ improbitatis opus!)
» discruciabatur, ægre ferebat, patiebatur quæ-
» cumque tales pati par est. Denique ad Magum
» quemdam currens, invenit ipsum veluti proba-
» tissimum satanæ ministrum promittentem, quod
» omnia, ex sententia ejus, facturus esset, & imple-
» turus. Atque hæc quidem ille in Cappadocia
» factitabat. Puellam vero fervor cordis invasit,
» & totam mente captam præ lymphatico erga
» sponsum, aliquando suum amore, coegit ad
» desperationem. Neque permittebat coerceri se
» vi, saltantem, clamantem, gementem, flentem,
» magna voce nomen ejus ingeminantem, &
» nisi quis ipsi dederit oculis eum videre, & con-
» spectu ejus ad satietatem frui, ac communi-
» catione, horrendis confirmantem juramentis
» quod se ipsam suspensura fuisset. Deinde cer-
» nere ipsam erat ad fores accurrentem, & exi-
» tum maturantem, atque hunc inconditis vo-
» ciferationibus, & inverecundis gestibus januæ
» custodiam imperantem. Postquam hæc ad aures
» venerunt B. Irenes, ... dumque de more in-
» gressa esset Diaconon, sorores ad se convo-
» cavit.... Præcepit omnino neque panem, ne-
» que vinum per totam simul hebdomadam
» istam gustarent, sed solis ad vesperam fructi-
» bus sustentarent corporis miseriam, ac ge-
» nuflexiones ad Deum pro sorore singulas ip-
» sarum per diem facere numero mille. Audi-
» stis enim, inquit, Dominum nostrum dicen-
» tem: quia hoc genus non exit, nisi in ora-
» tione, & jejunio.... Hæc ubi præcepisset so-
» roribus, ... ipsaque simul apposite, ac sine
» intermissione Deum adorante, tertia jam qui-
» dem dies præterierat; ad gallorum autem

» can-

„ cantus diei quartæ ſubſequentis, quando ora-
„ tioni vacabat, manuſque ſurſum Sancta habe-
„ bat, magnum videt Baſilium ante oculos ſuos
„ adſtare ..... atque ad ſe dicere .... Domini
„ noſtri Mater, ecce cras, mane in Blachernis
„ aderit. Tu accepta tecum tua diſcipula, quæ
„ malè affecta eſt, illic ſtatim te ſiſte, ac ſani-
„ tatem omninò conſequetur .... (*Erat autem in Blachernis Conſtantinopoli Templum, in quo Dei Genitrix ſummo honore colebatur, ut colligitur ex Baronio ad ann. 717. & 740.*) Hanc ac-
„ cipiens ſecundum juſſa, una cum duabus præ-
„ cipuarum ſororum, in Blachernas pervenit ...
„ media autem circiter nocte .... viſa fuit S. Ire-
„ ne videre .... Matrem Domini, ... & audire
„ vocem Virginis puriſſimæ, quæ Baſilium vo-
„ caret, & Joannem ... Et audiviſſe iterum quod
„ diceret: Anaſtaſiam mihi advocate .... Vide-
„ batur ..... vox audiri alicujus, quæ ad Ire-
„ nen diceret: Diſcede ad monaſterium tuum,
„ & ibi ſanabitur .... Sic viſis fucatis credentes,
„ ad monaſterium redierunt: (erat autem dies
„ Paraſceve) Ad occaſum verò ſolis, reliquis ſo-
„ roribus, ædem monaſterii Sacram ingreſſa,
„ ut conſuetas expleret orationes, viſum nar-
„ ravit .... dum ab ipſis in longum extraherе-
„ tur precatio .... viſi ſunt in aere volantes pul-
„ chra Martyr Anaſtaſia, & magnus Baſilius,
„ & quædam vox eorum audiebatur ad Irenen
„ dicens: Explica ſinum tuum, & cape hæc ....
„ quem ubi explicaſſet, accipit delatum ex ae-
„ re faſciculum quaſi libris tribus gravem. Con-
„ currunt autem ſorores inopinato rei eventu
„ attonitæ, & percutientes pectora, Deiparam
„ glorificabant. Accenſis verò cereis, cœperunt
„ ſolvere faſciculum. Continebat is intus omni-
„ genas impoſturas implexas, & idola duo ex

plum-

„ plumbo confecta (hoc quidem Proci, aliud „ autem Monachæ, quæ male habebat, simi- „ litudinem referebat) & alia quædam mali- „ tiæ inventa, alia aliis implexa, & crinibus, „ ac filis colligata, nec non malitiæ fabricato- „ ris nomine, & dæmonum ipsum propugnan- „ tium vocabulis inscripta. Et sic traduxerunt, „ quod noctis erat reliquum dissolventes fasci- „ culum, & Matri Dei gratias persolventes. Or- „ to autem jam sole, cereos, incensum, & ma- „ leficia ista duabus monialibus, quæ una in „ Blachernis erant adfuturæ commisit. Tra- „ didit etiam ipsis eam, quæ male habebat, „ atque ad megalo martyris Anastasiæ Templum „ dimisit.... Quæ postquam discessissent, ... tem- „ pli præfecto, ac Clero miraculi seriem, prout „ gesta erat, exposuerunt. Dum autem omnes „ qui audierant, glorificassent Deum, templi præ- „ ses una cum mulieribus ad sepulchrum Mar- „ tyris descenderunt, & simul cum ipsis Deo „ actis gratiis, & sorore patiente lampadum „ Oleo inuncta, rediit iterum ad Templum, „ eoque afferri rogavit accensos carbones, cœ- „ pitque comburere præstigias. Et videre erat „ aliud post aliud sequi miraculum; quantum „ enim singulas præstigiarum consumebat ignis, „ tantum mulier occultis soluta vinculis, ad sa- „ num redigebatur mentis statum, gratias agens, „ & laudans eum, qui se liberasset. Postquam „ jam omnia in cinerem redacta essent, ita ut „ nihil foret super, clamores è carbonibus in- „ sonabant, velut si quis audiat vocem porco- „ rum multorum, dum mactantur. „

XXV. Prolixitatem hujus historiæ, quam fe- re integram retulimus, utpote inservientem ad roboranda ea, quæ dicturi sumus in Comment. Document. XV., compenset brevitas duarum,

quas

quas hic ſubnectimus. „ Cum quidam Juvenis „ amore mulieris cujuſpiam teneretur, nec eam „ nullatenus poſſet habere, ipſam præſtigiari fe- „ cit ab homine artis magicæ perito, taliter quod „ diu, noctuque clamando, juvenem ſemper „ proprio nomine nuncupabat. Cum pater huic „ tam enormi infamiæ remedium adhibere non „ poſſet, ad S. Torellum filiam duxit, qui poſt- „ quam per ſpiritum cognovit, quod dæmon „ habebat, illum adjurans ſic inquit: Maligne „ ſpiritus, tibi ex parte Omnipotentis Dei præ- „ cipio, quod hinc recedas: & facto Crucis ſi- „ gno, abire eum coegit; Mulier autem ejecto „ magnis ſtridoribus dæmone, priſtinæ eſt tra- „ dita libertati. „ Ita legitur in Vita B. Torelli Puppienſis Solitarii *apud Bollandum die 16. Martii.* In Vita S. Baſilii Junioris Anachoretæ *cap. 4. apud eumdem die 26. dicti menſis*, narratur, hunc Sanctum redarguiſſe quamdam mulierem „ quæ „ per impuras dæmonum incantationes omnes „ pertrahebat in pudendam ſui concupiſcentiam, „ & magica Philtra conficiebat: „ *Et ibidem cap. 6.* legitur de alia muliere „ quæ erat libi- „ dinis adeo effrænatæ, ut intra breve tempus „ omnes, qui in circuitu commorabantur viros, „ magiis ſuis ad ſe pertrahebat.

XXVI. De tertio verò genere, ſcilicet de maleficio hoſtili habemus exemplum de eadem Muliere nunc memorata: Hæc enim „ virum ſuum „ a quo fuerat ob ſuæ malitiæ impudentiam ex „ merito verberata, uſque adeo debilem per mor- „ bos reddiderat, ut ne muſcam quidem poſſet „ a ſe repellere, nedum prohibere quominus „ ab irata, quandoque fuſte, vel fune vapu- „ lans, expelleretur a cella ..... Si vel unum „ verbum ipſi ingratum dixiſſet quiſpiam, eum „ viribus deſtitutum tribus, vel quatuor an-

nis

„ nis affligebat lecto; si autem manus injecisset „ in eam, intra tertium diem letho dabat. „ Et in Vita B. Nicolai de Rupe *cap.* 14. *die* 22. *Martii* legitur: „ Filiolæ crura venefico contactu, „ seu fascino graviter intumuerant, & carbone nigriora, jam putredinem minabantur. Ni„ colaus veneficium omne brevi sustulit. „ In Analectis S. Agnetis de Monte Politiano, *cap.* 1. *penes Bollandianos Continuatores*, *die* 20. *Aprilis* legitur testimonium quoddam piissimi æque, ac doctissimi Cardinalis Bellarmini dicentis, „Con„ cionabatur in summo Templo per Quadra„ gesimam (*in Monte Politiano*) vir quidam val„ de pius ex Ordine Prædicatorum; & nefarii „ quidam homines magicis incantationibus effe„ cerunt, ut cum is in suggestum ascenderet, „ continuo vox eum deficeret. Tandem voto „ concepto ad D. Agnetem, detectæ sunt incan„ tationes, & vox reddita. Ego illum in sug„ gestu vidi semel, atque iterum cum loqui „ nullo modo posset, & paulò post eumdem „ audivi cum in Templo S. Agnetis clarissima „ voce sermonem luculentum de ejusdem B. Vir„ ginis laudibus haberet ad populum, & simul „ miraculum enarraret, & vota persolveret. „ In Vita S. Theodori Siceotæ Episcopi Anasta„ sionopolitani *cap.* 5. *die* 22. *Aprilis* habetur, quod quædam mulier a dæmone vexabatur immisso a mago: dixit enim dæmon coactus a Sancto Theodoro „ ne mihi irascaris serve Dei; ... „ neque enim ego sum causa, sed invitus ingres„ sus sum; misit enim me Theodorus cognomen„ to Carappus ex oppido Mazameæ. „ Hic porro erat magus. In supplemento actorum B. Joannis Taussiniani Episcopi Ferrariensis §. 6. *apud Bollandianos die* 24. *Julii* narratur, quod quædam Mulier erat „ ab immundo spiritu oppressa,

„ ac malis Necromantiæ artibus circumventa „ ita ut mortifero morbo laboraret „ quæ postea ad B. Sepulchrum fuit liberata. Hunc paragraphum claudat Guillelmus Abbas in Vita S. Bernardi *lib.* 1. *cap.* 10. „ Virum pauperem, *inquit*, „ uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim „ ei in ira, & furore fuerat comminata, ege„ rat per malignas incantationes, ut miser ho„ mo, consumptis carnibus, nec posset mori, „ nec vivere sineretur. Sæpius denique, & vo„ cis usum, & sensum omnem corporis amit„ tebat, iterumque redibat, non ad vitam, „ sed ad mortem prolixiorem crudeliter re„ vocatus „ qui deinde a S. Bernardo liberatus fuit. Plura alia hujusmodi exempla occurrunt in his Commentariis.

XXVII. Ad maleficium hostile, tanquam species ad suum genus reducitur maleficium, quod dicitur *ligaminis*, de quo hic agendum est, reliquis speciebus omissis, quia est nimis frequens, & est illud, quo sortilegi, & sagæ hominem frigidum, & maleficiatum, & ad actum conjugii impotentem reddunt, aut conjugem alterum alteri reddunt odiosum, vel invicem odiosos faciunt, aut impediunt, ne conjuges se mutuo contingere possint. De hac maleficii specie mentio habetur in Decreto c. 33. q. 1. c. 4. *Si per sortiarias, atque maleficas, occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & diabolo praparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eveniunt.* Et in Constitutione Innocentii VIII. prima, *Summi desiderantes*, quæ extat in Bullario Romano tom. 1. *Sane nuper ad nostrum non sine ingenti molestia pervenit auditum, quod.... complures utriusque sexus persona.... suis incantationibus, carminibus, & conjurationibus, aliisque nefandis superstitiosis, &*

sor-

sortilegis excessibus, criminibus, & delictus .... homines ne gignere, & mulieres ne concipere, viroſque ne uxoribus, & mulieres ne viris actis conjugales reddere valeant, impediunt. Similiter in hiſtoriis memoratur, ex quibus aliquas tantum referam. ....

XXVIII. Prima legitur apud D. Antoninum 2. *p. hiſt. tit. 17. c. 1. §. 8.* & eſt hujuſmodi. „ Circa illud tempus, (*ſcil. anno* 1552.) floruit quidam ſanctus vir Petrus nomine Tarentaſienſis „ Epiſcopus.... Hic.... ſtupendum miraculum „ operatus eſt apud S. Symphorianum, quod „ eſt Caſtrum Lugdunenſis Eccleſiæ. Ibi etiam „ cum eſſet quidam vir fidelis Petrus de Fraxineto, ... qui eum ad hoſpitium ſuum aliquando, quaſi vim faciendo, pertraxit. Huic „ filia juvencula erat, miſerabili incommoditate „ laborans. Egerat autem quædam mulier male„ fica per nequitiam, invidiæ ſocrus inducta, ut „ languore tepeſceret deſperato, nec viri ſui præ„ ſentiam, nec aſpectus ullatenus toleraret. Affe„ ctione autem muliebri genitrix perſuaſa, ut ſa„ tanas ſatanam ejiceret, famoſum quemdam ma„ leficum accerſivit. Affuit, & exploravit: agno„ vit & juvenculam, aſſerens eſſe inferratam: „ terit arborum cortices, & pocula verbis, „ & herbis infecta propinat. Mordet etiam pro„ priis dentibus brachium miſeræ mulieris, in „ duobus ſcilicet locis, circa frontem brachii, „ itaut utraque menſura ſcilicet ſuperior, aut „ inferior diſtaret a fronte brachii quaſi uno „ palmo. Res nova, res mira! Ab illo ſiquidem „ languore convaluit, ſed non plene. Nam in„ terdum velut ex corde ſentiens acus proce„ dere cruciabatur atrociter, donec per ſupe„ riorem menſuram brachii, quam nulla cica„ trix, ſicut nec inferiorem obduxerat, acus

„ educens vis occulta, jam in hunc modum plu-
„ res per temporum intervalla, quasi trigin-
„ ta acus prodierant: Quidam, ut vulgò dici-
„ tur, *ex capsate*, quidam admittendis idonea
„ filis foramina perferentes. Exhibetur igitur vi-
„ ro Sancto a patre filia.... Et ecce mox eadem
„ juvencula sentiens acum, gemebunda deplo-
„ rat, ad quam accedens unus de fratribus laicis
„ viro Dei serviens, cruentam extraxit, annis
„ pluribus ad testimonium conservandam. Orat
„ S. Petrus, & locum vulneris tangens, in virtu-
„ te Dei pollicetur, nec ferrum, nec calibem
„ ultra processurum factumque est ita, sed mu-
„ tata est materia, malitia nondum extincta pe-
„ nitus. Per alteram brachii morsuram inferio-
„ rem, quam vir Sanctus nondum tetigerat,
„ quia nec adhuc aliquid inde exierat, cœpe-
„ runt sudes lignei parvuli, quos vulgò *brocas*
„ vocant, ex quercino robore, vel fraxineo pro
„ ferreis acubus egredi grossiores spinis, & mo-
„ dicè longiores, nec tamen omnes unius lon-
„ gitudinis, vel grossitudinis, sicut nec acus
„ fuerant. Sexdecim jam infra annum, & pau-
„ cos menses ex muliere ligna prodierant. Af-
„ fuit deinde Reverendus Antistes Petrus, cui
„ divinitus servabatur tanti miraculi plenitu-
„ do. Offertur mulier missarum solemnia cele-
„ branti, sicut præceperat vespere præcedenti.
„ Eadem hora ex carne Mulieris lignum egre-
„ ditur, quod sub oculis omnium Capella-
„ nus extraxit. Confitentem itaque Mulierem
„ Præsul absolvit, & sacram ei tradens Eucha-
„ ristiam, ab omni deinceps cujuscumque ma-
„ teriei progressu jubet eam esse securam,...
„ sicque ab omnibus præstigiis liberata, adhæ-
„ sit viro suo, liberosque procreavit, virtu-
„ temque Viri sancti, quam experta fuerat in

se,

ſe, multis prædicavit. „ Secunda eſt, quam legimus in Vita S. Herinæ Aletinæ §. 2. *penes Scriptores Bollandian. tom. 2. Maii*, in appendice *diei* 5. nempè quod „ Conjuges quidam jam „ multos annos veneficio, & incantationibus ob„ ſtructi, geniali thoro abſtinebantur „ qui poſtea liberati ſunt goſſipio, quod ad oſſa S. Herinæ admotum fuit. Tertia eſt, quæ ibidem legitur *die* 8. *Julii* in Vita S. Pauli novi, nempè, quod quædam „ Mulier, cum adhuc puella quin„ quennis a dæmonibus poſſeſſa, ad adultam per„ veniſſet ætatem, legitimoque Marito tradita „ fuiſſet, a dæmonibus, qui eam latenter læ„ debant, non permittebatur maritali uti com„ mercio. „ Quarta eſt, quæ habetur *penes eoſdem die* 24. *Julii* in Vita B. Antonii Ordinis Eremitarum S. Auguſtini *cap.* 2. ſcilicet, quod quædam Mulier „ in juventute per invidiam „ magicis artibus incantata fuit, atque ita per „ 13. annos manſit faſcinata, ut non tantum„ modo maritum ſuum avverſaretur, ſed etiam „ ſibi ipſi violentam mortem inferre conare„ tur.... Ab hoc magico maleficio fuit liberata in Sacello dicti Beati.

XXIX. Addamus quintam hiſtoriam. Inter miracula S. Claudii Epiſcopi Veſontionenſis *cap. 6. penes Bollandian. ſocios 6. Junii* narratur, quod quædam mulier nomine „ Petronilla annorum duodeviginti..... inſidiatorem ſui pudoris paſ„ ſa eſt magum nefarium, ... quem illa (ut „ erat pia, & pudica) cum generosè a ſe, lon„ gequè ablegaſſet, parentum denique, & ſua „ voluntate nupſit honeſto viro populari ſuo. „ Contigit porrò venefici illius.... malis arti„ bus, ut ipſo nuptiarum die ſponſum ſuum, „ quem caſti eatenus dilexerat, mirum in mo„ dum exhoreſceret, atque hunc horrorem ſub-

„ inde exceperit mœror ingens, quo illa con-
„ fecta, non viri modo sui, sed & mortalium
„ omnium (ut fit) congressum, aspectum-
„ que ipsum, quoad poterat, declinabat.....
„ Accersitus est Parochus, ... confessam ritè
„ absolvit, & Eucharistia Sancta communica-
„ vit, & liberata est.

XXX. His exemplis finem imponat quædam species maleficii hostilis, sed rara, ita ut ab Historico jure *nova* vocatur. Scriptor enim Vitæ B. Bernardi Patriarchæ Aquilejensis, & Martyris *penes Bollandianos die 6. Junii* hæc narrat: „ Lazara Uxor Joannis Odorici, Marculina „ relicta quondam Dominici Mitri, Joanna Uxor „ Piccotti, Maria Uxor Aulivi, Bertulina Uxor „ Joannis de Vivaro..... ætate admodum juve- „ nes, quodam inaudito morbi genere ex male- „ ficio cujusdam veneficæ mulieris contracti... „ pluribus diebus, & noctibus vexarentur, & „ ferè semper, licet compotes mentis essent, „ bacchantium more invicem tripudiarent, ac „ si in publico carnis privii spectaculo choream „ ducerent, cum maxima membrorum omnium „ agitatione, ita ut ex labore tam longæ, & „ continuæ vexationis, largo sudore madidæ, „ fatigata sæpius corpora in terram ponerent: „ (*quæ postea intercessione B. Præsulis*) totius „ dicti morbi furore depositio, ac vi ejus „ non modo mitigata, sed penitus extincta sa- „ næ quidem, & liberæ, ut primum fuerant, „ surrexerunt. „

XXXI. Ex his omnibus apparet, quàm verum sit, quod ii, qui hujusmodi maleficia negant, contradicant juri, opinioni vulgi, & experimento. Quare ut concludam cum Joanne Gersone *tract. de erroribus circa artem magicam, dicto primo* „ ridendi sunt, imo dure corri-

gendi,

„ gendi, qui Theologos derident mox ut ser-
„ monem de dæmonibus faciunt, mox ut eis ef-
„ fectus quosdam attribuunt, quasi fabulosa
„ sit eorum responsio. Provenit error iste apud
„ quosdam Litteratos, tum ex defectu fidei,
„ tum ex debilitate, & infectione rationis.„
Quod prius docuerat D. Thom. in 4. dist. 34. q. 1. art. 3. in corp. *Procedit*, inquiens, *hæc opinio ex radice infidelitatis, sive incredulitatis*.

Et a quibus sit factum.

XXXII. In hoc casu, nunquam maleficiatus judicet de proximo suo in particulari, etiamsi aliqua indicia habeat; facile enim tentaretur a diabolo, ut pro vindicta aliquod malum cogitaret, & tale judicium, ejus obesset liberationi. Hoc unum solum judicet, ejus malum a dæmone immediatè excitari, permittente Deo. Imò si vexatus certo personam maleficam noverit, nihil adhuc de hoc curare debet, quia si perfectè contra dæmonem munitus fuerit, maleficus nihil amplius mali poterit ei inferre, & Ecclesiæ auctoritas potestatem habet ad omne maleficium dissolvendum.

Et modum ad illud dissipandum, sed caveat ne ob hoc ad magos, vel sagas, quam ad Ecclesiæ ministros confugiat.

XXXIII. Id enim numquam licere, & grave peccatum esse colligitur ex Levitici cap. 19. v. 31. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí, ut polluamini per eos. Ego Domi-*

nus Deus vester; Et cap. 20. v. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei.* Et Deuteronomii cap. 18. v. 10. *Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, & incantator, neque qui pythones consulat, nec divinos..... omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter hujusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* Et ex D. Paulo ad Rom. *cap.* 3. *v.* 8. justam damnationem comminante illis, qui ipsi affingebant eum mala facere ut bona evenirent: *Et non*, inquit, *sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere, faciamus mala ut veniant bona, quorum damnatio justa est.* Quibus significat grave crimen esse mala facere in bonum finem, quod revera facerent si maleficorum opera ad morbos pellendos abuterentur, & maleficia aliis maleficiis dissiparent. Hinc Henricus noster Gandavensis quodlib. 5. quæst. 33. ait: *Perniciosum est, operibus superstitiosis communicare, aut facere talia, qualia faciunt superstitiosi, communicando operibus damonum.* Cui consonat Illustrissimus noster Capitonius part. 2. explicat 23. his verbis: *Nec quidem major potest esse iniquitas, quam Deo relicto, a damone auxilium quærere.* Et facultas Parisiensis anno 1498. ut refert Joannes Gerson *opusc. de erroribus circa artem magicam, propè finem*, inter alios, hunc articulum in ordine 5. damnavit: *Quod licitum sit magicis artibus, vel aliis quibusdam superstitionibus a Deo, aut ab Ecclesia prohibitis aliqua facere pro quocumque bono fine, error; quia secundum Apostolum:* Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

XXXIV.

XXXIV. Quod adeo verum est, ut nec etiam liceat confugere ad magos, vel sagas jam alias paratas maleficium maleficio tollere; quia non licet assensum præbere peccato alterius, juxta regulam, quam tradit Apostolus ad Rom. 1. v. 32. *digni sunt morte*, inquit, *non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et licet maleficus paratus sit, cum sit addictus dæmoni, hoc tamen peccatum isto tempore non perpetraret, nisi ad ipsum confugeretur. Aliam rationem tradit S. Augustinus *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 22.* quia nempe tollere maleficium alio maleficio per maleficum parato, provenit ex *quadam pestifera societate hominum, & dæmonum, quasi pacta quadam infidelis, & dolosa amicitiæ constituta, qua penitus sunt repudianda, & fugienda homini Christiano.*

XXXV. Et licet primo, sit licitum ab usurario parato usuras petere in summa necessitate: secundo, sacramenta petere a Sacerdote in peccato mortali existente, & ad conferendum parato. Tertio, deferre jusjurandum Idololatræ, quem scimus per falsos deos juraturum. Quæ sunt argumenta sententiæ contrariæ, quam tuentur Petrus Aureolus *in 4. sent. dist. 39. q. 2.* & Angles *verbo Superstitio*, §. 13. Tamen dissimilis est ratio; illi enim inducuntur ad id, quod sine peccato facere possunt, si velint, nam & Sacerdos contritionis actum elicere potest, & si per tempus liceat, peccata sua confiteri, antequam Sacramenta conferat: Usurarius mutuum dare potest simpliciter, nihil exigendo ultra sortem: Idololatra per Deum verum jurare potest; at amotio maleficii per aliud maleficium est intrinsecè mala, nec sine peccato fieri potest, ideoque nec peti.

XXXVI. Aliam aliquorum oppositionem exponit

ponit Joannes Gerſon *opuſc. de erroribus circa artem magicam dicto* 3. his verbis : „ Ecce talis „ infirmus eſt in grandem , & luctuoſam totius gentis unius perditionem , & ipſe deſperatur a Medicis . Cur non , inquiunt , per ſuperſtitioſa curabitur , præſertim ſi per ſuperſtitioſa præſumitur in ægritudine teneri , & per ſimilia promittitur liberari ? Nonne vana vanis , ſicut clavum clavo licet repellere ? nonne ſanitas , & auxilium undecumque quæri poſſunt , ſicut ab herbis , ita a verbis , & a virtute ſpirituum , ſicut a virtute lapidum , vel corporum ?

XXXVII. Sed reſponſio hauriri poteſt ex iis , quæ habet D. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 8. *in Epiſt. ad Coloſſenſes* , qui de Muliere Chriſtiana loquens , cujus filius periculosè ægrotavit ; *Infans* , inquit , *ægrotavit , non fecit amuleta* (ſuperſtitioſa nempè) *reputatur ei Martyrium ; mente enim ſacrificavit filium . Et maluit infantem videre mortuum , quam pati idolatriam . Quomodo ergo ipſa eſt martyr , ſive in ſe ipſa , ſive in filio hoc faciat , ſive in Marito , ſive in aliquo , qui eſt ei chariſſimus , ita altera eſt cultrix Idolorum . . . . Ecce dico , & prædico vobis omnibus , quod ſi quiſpiam fuerit deprehenſus , non parcam iterum , ſive amuletum , ſive incantationem , ſive hujus artis aliquid aliud faciat . Quid verò ? morietur , inquit , infans . Si ſic vixerit , tunc morietur , ſin autem abſque illis mortuus fuerit , tunc vivit . . . . Hic autem non eſt Idolatria , ſed ſolum , inquit , incantatio . Hæc eſt cogitatio ſatanica , hæ ſunt diabolicæ inſidiæ : tegere impoſturam , & in melle dare venenum ; quoniam novit ſe illa non perſuadere , hac via eſt ingreſſus ad amuleta , & aniles fabulas . Et crux quidem effecta eſt ignominia ,*

lite-

literæ autem in majori honore ſunt habitæ. Chriſtus fuit ejectus, & introducitur anus ebria, & delirans Conculcatum eſt noſtrum myſterium, & Chaos ducit fraus diaboli. Hæc Chryſoſtomus, cui concinit S. Auguſtinus ſerm. 286. alias de Diverſis 39. *Multi*, ait, *ducunt Martyrium in lecto: Prorſus multi. Eſt quædam perſecutio ſatanæ occultior, & aſtutior, quam tunc fuit. Jacet fidelis in lecto, torquetur doloribus, orat, non exauditur. Imò exauditur, ſed probatur, ſed exercetur, ſed ut recipiatur filius flagellatur. Ergo cum torquetur doloribus, venit linguæ tentatio, accedit ad lectum aut muliercula aliqua, aut vir ſi vir dicendus eſt, & dicit ægroto. Fac illam ligaturam, & ſanus eris. Ille & ille, & ille, interroga, ſani inde facti ſunt. Non cedit, non obtemperat, non cor inclinat; certat tamen. Vires non habet, & diabolum vincit. Fit martyr in lecto, coronante illo, qui pro illo pependit in ligno.* Quorum Patrum doctrina applicari poteſt, proportione ſervata, ſuprapoſitæ oppoſitioni, cum ſive de amuletis ſuperſtitioſis loquamur, ſive de maleficio, eadem ſit ratio; utrobique enim pactum cum dæmone explicitum, vel implicitum ſaltem intercedit. Præterea, melius eſt denominationem martyris ſibi adipiſci, quam ſocii dæmonum, & melius ſic conſulitur ægrotantis ſaluti, etiamſi ſic moriatur.

XXXVIII Hos Chriſtianos Atletas imitatus eſt B. Jacobus de Oldo Presbyter tertii Ordinis S. Franciſci, qui cum quodam morbo decumberet, „ venit aliquando ad eum præſtigiatrix „ vetula, dixitque: Si vis Frater Jacobe faciam ti„ bi ſignum, quo ſanitatem recuperes. At il„ le, apage, inquit, malo enim juſtus mori, „ quam vivere injuſtus, „ ut legitur in ejus

vita

Vita *cap. 3. die* 18. *Aprilis*, & hunc præivit „ Epi-
„ ſcopus Theopentus nomine, natione Syrus,
„ de civitate, quæ appellatur Conſtantia....
„ Veniens in hanc Civitatem Romanam filiam
„ unicam, quam ſecum duxit, miſit in mona-
„ ſterio ad diſcendas ſacras literas.... Accidit
„ autem, ut poſtquam impleſſet puella in mo-
„ naſterio menſes decem & octo, ille invidus
„ hoſtis antiquus humani generis immiſerit ſe
„ in puellam, & cœperit eam vexare, & ſti-
„ mulare. Et cum multi opus ſuum offerrent,
„ ut facerent filacteria ad ejiciendum dæmo-
„ nem, ipſe nullo pacto acquievit, ſed preci-
„ bus, & lacrymis ad Deum converſus, in ipſo
„ habebat fiduciam, & ab ipſo petebat auxi-
„ lium, dicens; Surgam, & ibo ad Dominum
„ noſtrum Jeſum Chriſtum, & ad S. Martyrem
„ ejus Anaſtaſium, qui poteſt curare meam
„ filiam a dæmonis vexatione „ & revera cu-
rata eſt, ut ex MSS. Bibliothec. Vallicel. narrat Baronius ad annum 713. *num.* 6. *& ſeqq.* Et quidem rectè, ac ſanctè, nam *nulla utilitas*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 3. ad 3. *temporalis poteſt comparari detrimento ſpiritualis ſalutis, quod imminet ex inquiſitione occultorum per dæmonum invocationem.* Unde merito ſtulti, & dementes hujuſmodi vocantur in *cap. Qui ſine ſalvatore* 26. *quæſt.* 2. & eorum curatio mors potius, quam vita nuncupatur his verbis: *Qui ſine ſalvatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia æſtimat prudentem ſe fieri poſſe, non ſanus ſed ager; non prudens, ſed ſtultus in ægritudine aſſidua laborabit, & in cæcitate noxia ſtultus, ac demens permanebit. Ac proinde omnis inquiſitio, & omnis curatio, quæ a divinis & magis, vel ab ipſis dæmoniis in Idolorum cultura experitur, mors potius*

dicen-

dicenda eſt, quam vita; & qui ea ſectantur, ſi ſe non correxerint, ad æternam perditionem tendunt, Pſalmiſta dicente Pſalm. 95. *Omnes Dii gentium ſunt dæmonia, qui per deceptos homines, alios decipere quotidie geſtiunt, ut perditionis ſuæ faciant eos eſſe participes.*

XXXIX. Quod ſi ab his quis abſtinere nolit amore virtutis, abſtineat ſaltem timore pœnæ, habeatque præ oculis illud memorabile exemplum, quod refert S. Gregorius Magnus *lib.* 1. *Dialogor. cap.* 10. de quadam muliere energumena, quam „ propinqui ſui carnaliter amantes, & amando perſequentes, ad obtinendum „ ſalutis remedium, maleficis tradiderunt, ut „ ejus animam funditus extinguerent, cujus „ carni magicis artibus ad tempus prodeſſe conarentur. Ducta eſt itaque ad fluvium, atque „ in aquam merſa, ibique diutius incantationibus agere malefici moliebantur, utis, qui „ eam invaſerat diabolus exiret; ſed miro Omnipotenti Dei judicio, dum arte perverſa unus „ ab ea repellitur, in eam ſubito Legio intravit. Cœpit ex hoc illa tot motibus agitari, „ tot vocibus, clamoribuſque perſtrepere, quot „ ſpiritibus tenebatur. Hæc poſtea ad Martyris S. Sebaſtiani Reliquias liberata eſt.

XL. Sed non ſolum majus malum evenire poteſt ipſimet homini vexato, verum etiam interdum illi, qui maleficum adit, ut aliquem maleficiatum maleficio liberet, ut cuidam accidiſſe legitur in Vita S. Joannis Gualberti *part.* 5. *Miraculorum apud Bollandianos Continuatores, die* 12. *Julii* „ Ex Oppido Lanciſa, quod in Arni „ ſuperioris valle ſitum eſt, quemdam non in„ fimo loco natum, captum a dæmonio veniſſe „ ad hoc S. Mariæ Monaſterium multis comi„ tantibus, vidimus. Forte tunc quidam, cui

„ Za-

„ Zanobio nomen erat, ſupervenit, ... qui
„ quidem affinium hujus invaſi a dæmone pre-
„ cibus compulſus, quemdam necromantem
„ virum malignum, & dolis plenum Nepum
„ nomine, ob conſilia inquirenda ab ipſo, quid
„ in hoc homine agendum eſſet, adiverat. Cui,
„ quia ea quæ nefaria ſunt agere tentaverat,
„ diabolica videlicet potius, quam divina in-
„ quirere auxilia, mirum, ſtupendumque ma-
„ lum accidit in veſpere. Nam dum uno in
„ loco in hoſpitali conſcenderent ambo, ipſe,
„ ſcilicet a dæmone invaſus, illic brevi interval-
„ lo, dato .... ſe ſe paululum dans quieti,
„ caput inter genua poſuit, at paulò poſt
„ experrectus Deo gratias, inquit, convalui.
„ E contra Zanobius ille qui Nepum adiverat,
„ ab eodem correptus dæmone, inſanire, bac-
„ cari furere cœpit. „

XLI. Licere tamen ad maleficum confugere, vel ipſum cogere, ut maleficum tollat, quando probabiliter creditur illum ſine maleficio, modo aliquo licito, id facere poſſe, ſive quandocumque non adeſt moralis certitudo, quod utatur modo illicito, non inficior, quia ſic confugiens, utitur jure ſuo, & inducit magum ad id, quod facere tenetur, & ſine peccato ſi velit, poteſt facere, hoc que eſt conforme iis quæ docet Henricus noſter, ut conſtabit infra in Comment. ad Documentum XV.

XLII. Adverto tamen cum Natali Alexandro, *in Theolog. Dogmat. & Moral. de Decalog. art.* 14. *Regula* 26. quod ille, qui confugit ad talem maleficum debet expreſsè proteſtari, ſe nihil commune cum diabolo habere velle, nolleque ejus opera ſanitatem conſequi, & omni pacto renuntiare. Cum ergo is, qui maleficii auctor eſſe creditur compellitur, aut rogatur, ut male-

ficium

ficium tollat, aut ipse, aut alius ad sanandum maleficiatum paratus occurrit, ab eo quærendum est, quo remedio sit usurus. Si dicere nolit, non est utendum ejus opera, quia hoc ipso satis indicat, se usurum remedio illicito, si verò indicet, remedium consideret, qui petit, si satis prudens, & doctus est, an sit licitum, nec ne. Si non est idoneus Judex, peritiores interroget; si dubitet an sit remedium naturale, adeat medicos; si dubitet an sit remedium divinum, quærat à Theologis. Si sacrum remedium esse dicant, qui sanitatem ægroto ex maleficio pollicentur, respondeat, satius esse ut a Sacerdote applicetur, si revera sacrum sit, & ab Ecclesia approbatum. Si dicant non profuturum, nisi ipsi adhibuerint, indicium est, adhibituros ex pacto convento. Illud itaque Christianus repudiet, ac rejiciat. Hucusque P. Natalis Alexander.

XLIII. Semper tamen utilius, ac securius erit uti remediis ab Ecclesia præscriptis, Ecclesiasticisque ministris, ut docet Rituale nostrum, & habetur in *Can. Si per sortiarias*, qui loquens de conjugatis maleficio affectis, hæc pro eorum sanitate remedia præscribit: *Hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & Spiritu humiliato Deo, & Sacerdoti ac omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusi lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus, atque jejuniis Domino satisfaciant, & per Exorcismos, ac cætera Ecclesiastica medicina munia ministri Ecclesiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent.* Quod pari ratione de aliis maleficiis dicendum est. Utilitatem hujus moniti experta fuit quædam „ nobilis generis Mulier, cujus filiam cum possi„ deret dæmon, aliis nonnullis mediis frustrà

„ ten-

„ tentatis, adhibuit ipsa omnium vanissimum,
„ magicas scilicet incantationes, quas etiam fru-
„ stra experta Mater, & facti pœnitens ad se-
„ pulchrum S. Eneconis obtinuit facillimè quod
„ per humanas, vel diabolicas artes frustra quæ-
„ sierat, „ ut legitur in Vita prædicti S. Abbatis *cap. 7. penes Bollandianos die 1. Junii* vide supra *num. 27.*

Aut ulla Superstitione, aut alio modo illicito utatur.

XLIV. De illis tantum rebus superstitiosis, modisque illicitis loquitur Rituale nostrum, quæ ad maleficiati sanationem inservire possunt: quare omissis reliquis superstitionis speciebus, de illa solum, quæ *observantia sanitatum* dicitur, sermo, & quidem brevissimus, instituendus est. *Ad hoc genus pertinent molimina magicarum artium, & ligaturæ, & remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive inquibusdam notis quas characteres vocant, sive in quibuscumque rebus suspendendis, & illigandis, vel etiam aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas, quæ mitiore nomine Physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed natura prodesse videantur*, ut loquitur D. Augustinus *lib. 2. de Doct. Christ. c. 20.*

XLV. Porrò hæc omnia a SS. Patribus, & Sacris Canonibus reprobantur, & damnantur, quia scilicet ad pacta saltem tacita cum dæmonibus pertinent. Audiatur P. Gregor. Nazianzenus orat. in S. Baptismo. *Infans tibi est?* inquit, *ne occasionem improbitas arripiat, ab in-*

fantia

ſantia ſanctificetur, ab ipſis unguiculis ſpiritus conſecretur.... nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus eſt, cum quibus pravus ille in leviorum hominum animas ſimul irrepit, venerationem Deo debitam furtim ad ſe transferens. Trinitatem ipſi da, magnum illud, & pulchrum amuletum. Audiatur S. Baſilius homil. in Pſ.45. *Multorum*, inquit, *eſt dicere: Deus noſter refugium, ſed eodem, quo Propheta noſter, affectu dicere, nimis quam paucorum eſt..... Etenim cum tribulatione quapiam afflictamur ad omnia potius, quam ad ipſum Deum noſtrum recurrimus. Puer tibi ægrotat? Quaquaverſum circumfers oculos, requirens incantatorem, aut certè eum, qui ſupervacaneos, vanoſque characteres, ſeu figuras puerorum innocentium collo circumliget: vel ad poſtremum, ad medicum venis, & medicinas, eo interim contentim omiſſo, qui reſiſtere poteſt ſoſpitati.* Legatur D. Auguſt. ſuprarelatus num. 2. & num. 25. & audiatur in Pſ.70. ſerm. 1. ubi ait: *Quando filiis caput dolet, malæ, & infideles matres ligaturas ſacrilegas, & incantationes quærunt.* Audiatur S. Cyrillus Hieroſolymitanus cathecheſi Myſtalogica. *Prima auguria*, inquit, *divinationes, omina, aut amuleta, aut inſcriptiones in foliis, aut aliæ malæ artes, & cætera hujuſmodi, cultus diaboli ſunt. Cave itaque iſta.* Tandem audiatur D. Cæſarius Arelatenſis ſerm. de auguriis, inter Auguſtinianos olim de tempore 241. nunc in appendice 278. *Ego*, inquit, *me apud Deum abſolvo, dum iterum, atque iterum admoneo, pariter & conteſtor, ut nullus ex vobis caragos, vel divinos, vel ſortilegos requirat, nec de qualibet eos, aut cauſa, aut infirmitate interroget. Nullus ſibi præcantatores adhibeat, quia quicumque fecerit hoc*

malum, ſtatim peribit Baptiſmi Sacramentum, & continuo ſacrilegus, & Paganus efficitur: & niſi grandi eleemoſyna, dura, & prolixa pœnitentia ſubvenerit, ſtatim in æternum peribit. Et poſt pauca ſubdit: *Toto corde noſtro ad Dei miſericordiam eamus, & ſacrilegas obſervationes fideliter relinquentes, de illius adjutorio ſemper præſumamus. Nam qui prædictis malis, id eſt caragis, & divinis aruſpicibus, vel philacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit; etſi jejunet, etſi jugiter ad Eccleſiam currat; & ſi largas eleemoſynas faciat, etſi corpuſculum in omni afflictione ſuum cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu illa Sacrilegia non reliquerit: quia impia illa Sacrilegii obſervatio iſta omnia bona obruit, & evertit.* Videatur D. Joannes Chryſoſtomus ſupra laudatus *num.* 25.

XLV. Sacri verò Canones harum rerum ſuperſtitioſos graviſſimis pœnis ſubjiciunt. Concil. Laodicenum ſub S. Silveſtro Papa celebratum ſtatuit can. 36. *Quod non oportet eos, qui ſunt ſacrati, vel clerici, eſſe magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel aſtrologos, vel facere ea, quæ dicuntur amuleta, quæ quidem ſunt ipſarum animarum vincula, eos autem qui ferunt, ejici ex Eccleſia juſſimus.* Cui fermè in terminis conſonat Concilium Agathenſe ſub Symmaco anno 506. celebratum *canone* 68. Zacharias Papa *epiſt.* 1. ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum, *Chilacteria, quæ gentili more obſervantur omnibus Chriſtianis deteſtabilia, & perniciosa* eſſe aſſerit. Gregorius junior in Concilio Romano *cap.* 12. decrevit *apud Gratianum 2. parte Decreti, cauſa* 26. q. 5. c. 1. *Si quis ariolos aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut philacteriis uſus fuerit, anathema ſit.* Plures alios hujuſmodi canones ibidem legi poſſunt.

XLVI.

XLVI. Ratio horum eſt, quia, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 96. art. 2. *cum hujuſmodi res non videantur poſſe tales effectus naturaliter cauſare, conſequens eſt, quod nec adhibeantur ad hos effectus cauſandos tamquam cauſæ, ſed ſolum quaſi ſigna, & ſic pertinent ad pacta ſignificationum cum dæmonibus inita.* Quod expreſſius docuit in reſponſione ad 1. ſi *ſimpliciter*, inquit, *adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non eſt ſuperſtitioſum, vel illicitum. Si verò adjungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcumque variæ obſervationes, quæ manifeſtum eſt naturaliter efficaciam non habere, erit ſuperſtitioſum, & illicitum.*

XLVII. Non tamen per hoc reprobantur ſacra amuleta, ſeu brevia, nec Sanctorum Reliquiæ, figura Crucis, aliqui verſiculi Pſalmorum, Evangelium S. Joannis, imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, vel Sanctorum, neque pietatis ſigna ab Eccleſia approbata, ut Roſarium, Coronæ, ſcapulare B. M. V. Doloroſæ, vel de Monte Carmelo, ad collum ſuſpenſa gerere, *quia*, ut ait D. Thomas loco citato art. 4. ad 3. *ſi portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum ſunt Reliquiæ, vel ad quos reſpectum habent, non erit illicitum*; imo laudandum, modo pio animo gerantur, quod docuit D. Auguſtinus Tract. 7. in Evang. S. Joannis: *Cum*, inquit, *caput tibi dolet, laudamus ſi Evangelium ad caput tibi poſueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta eſt infirmitas hominum, & ita plangendi ſunt homines, qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus hominem in lecto ſuo conſtitutum jactari febribus, & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe,*

fuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Evangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur, ut quiescat dolor capitis: ad cor non ponitur, ut sanetur a peccatis? Fiat ergo.... ponatur ad cor, sanetur cor.

XLVIII. Hic usus piissimus deinde semper apud fideles perseveravit, pluraque ex hoc beneficia reportarunt, ut ex sequentibus exemplis, quæ ad rem nostram adducam, palam fiet. Legitur namque in Vita S. Eugendi Abbatis *cap. 7. apud Bollandum die 1. Januarii* quod dæmonem iste Sanctus expulit per epistolam quæ talis erat „ Eugendus servus Christi, in nomine „ Domini nostri Jesu Christi, Patris, & Spiri„ tus sancti præcipio per scripturam istam, „ spiritus gulæ & iræ, & fornicationis, & amo„ ris, & lunaticè, & dinaticè, & meridiane, „ & diurnè, & nocturne, & omnis spiritus „ immunde, exi ab homine, qui istam scriptu„ ram secum habet. Per ipsum te adjuro ve„ rum Filium Dei vivi, exi velociter, & cave „ ne amplius introeas in eam. Amen. Alle„ luja " qui statim egressus est ab obsessa. Et in Vita S. Bernardi Abbatis *lib. 2. cap. 4.* auctore Ernaldo, sive Arnoldo " Rusticus quidam Uxo„ rem dæmoniacam secum adducens, quam „ ante pedes ejus lacrymabili voce intrinsecas „ protestans anxietates deposuit.... Orante at„ tentius viro Dei, nequissimus ille victus absce„ssit, & mulier sibi reddita quantas potuit „ gratias egit. Revertitur igitur vir cum mu„ liere.... sed.... ubi domus suæ limina mu„ lier attigit, rursus eam intrat diabolus, & in„ festior solito, miseram discerpit atrocius. „ Quid faceret miser maritus, quo se verteret „ nesciebat.... Surgit igitur, & assumpta se-

„ cum

„ cum muliere.... indicat viro Dei quid factum
„ ſit, & ut gratiam inveniat, lacrymabiliter de-
„ precatur. Nec deeſt piæ petitioni, Abbatis
„ clementia, ſed præcipit ut Eccleſiam....
„ ingrediatur, & orans expectet, donec ipſe
„ ſequatur. Itaque memor promiſſi, circa no-
„ ctis crepuſculum, cæteris dormitum eunti-
„ bus, ipſe, uno tantum proſequente, Eccle-
„ ſiam ingreditur, & tota nocte illa orationi
„ vacans, obtinuit a Domino quod petebat; &
„ impetrata mulieri ſanitate jubet eam ſecu-
„ ram reverti ad propria. Sed cum illa redi-
„ tum ad ſe diaboli, ſicut jam experta fuerat
„ formidaret, collo ejus ligari chartulam hæc
„ verba continentem præcepit: In Nomine Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti præcipio tibi dæmon,
„ ne hanc amodo mulierem præſumas contin-
„ gere. Quod mandatum ſic expavit diabo-
„ lus, ut mulieri regreſſæ ad propria numquam
„ deinceps appropinquare præſumpſerit.

XLIX. In libro miraculorum S. Antonii Patavini, *cap. 6. penes Bollandianos Socios die 13. Junii* narratur: quod cuidam mulieri a dæmone vexatæ apparuit in ſomnis S. Antonius qui ei dixit: „ Surge mulier, & hanc cuſtodi cedulam
„ per quam a vexatione dæmonis recipies ſani-
„ tatem, & ſurgens a ſomno reperit in corde
„ ſuo quamdam cartam de pergameno, in qua
„ litteris aureis talia erant ſcripta: Ecce cru-
„ cem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo
„ de Tribu Juda, radix David, Alleluja, Al-
„ leluja. Et tunc illam tentationem amiſit, &
„ quamdiu illam cedulam habuit, eam diabolus
„ non vexavit. Sed cum rex Dionyſius (Luſi-
„ tanus) iſta, viro referente, audivit, cedu-
„ lam prædictam habuit, & ſtatim iterum dia-
„ bolus eam mulierem invaſit. Vir autem Uxo-

„ ri compatiens.... Reſcriptum cedulæ a Rege
„ habuit, & datum mulieri, ipſam, ut principa-
„ lis cedula, a vexatione dæmonum liberavit. "

L. In Vita S. Antonini Archepiſcopi Florentini c. 8. *apud Continuatores Bollandianos ad diem 25. Maii, in additionibus* legitur, Quod quædam mulier dæmonem crudeliter collidentem ejus filium compeſcuit, Sancti Antonini „ Cilicii por-
„ tione in modum brevis ligata collo pueruli
„ ſui lactentis. „ Et in Vita B. Ægidii pariter Ordinis Prædicatorum *cap. 7. ibidem die 24. Maii* narratur, quod quidam, Adoleſcentulus fre-
„ quenter a diabolo arreptus, miſere vexabatur,
„ quem mater ad Patroni ſepulchrum ſecum
„ ducens, terram ex eo ad filii collum ſuſpen-
„ dit.... Portavit Adoleſcens ligatum ad col-
„ lum pulviſculum, & integrum jam annum
„ ab horrenda mali genii vexatione immunis,
„ amuletum pulviſculi geſtare neglexit. Quod
„ ſentiens inimicus, atrocius eum aggreſſus
„ tam ſæviter affligebat, ut bis nonnumquam
„ in die eum collideret, ac lamiaret. Compe-
„ riens mater, quod ad collum terram ſepul-
„ chri minimè geſtaret.... ad tumulum rediit,
„ & ſumptum ex eo pulverem, fiducia ma-
„ gna, collo filii denuo alligavit.... & juve-
„ nis cacodæmonis vexatione liber, & inco-
„ lumis ſupervixit. "

LI. Circa tamen hujuſmodi brevia, & amuleta, quæ interdum vere ſacra, & pia videntur, *Cavendum*, inquit ex S. Thoma D. Antoninus in Summa 2. parte tit. 12. cap. 1. §. 13. *quod non reperiatur in eis aliquid horum. Primo ut non ſit ibi aliquid pertinens ad invocationem dæmonum, quia ſic eſſet ſuperſtitioſum. Secundo ut non contineat nomina ignota, nec ſub illis aliquid lateat illicitum. Tertio, ne aliquid*

fal-

falsitatis contineat, quia sic ejus effectus non posset expectari a Deo, quia non est Testis falsitatis. Quarto, cavendum ne cum verbis sanctis contineantur aliqua vana; puta characteres scripti, & hujusmodi signa, praeter signum Crucis. Quinto, ut spes non ponatur in modo scribendi, aut ligandi; puta quod scribatur in charta virginea, vel in ortu solis; vel dum legitur Evangelium, vel quod oportet ligari cum tot filis; vel appendi per Virginem hominem; vel quod nullus debet videre; & hujusmodi vanitatibus, quia illicita essent; & superstitiosa.... De portantibus autem Reliquias ad collum dicit Thomas, quod si hoc fit ex reverentia Dei, & Sanctorum, in quibus habent fiduciam, non adjuncta aliqua vanitate, licitum est de se; sed si addatur aliqua observantia, ut quia vas earum debet esse triangulare, & hujusmodi, superstitiosum erit, & malum.

LII. His maturè perpensis, facilè explicari possunt Auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter Opera S. Joannis Chrysostomi, & S. Eligius Noviomensis Episcopus, sermone ad plebem, quem ejus Vitæ inseruit S. Audoenus lib. 2. cap. 15. Primus enim ait homil. 43. Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant, sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa salvare! Deinde ubi est virtus Evangelii in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendit: Si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Secundus inquit: nullus ad colla, vel hominis, vel cujuslibet animalis ligamina dependere praesumat, etiamsi

„ ri compatiens.... Reſcriptum cedulæ a Rege
„ habuit, & datum mulieri, ipſam, ut principa-
„ lis cedula, a vexatione dæmonum liberavit. "

L. In Vita S. Antonini Archepiſcopi Florentini c. 8. *apud Continuatores Bollandianos ad diem 25. Maii, in additionibus* legitur, Quod quædam mulier dæmonem crudeliter collidentem ejus filium compeſcuit, Sancti Antonini „ Cilicii por-
„ tione in modum brevis ligata collo pueruli
„ ſui lactentis. „ Et in Vita B. Ægidii pariter Ordinis Prædicatorum *cap. 7. ibidem die 24. Maii* narratur, quod quidam, Adoleſcentulus fre-
„ quenter a diabolo arreptus, miſere vexabatur,
„ quem mater ad Patroni ſepulchrum ſecum
„ ducens, terram ex eo ad filii collum ſuſpen-
„ dit.... Portavit Adoleſcens ligatum ad col-
„ lum pulviſculum, & integrum jam annum
„ ab horrenda mali genii vexatione immunis,
„ amuletum pulviſculi geſtare neglexit. Quod
„ ſentiens inimicus, atrocius eum aggreſſus
„ tam ſæviter affligebat, ut bis nonnumquam
„ in die eum collideret, ac laniaret. Compe-
„ riens mater, quod ad collum terram ſepul-
„ chri minimè geſtaret.... ad tumulum rediit,
„ & ſumptum ex eo pulverem, fiducia ma-
„ gna, collo filii denuo alligavit.... & juve-
„ nis cacodæmonis vexatione liber, & inco-
„ lumis ſupervixit. "

LI. Circa tamen hujuſmodi brevia, & amuleta, quæ interdum vere ſacra, & pia videntur, *Cavendum*, inquit ex S. Thoma D. Antoninus in Summa 2. parte tit. 12. cap. 1. §. 13. *quod non reperiatur in eis aliquid horum. Primo ut non ſit ibi aliquid pertinens ad invocationem dæmonum, quia ſic eſſet ſuperſtitioſum. Secundo ut non contineat nomina ignota, nec ſub illis aliquid lateat illicitum. Tertio, ne aliquid fal-*

falsitatis contineat, quia sic ejus effectus non posset expectari a Deo, quia non est Testis falsitatis. Quarto, cavendum ne cum verbis sanctis contineantur aliqua vana; puta characteres scripti, & hujusmodi signa, praeter signum Crucis. Quinto, ut spes non ponatur in modo scribendi, aut ligandi, puta quod scribatur in charta virginea, vel in ortu solis, vel dum legitur Evangelium, vel quod oportet ligari cum tot filis, vel appendi per Virginem hominem, vel quod nullus debet videre, & hujusmodi vanitatibus, quia illicita essent, & superstitiosa.... De portantibus autem Reliquias ad collum dicit Thomas, quod si hoc fit ex reverentia Dei, & Sanctorum, in quibus habent fiduciam, non adjuncta aliqua vanitate, licitum est de se; sed si addatur aliqua observantia, ut quia vas earum debet esse triangulare, & hujusmodi, superstitiosum erit, & malum.

LII. His maturè perpensis, facilè explicari possunt Auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter Opera S. Joannis Chrysostomi, & S. Eligius Noviomensis Episcopus, sermone ad plebem, quem ejus Vitæ inseruit S. Audoenus lib. 2. cap. 15. Primus enim ait homil. 43. Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant, sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa salvare! Deinde ubi est virtus Evangelii in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendit: Si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Secundus inquit: nullus ad colla, vel hominis, vel cujuslibet animalis ligamina dependere praesumat, etiamsi

a clericis fiant, etsi dicatur, quod res sancta sit, & lectiones divinas contineat, quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli. Facile, inquam, hi Patres explicari possunt, dicendo, loqui de ligaturis, & amuletis superstitiosis, seu deficientibus a regulis a S. Thoma, & Antonino præscriptis.

Quandoque diabolus infirmum quiescere, & suscipere sanctiſſimam Euchariſtiam permittit, ut diſceſſiſſe videatur.

LIII. Experientia compertum est, aliquos dæmones conari, ne energumeni ad sacram Synaxim accedant. In Constitutione Innocentii III. qua inter Sanctos Cœlites adscribit S. Homobonum Cremonensem anno 1198. data, legitur: Quod " dum quædam mulier dæmoniaca ad se„ pulchrum ejus (*nempè S. Homoboni*) dedu„ cta fuisset, ... Euchariſtiam abhorruit, nec „ recepit, quæ & meritis ejusdem sancti libe„ ta est." Similiter in Vita S. Eutychii Patriarchæ Constantinop. legitur: quamdam puellam a dæmone arreptam " non admittere sanctam Com„ munionem, sed cum illa accipienda est, ma„ gno timore, & tremore corripi, exclamare, „ tristari, sanctum Potum aversari: " *Apud Bollandianos die 6. Aprilis.* Ibidem pariter in Vita B. Simonis Tridentini, Ordinis Eremitarum S. Augustini *cap. 3. die* 20. ejusdem mensis narratur. " Quod quædam mulier.... fuit possesſ„ sa a dæmone, ... ita quod non poterat „ aliquid operari, nec sinebat eam videre Cor„ pus Domini nostri Jesu Christi. " Tandem

apud

apud eoſdem Antuerpienſes Socios, in Vitâ S. Udalrici *cap.*4. narratur: "Cum quidam im-„ mundo ſpiritu poſſeſſus adduceretur, ut pro „ ejus ereptione ad januam divinæ miſericor-„ diæ pulſaret, Jeſu Chriſti famulus (*nempè* „ *B. Udalricus*) exoratur; victus itaque tam „ ſupplicantium prece, quam miſeri hominis „ vexatione, Salvatori noſtro vivificatricem „ paſſionis ſuæ hoſtiam pro illo immolaturus „ ad Altare acceſſit, perceptaque ſacroſancta „ Communione, arreptitium, ut & ipſe ſalu-„ tare Sacramentum ſumeret, adduci præce-„ pit. Sed ſæviſſimus inimicus, tanta fortitu-„ dine ne adduceretur reniti cœpit, ut illum „ tam viri præſentiam, quam ſacram hoſtiam „ exhorrere patenter intelligeres .... Sed ore „ illius vi aperto, dandi Euchariſtiam locum „ dedit, qua data.... de manibus ſe tenen-„ tium erupit infelix homo cum terribili inſa-„ nia.... Sed dum coactus ſubſiſteret, ſuper-„ na gratia largiente, & B. Udalrici oratione „ ſuffragante inimicus fugatur. „ Igitur vides energumenos, ſeu melius, dæmones in energu-menis a Sacra Euchariſtia abhorrere; ex alte-ra parte quotidianum experimentum docet, plures obſeſſos Euchariſtiam quietiſſimè ſume-re, ergo ſcitiſſimè Rituale noſtrum innuit, quod etiamſi Dæmon permittat vexatum Corpus Chri-ſti ſumere, adhuc non eſt ſignum, quod dæ-mon abierit.

De-

Denique innumerabiles ſunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorciſta cautus eſſe debet.

LIV. Et revera aſtutias dæmonis contemplans D. Bernardus *ſerm.* 5. in quadrageſima: *Magnum*, inquit, *diſcrimen adverſus diabolica fraudis aſtutias tam crebros, imò continuos habere conflictus, quem nec videre quidem poſſumus, & quem nimis aſtutum fecerit tam natura ſubtilis, quam longa exercitatio malitiæ ejus.* Verum ut circa has magis cautus reddatur Exorciſta, neceſſe eſt, ipſum ſcire quæ poſſit, quæve non poſſit facere dæmon. Sed antequam de ejus potentia loquamur, de ejuſdem ſcientia, ſive cognitione, atque voluntate aliquid eſt dicendum. Multarum enim rerum cognitione prædictos eſſe Angelos malos innuit ipſum dæmonum nomen, quod tum ſacræ litteræ, tum prophanæ paſſim ipſis attribuunt. *Dæmones enim dicuntur*, inquit D. Auguſtinus lib. 9. de Civitate Dei, cap. 20. *quoniam vocabulum Græcum eſt, ob ſcientiam nominati.* Et Lactantius lib. 2. divinar. Inſtit. cap. 14. *dæmones Grammatici dictos ajunt, id eſt peritos ac rerum ſocios.* Verum tamen eſt, quod hoc nomen ſemper in malam partem uſurpatur tum in ſacris Litteris, tum apud Prophanos Auctores, ut nos docet S. Auguſtinus *ibidem cap.* 19. inquiens; *Nos autem, ſicut Scriptura loquitur, ſecundum quam Chriſtiani ſumus, Angelos quidem par-*

partim bonos, partim malos, nunquam verò bonos dæmones legimus: sed ubicumque illarum litterarum hoc nomen positum reperitur, sive dæmones, sive dæmonia dicantur, non nisi maligni significantur spiritus, & hanc loquendi consuetudinem in tantum populi usquequaque locuti sunt, ut eorum etiam qui pagani appellantur, & Deos multos, ac dæmones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam litteratus, & doctus qui audeat in laude, vel servo suo dicere, dæmonem habes: sed cuilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quam maledicere voluisse dubitare non possit. Hinc apud Socratem *lib. 3. Hist.* in editione Valesii *cap.* 23. redarguitur imprudentia Libanii Sophistæ, qui Julianum Apostatam laudare volens dixerit: *O dæmonum quidem a lumine dæmonum discipule: dæmonum assessor.* Rationem addit Socrates his verbis: *Licet hoc aliter intelligeret, tamen cum ambiguitatem vocabuli, quod in malam partem etiam sumitur, nequaquam vitaverit, eadem visus est dicere, quæ Christiani exprobandi causa dicere consueverunt.*

LV. Præterea Patres docent, dæmones tribus modis cognitionem accipere. Pro omnibus stet D. Augustinus, qui *lib. 2. de Genesi ad lit. cap.* 17. inquit; *Quædam vera de temporalibus nosse permittuntur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent,* (hoc intellige tantum secundum sententiam, in quam forte inclinavit Augustinus) *partim experientia callidiore propter tam magnam longitudinem vitæ, partim sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, quæ merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit.* Experientia porro adjuvat, primo, quod nun-

quam

quam vel momento a cognitione rerum percipienda ceſſant, quia non fatigantur, aut ſomno, vel requies non indigent. Secundo: quod diſcurrere poſſunt per univerſum orbem, nec ullis corporeis obſtaculis impediuntur.

LVI. Tandem, hoc idem colligitur ex Sacra Scriptura, quæ *Geneſis* 3. *v.* 1. *&* 2. *Chorint. cap.* 2. *v.* 11. *& cap.* 11. *v.* 3. atque alibi. Diabolo, ac cæteris dæmonibus calliditatem, & verſutiam tribuit, quæ quidem ſine multa rerum cognitione eſſe non ſolet. Hinc D. Auguſtinus, *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 22. vocat dæmones, *Spiritus fallacia callidos*.

LVII. Sed ut intelligatur quouſque ſe extendat dæmonis ſcientia, ſequentes tres regulæ tenendæ ſunt. Prima ſit: Cognitio dæmonum, quam habuerunt per naturam ſive de Deo, ſive de creaturis, nec ablata eſt ab eis; nec eſt diminuta. Conſtat hæc regula ex iis, quæ tradit S. Dionyſius, de divinis nominibus cap. 4. §. 23. *Neque totum bonum*, ait, *quod illis conceſſum eſt penitus everſum eſt, ſed ipſimet a toto bono, quod in iis traditum erat, exciderunt; neque dicimus angelicas dotes, quas acceperant penitus, unquam fuiſſe immutatas: ſed etiam nunc integras eſſe, planeque conſpicuas, quamvis eas ipſi minimè cernant, quod videndi vires obſtruxerint, quibus bona ſua poſſent intueri*. Ex quibus videtur conſequens, non ſolum potentias naturales integras in dæmonibus manſiſſe, ſed & eorum agnitionem naturalem, remanentibus in eorum intellectu omnibus rerum naturalium ſpeciebus, quas habuerunt ab initio. Quod & S. Auguſtinus ſentire videtur, dum *lib.* 9. *de Civit. Dei cap.* 22. inquit: *His Angelis bonis omnis corporalium, temporaliumque rerum ſcientia, qua inflantur dæmones, vilis eſt, non quod earum ignari ſint,*

ſed

sed quod illis Dei, qua sanctificantur, caritas cara est; & Ven. Beda tom. 8. lib. variarum quæstionum quæst. 9. ait: *Prævaricatores Angeli, Sanctitate amissa, non amisserunt vivacem creaturæ angelicæ sensum.*

LVIII. Advertendum tamen est, hanc regulam intelligendam esse de cognitione rerum naturalium, quæ naturali virtute cognoscuntur notitia speculativa, non tamen notitia practica; multarum enim rerum, quæ sciendæ essent, ignorantia, & multiplici errore tenentur, maximè circa ea, quæ agenda sunt, dicente Augustino lib. 20. de Civit. Dei cap. 1. *Nec sine illius alto, justoque judicio, & in hoc aerio Cœlo, & in terris, & dæmonum, & hominum miserrima vita est, erroribus, ærumnisque plenissima.* Et in Enchiridio cap. 24. loquens de Angelis, & hominibus ait: *Hoc primum est creaturæ rationalis malum, id est prima privatio boni: deinde etiam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error, & dolor*; & ibidem cap. 25. *Verum hæc communia mala sunt, & hominum, & Angelorum pro sua malitia, Domini justitia damnatorum.* Et revera nesciunt, neque intelligunt se uni Deo servire, & subjici debere, quem justum, & summè bonum esse negant, ideoque, nec super omnia diligendum, colendum, honorandum credunt, sed magis putant his contraria, scilicet Deum tanquam injustè ipsos punientem, odientes, blasphemantes, & quantum in ipsis est, ejus imperio, & potentiæ resistentes; & quamvis male agere cognoscant, tamen ob propriam malitiam in his omnibus rectè se facere arbitrantur; unde est, quod in scripturis, interdum tenebrarum nomine designantur, ut ad Colossenses 1. v. 13. *qui eripuit nos de po-*

poteſtate tenebrarum. Lucæ 22. v. 53. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, id eſt dæmonum, quos ita Scriptura appellat, quod in his quæ pertinent ad Deum colendum, ſint ob ignorantiam, quaſi meræ tenebræ. Tales facti ſunt merito primi peccati, quamvis ne hoc ipſum ſcire, aut intelligere velint, ſe aliquando peccaſſe, & per peccatum in has tenebras incidiſſe, aut omnino in tenebris eſſe, ut teſtatur D. Dionyſius de Divinis nominibus *cap.* 4. §. 23. dicens, Dæmones non videre, *quod quamvis eas* (tenebras nempe) *ipſi minimè cernant, quod videndi vires obſtruxuerunt, quibus bona ſua poſſent intueri*. Quod tamen ſic ita intelligendum eſt, *non quod dæmones dicantur non videre ſua naturalia, ita quod abſolutè non videant, alioquin nihil cognoſcere poſſent, ... ſed quod non vident in ordine ad bona gratuita, a quibus conſiderandis avertit* (dæmon) *ſuam intentionem, ſolis ſuis naturalibus finaliter in hærens*, ut loquitur D. Thomas de malo *queſt.* 16 *art.* 6. *ad.* 3. & in hunc ſenſum adaptatur illud Ezechielis *cap.* 28. 17. *Perdidiſti ſapientiam tuam*; quare D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 4. ſcripſit: *Dæmon dux a Creatore conditus, bonuſque creatus, propria voluntate caligo factus eſt*.

LIX. Advertendum inſuper eſt, quod multa contingunt in rebus ad quæ cognoſcenda pertingit quidem naturalis facultas dæmonum, etiam poſt peccatum, ſed quominus ea videant, & cognoſcant ſæpe illos a Deo, vel ſanctis Angelis impediri, quale eſt, quod ex S. Ignatio D. Hieronymus refert in Matth. cap. 1. *Martyr*, inquit, *Ignatius quartam addidit cauſam, cur a deſponſata conceptus ſit* (Chriſtus), *ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo: dum eum putat non de Virgine, ſed de Uxore generatum*. Quod & ab

Ori-

Origene homil. 6. in cap. 1. Lucæ ad notatum eſt his verbis: *Eleganter in cujuſdam Martyris Epiſtola ſcriptum reperi, Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ, poſt Petrum, ſecundum, qui in perſecutione Roma pugnavit ad beſtias. Principem ſæculi hujus latuit Virginitas Mariæ, latuit propter Joſeph, latuit propter Nuptias, latuit, quia habere virum putabatur. Si enim non habuiſſet ſponſum, & putabatur virum, nequaquam potuiſſet principi mundi hujus abſcondi.* Deinde conjecturis ſuis ſæpè fallitur, dum ex malitia, & odio, & calumniandi ſtudio pronior eſt ad facta hominum, & externa ſigna malè interpretanda, quam benè. *Hinc accuſator Fratrum* dicitur etiam *injuſtus*, & *mendax*, cujus exemplum habemus in accuſatione ſancti Job, quem calumniatus eſt apud Deum, quod non ſincere Deum coleret, ſed propter bona temporalia: quod quidem verè eum putaſſe, & ſuſpicatum fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus enarratione 11. in Pſalm. 118. *Numquid gratis colit Deum Job?* Ajebat inimicus. *Putabat enim*, inquit S. Doctor, *diabolus, quod in Deo colendo vir juſtus cor inclinatum haberet in avaritiam, & cauſſa emolumenti, vel utilitatis rerum temporalium, quibus eum ditaverat Dominus, velut mercenarius ei pro tali mercede ſerviret: ſed quam gratis Deum coleret, tentatus apparuit*, Et enarratione 12. in eumdem Pſalm. *diabolus*, ſcribit, *qui de occultis S. Job ſuſpicatus eſt, quod non gratis Deum coleret, quem popoſcit tentandum, ut crimen, quod objiceret, inveniret.* Ex his ſequitur, dæmones ignorare quid de ſe boni agatur per divinam providentiam, dum permittuntur humanum genus tentare, ſeducere, affligere.

LX. Secunda regula eſt. *Cognitio, quæ eſt*

per

per gratiam in ſpeculatione conſiſtens, non eſt eis totaliter ablata, ſed diminuta, inquit D. Thomas 1. part. q. 64. art. 1. nam dæmones, & damnati per ſigna evidentia convincuntur de pluribus myſteriis fidei, & gratiæ, exempli cauſa, quod Deus ſit Trinus, & Unus; quod Chriſtus ſit Deus, & homo; quod Beati videant Deum, ideoque Jacobi 2. v. 19. dicitur: *dæmones credunt, & contremiſcunt*. Et ad Philippenſes 2. v. 9. & ſeq. de Chriſto ait Apoſtolus: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in Nomine Jeſu omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. Quod clariſſimè confirmavit S. Auguſtinus lib. 9. de Civit. Dei cap. 21. inquiens: *Ipſi autem dæmones etiam hoc ita ſciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto, dixerint: Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti ante tempus perdere nos. Clarum eſt in his verbis, quod in eis & tanta ſcientia erat, & caritas non erat. Pœnam quippe ſuam formidabant ab illo, non in illo juſtitiam diligebant. Tantum verò eis innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit.... Innotuit ergo dæmonibus, non per id quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios... ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſima ſigna præſentiæ, quæ Evangelicis ſignis etiam malignorum ſpirituum potius, quam infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua*.

LXI. Advertendum eſt tamen, quod hæc cognitio, qua dæmones cognoſcunt quædam myſteria gratiæ, eſt ſupernaturalis metaphyſicè, & præſuppoſitivè, non verò theologicè, cum

cum per illam non ordinentur ad finem ſupernaturalem beatitudinis ; & dum hæc myſteria ſupernaturalia credunt, & contremiſcunt, non credunt illa per fidem piam, & theologicam, illiſque utilem ad conſequendam ſupernaturalem Beatitudinem, *ſed dæmonum fides eſt quodammodo coactam, ex ſignorum evidentia*, ut ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 5. art. 2. ad 5. quod innuitur a D. Auguſtino, loco ſupra citato: *Innotuit ergo*, inquit, *dæmonibus non per id, quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui videndo per fidem, quæ in illo eſt, corda mundantur, ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſima ſigna potentiæ, quæ angelicis ſenſibus, etiam malignorum ſpirituum potius, quam infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua.* Loquitur de notitia, quam dæmones habuerunt de Chriſto, ac Myſterio Incarnationis.

LXII. Tertia regula eſt. Cognitio quæ habetur per gratiam effectiva, & productiva divini amoris, nulla prorſus eſt in dæmonibus, ſicut nec ipſa caritas, quæ cognitionem ſupernaturalem includit. Eſt expreſſa Doctoris Angelici, loco ſupra citato, & deducitur ex illo Ezechielis 28. v. 17. *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. Eſt ergo* ut concludam cum D. Auguſtino lib. 9. de Civit. Dei cap. 20. *in dæmonibus ſcientiam ſine caritate.* Vide, quæ ad rem hanc ſpectare poſſunt in Commentar. Documenti III. *num.* 8. uſque ad 12. & Document. IX. *num.* 2. & *ſeqq.*

LXIII. Hæc de ſcientia, ſeu cognitione dæmonum ſufficienter ſint dicta. Aliqua pro majori dicendorum notitia de eorum voluntate tradenda opportunè occurrunt. Voluntas itaque dæmonum ita depravata eſt, ut neceſſi-

tatem habeant moralem peccandi in omnibus ſuis actibus liberis, & impotentiam moralem faciendi ullum actum moraliter bonum in omnibus ſuis circumſtantiis, ut communiter tradunt Theologi, eruuntque ex Sacra Scriptura; nam Eccleſiaſt. 9. v. 10. legitur: *Nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos.* Pſalm. 6. v. 6. *Non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem, quis confitebitur tibi?* Job. 10. v. 22. *Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat;* actus autem honeſti ſunt ordinati. Et ibidem *cap.* 41. *v.* 15. ſermonem habens Job de diabolo ſub figura Behemot, ait: *Cor ejus indurabitur quaſi lapis.* Hinc S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. ait: *In quo* (nimirum igne inferni) *omnes illi prævaricatores Angeli, nec mala poſſunt unquam voluntate carere.* Et inferius: *neque diabolus, neque aliquis Angelorum ejus, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorem ſunt detruſi caliginem, bonam potuit, aut poterit reſumere voluntatem.* Et non multò poſt loquens de bona voluntate, *quam*, inquit, *ſic amiſerunt Angelis, cum haberent, ut amiſſam deinceps habere non poſſint.* Ac demum concludit: *Et ſi ibi erit ſtimulus pœnitudinis nulla tamen ibi erit correptio voluntatis. A talibus enim inquitas ſua ita culpabitur, ut nullatenus poſſit ab eis vel diligi, vel deſiderari juſtitia: voluntas enim eorum talis erit, ut habeant in ſe ſemper malignitatis ſuæ ſupplicium, nunquam tamen percipere poſſint bonitatis affectum. Quia ſicut illi, qui cum Chriſto regnabunt, nullas in ſe malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi, qui erunt in ſupplicio ignis æterni cum diabolo, & ejus Angelis deputati, nullam ulterius habebunt requiem, ſic nullatenus bonam*

nam habere poterunt voluntatem. Cui consonat S. Prosper, sive Auctor Librorum vitæ contemplativæ lib. 3. cap. 12. inquiens: *Quid est obmutescentes manibus, & pedibus ligari, nisi in inferno, ubi Deo nemo confitetur, actione privari? sicut in exteriores tenebras mitti nihil aliud erit, nisi a Domino, qui est mentium lumen expelli*.

LXIV. Et licet dæmon aliquod bonum facere videatur, non tamen bene facit. Audiatur Doctor Angelicus 1. *part. quæst.* 64. *art.* 2. *ad* 5. qui loquens de actu deliberato diaboli, sic rem explicat: *Talis actus dæmonis semper est malus, quia etsi aliquando aliquid bonum faciat, non tamen bene facit; sicut dum veritatem dicit ut decipiat, & dum non voluntarie credit, & confitetur, sed rerum evidentia coactus. Alius autem actus dæmonis est naturalis, qui bonus esse potest, & attestatur bonitati naturæ, & tamen tali bono actu abutitur ad malum*. Unde autem oriatur in dæmonibus necessitas hæc moralis peccandi in omnibus actibus liberis, & impotentia faciendi ullum actum moraliter bonum, non est nostrum disquirere, sed videri possunt Theologi Scholastici.

LXV. Loquendo verò præcipuè de mala voluntate, qua dæmones in homines feruntur, sufficiat indicare, quod illos impugnent, & tententent: Genesis enim 3. dicitur, *primos parentes a diabolo inductos fuisse ad peccandum*. *Joannis* 13. *v.* 2. habetur: *Cum diabolus misisset in cor Judæ, ut traderet eum*, Christum nempe. Ad Ephes. 6. v. 12. *non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates &c.* 1. Petri 5. v. 8. *Adversarius vester diabolus tanquam leo*

rugiens circuit quærens quem devoret. Hinc S. Irenæus *lib.* 5. adversus hæreses *cap.* 24. loquens de hoc nostro hoste: *Numquam omnino*, ait, *quietus est, imò qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere ..... hoc tantum potest, quod egit in principio, seducere, & abstrahere mentem hominis ad transgredienda præcepta Dei, & paulatim obcœcare corda eorum, qui conarentur servire ei*. S. Joannes Damascenus *lib.* 2. *de fide cap.* 4. loquens de dæmonibus: *Nullum*, inquit, *vitium, nullum impurorum affectuum genus est, quod non ab ipsis excogitatum sit*. Tertullianus in Apologet. cap. 22. *Operatio eorum*, ait, *est hominis eversio*. Et tandem D. August. lib. 8. de Civit. Dei cap. 22. ait: *Dæmones esse spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos*.

LXVI. Imò hoc est præcipuum, & proprium eorum ministerium, homines scilicet ad peccandum inducere; nam statim a principio generis humani serpens antiquus, qui est diabolus, primos homines tentavit, & ad peccandum illexit, ut supra indicavimus ex Genesi 3. & explicuit Salvator *Jo:* 8. *v.* 44. dicens: *Ille homicida erat ab initio*. Et D. Paulus 2. ad Corinth. 11. v. 3. inquiens, *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit*, significat illam tentationem fuisse initium & quasi exemplar reliquarum. Attentè legantur Patres num. præcedenti relati, & ea, quæ diximus in Comment. Document..... num.....

LXVII. Insuper gaudent de malo spirituali hominis, ut innuit Psalmista *Psal.* 12. *v.* 5. inquiens: *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero*, idest inquit D. Augustinus Enarrat. in eumdem Psalmum: *Diabolus, & Angeli ejus*.

ejus. Et Pſal. 37. v. 17. dicitur: *Neqnando ſupergaudeant mihi inimici mei*. Et 1 ſalm. 40. v. 12. *Non gaudebit inimicus meus ſuper me*. Eccleſiaſtici 18. v. 31. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Hinc S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 17. inquit de diabolo: *Pœna ejus eſt, ut in poteſtate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt, & inde major pœna eſt, quia de hac tam infelici poteſtate lætatur, qui ſolebat antequam caderet, de ſublimi veritate gaudere, in qua non ſtetit*. Gaudere inſuper dæmones de poteſtate in obſeſſos, quæ major eſt, ſequitur ex paritate rationis.

LXVIII. Motiva verò quare dæmon homines libenter impugnet, aſſignat S. Thomas 1. part. quæſt. 114. art. 1. ſcribens: *Impugnatio ipſa ex dæmonum malitia procedit, qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur, & propter ſuperbiam divinæ poteſtatis ſimilitudinem uſurpant*. Utrumque motivum prius docuerunt Patres: De primo ſic loquitur D. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. *Dominus ... diaboli calliditatem ab alto vidit a principio, qui homini invidens propter remiſſionem peccatorum, aliquas peccatorum cauſas ſervis Dei ſuggeret, aſtutè hoc molliens, ut ipſi quoque cum eo cadant*. Euſebius lib. 4. Demonſtrat. Evangel. cap. 9. inquit: *Dæmon ſaluti hominum invidens, in contrariam partem trahebat, omniſque generis malitiæ machinis, cunctis gentibus, ipſique etiam ſorti Domini ex invidia bonorum inſidiabatur*. D. Antonius Abbas, apud S. Athanaſium, in ejus Vita: *Hoſtes ſunt nobis acres, & callidi mali dæmones .... nobis Chriſtianis invidendo, atque lapidem movendo, noſtrum in Cœlis aſcenſum impedire cupiunt, ne illuc unde*

ipsi delapsi, nos ascendamus. S. Augustinus lib. contra Priscillianistas ad Orosius cap. 5. *Illi*, inquit de dæmonibus, *non ob aliud, nisi invidentiæ stimulis agitati, nostra itinera, quibus in Deum tendimus, perturbare conantur.* Idem sentit lib. 8. de Civit. Dei cap. 23.

LXIX. De secundo verò motivo, imò de utroque sic loquitur S. Basilius homil. *quod Deus non est auctor mali: Quæris igitur unde illi sit contra nos bellum? quoniam cum omnis ipse mali promptuarium existeret, invidiæ quoque morbum in se recepit, & invidit nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in Paradiso beatam ducere. Quamobrem dolis hominem aggressus, eadem ambitionis cupiditate, quam ipse ab initio habuit velle similem esse Deo, hac rursus ad decipiendum nos usus, lignum ostendit, per cujus degustationem pollicitus est hominem similem fore Deo.* Theodoretus *lib. 3. de Græcarum affectionum curatione*, inquit de malis Angelis: *Cum enim datis sibi muneribus contenti non essent, sed altiora quoque appeterent, contraxisse laborem superbiæ illos dicimus, ... subinde autem rabie quadam contra humanum genus ineitatos, quod ad Imaginem Dei factum videbant, atro bellum adversus hominem suscepisse.* Similia habet S. Gregorius Nazianzenus *orat. in S. lumina*, & D. Irenæus *lib. 5. adversus hæreses cap. 24.*

LXX. Sed gratias Deo Optimo, Maximo, qui non sinit dæmonem, quantum vult, homines impugnare. *Diaboli*, inquit Augustinus in Psalm. 61. v. ult. *potestas quædam est, plerumque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est. nam si tantum posset nocere diabolus, quantum vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra.* Vide Comment. in Titul..... num.....

LXXI.

LXXI. His præmiſis circa vulneum ratintellectum, ut pravam dæmonis voluntatem melius percipiamus quid poſſit, quidve non poſſit agere, ut deinde facilius Exorciſta cognoſcere valeat tam callidi hoſtis aſtutias.

LXXII. Potentiam naturalem Angelorum bonorum, ac malorum circa res corporeas immutandas latiſſimè, patere ea ratione oſtenditur, quod natura rerum ſic inſtituta ſit à Deo, ut creatura corporea naturæ Angelicæ, tamquam præſtantiori, ac digniori, ſubjiciatur, atque ab ea regatur. Hoc autem fieri nequit, niſi competat Angelis potentia quædam naturalis, quæ res corporeas movere, aut immutare poſſit. Hujuſmodi potentiam, ac præfecturam Angelis in genere tam bonis, quam malis Patres attribuunt. Sufficiat pro omnibus D. Auguſtinus, qui *lib.* 83. *Quæſtionum* quæſt. 79. ait: *Unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet poteſtatem Angelicam ſibi præpoſitam.* Neque id ſine auctoritate Sacræ Scripturæ: nam *Apocalypſ.* 7. 14. *& alibi*, certos Angelos certis corporeis creaturis præfectos legimus: & quod ad malos Angelos attinet, de diabolo *Job.* 41. *v.* 24. dicitur: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Et eumdem vocat Apoſtolus ad Epheſ. 2. v. 2. *principem poteſtatis aeris hujus*; & dæmones cap. 6. v. 12. appellat *principes, poteſtates, & mundi rectores tenebrarum harum.* Ad hanc igitur dæmonis ſuper rebus corporeis potentiam diſtinctius explicandam, tenenda ſunt quæ ſequuntur.

LXXIII. Primo, *Dæmones miracula facere non poſſunt, nec aliqua creatura*, inquit S. Thom. 1. *part. quæſt.* 114. *art.* 4. idque docent Sacræ Litteræ; nam *Pſalm.* 71. *v.* 18. dicitur: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus*; ſuper quæ verba ſcribit S. Auguſtinus enarrat

in eumdem Psalm. *Solus, quoniam quicumque faciunt, ipse in eis operatur, qui facit mirabilia solus.* Et B. Bruno Herbipolensis Episcopus in eumdem: *Qui facit*, inquit, *mirabilia solus, quia nullo indiget adjutorio; nam licet Angeli, & multi justi faciant mirabilia, non solitamen, sed adjuvante Domino perficiunt.* Item Psalm. 135. v. 4. dicitur: *Qui facit mirabilia magna solus*, ubi S. Hilarius Pictaviensis tract. in eumdem Psalm. *In plurimis*, inquit, *quidem humanorum operum gestis multa magna, & mirabilia extiterunt: sed quidquid in his gestum est, ad eum refertur, cujus virtus illa gessit.* Et Theodoretus in eumdem locum: *Miraculorum editiones*, ait, *sunt etiam benevolorum servorum ejus; etenim Divinas vocamus res Mosis, & Jesu, & miracula Elia; similiter autem & signa, quæ a Sacris Apostolis sunt facta; jure igitur ipsum vates solum dicit maximum miraculorum opificem esse.* Hinc Illustriss. noster Felicianus Capitonius Narniensis, & Archiepiscopus Avenionensis in suis doctissimis explicationibus Catholicis *part. 1. explicat. 29.* asserit, *id esse de fide.* Rationem dat Divus Thomas loco citato, scilicet, *quia miraculum proprie dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata.*

LXXIV. Nec obstat, quod *Matth. 24. v. 24.* dicatur: *Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia.* Et Apoc. 13. v. 13. & 14. Joannes loquens de bestia, quæ denotat Antichristum. *Fecit*, inquit, *signa magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo descendere in terram, ... & seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere &c.* Et ibidem cap. 16. v. 14. *Sunt spiritus damoniorum facientes signa.*

LXXV.

LXXV. Non, inquam, obſtat; ſiquidem *dicitur quandoque miraculum largè*, & eſt illud, *quod excedit humanam facultatem, & conſiderationem, & ſic dæmones poſſunt facere miracula, quæ ſcilicet homines mirantur, inquantum eorum facultatem, & cognitionem excedunt*; ut inquit D. Thomas 1.part. quæſt. 114. art. 4. *& ita intelligendum eſt illud: Spiritus dæmoniorum facientes ſigna*. Sic pariter intelligendi ſunt reliqui Scripturæ allati textus, qui de Antichriſto loquuntur. Reſponſionem dat S. Paulus 2.ad Theſſalonicenſes cap. 2. v. 9. *Cujus eſt adventus*, inquit, *ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus*. In id conſpirant Patres. S. Athanaſius quæſt. 109. ad Antiocum, ait: *Quod Apoſtolus de Antichriſto dicit, eum ſe ſe exhibiturum in omnibus ſignis, & virtutibus mendacii, liquet quod etiam mortuum a ſe excitatum oſtentabit, id autem non verè, ſed tantum ex phantaſia*. D. Hieronymus ad Algaſiam quæſt. 11. *Sicut*, inquit, *in Chriſto plenitudo Divinitatis fuit corporaliter: ita & in Antichriſto omnes erunt fortitudines, & ſigna, & prodigia, ſed univerſa mendacia*. S. Auguſt. de Civit. Dei lib. 20. cap. 19. *Solvetur*, ait, *Satanas, & per illum Antichriſtus in omni ſua virtute, mirabiliter quidem, ſed mendaciter operabitur*. Theodoretus in eumdem Pauli locum, inquit: *Porrò autem docet etiam ea, quæ futura ſunt, non fore vera miracula. Talia autem faciunt, & præſtigiatores: oſtendunt enim aurum, quod verè aurum non eſt, & quædam alia, quæ paulò poſt arguuntur*. Et tandem Berengardus expoſitione in Apocalyp. inter D. Ambroſii Opera, hæc habet viſione 6. cap. 13. *Faciet miracula Antichriſtus: arte diabolica; facient & diſcipuli ejus, ſed eorum miracula falſa erunt, & non*

ve-

vera, ſicut dicit Apoſtolus: cujus adventus erit, &c. Sed etſi *erunt veri affectus, non tamen vera miracula, quia erunt per cauſas naturales operata. Quæ etiam mendacia dicuntur, quantum ad intentionem facientis, qui per hujuſmodi mirabilia opera inducit homines ad credendum mendaciis*, ut concludam cum D. Thoma *de potent q. 6. art. 5. ad argumentum in contrarium.*

LXXVI. Quibus autem modis ſoleat Deus vera miracula a falſis diſcernere, diverſimodè colligitur, & aliqua in primis adducit diſcrimina S. Auguſtinus de diverſis Quæſtionibus 83. *q.* 79. inquiens: *Cum talia faciunt magi, qualia non nunquam Sancti faciunt, talia quidem viſibiliter eſſe apparent, ſed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam ſuam, iſti quærentes gloriam Dei, & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo quaſi privata commercia, vel veneficia; iſti autem publica adminiſtratione juſſu ejus, cui ſuncta creatura ſubjecta eſt .... quapropter aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani: Magi per privatos contractus, boni Chriſtiani per publicam juſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ.* Hæc S. Doctor, qui ut intelligatur, legenda eſt tota ejus *quæſtio* 79. Alia tria diſcrimina aſſignat Theodoretus, loquens de miraculis Moyſis, & Magorum Pharaonis *quæſt.* 18. *in Exodum.* Primum eſt: *Mutabant*, inquit, *illi* (nempè Magi) *etiam virgas in ſerpentes, ſed virga Moſis illorum virgas devorabat. Mutabant etiam aquam in ſanguinem, ſed aquam in priſtinam naturam reducere non poterant. Ranas quoque produxerunt, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Ægyptiorum. Conceſſit itaque Deus incantatoribus, ut hæc facere poſſent, ut Ægyptios caſtiga-*

stigarent, non tamen dedit illis, ut ultionem sedarent; nam dum a Deo puniretur Ægyptiorum, rex, non fuit contentus plagis a Deo illatis sed præcepit incantatoribus ultionem augere. Itaque per eos Deus illum affligebat: quasi verò dixisset: quia plecti te delectat, tuorum etiam servorum opera te castigabo, & per tuos te plectam. Secundum est: *Cum autem illum* (nempè Regem) *vehementius indurari videret, hariolorum illorum facultatem cohibuit: ut qui majora animalia, nempe ranas, antea produxerant, crabronem minutulum educere non possent, sed plagam illam esse digitum Dei confiterentur.* Tertium est *illorum*, nempe Magorum, *corpora pustulis etiam afflixit, ut tum illi, tum fatuus eorum rex cognosceret, quod non tantum plagas a Deo immissas auferre non possent, sed etiam illi cum reliquis plecterentur.* Alia quatuor signa adducit Cornelius a Lapide *Comment. in Exodum cap. 7.* Primum est: Qui faciunt vera miracula sunt fideles probi, & sancti ut plurimum; qui verò falsa faciunt, sunt improbi, flagitiosi, & sæpè malefici. Secundum: quæ faciunt magi, sæpè sunt tantum phantastica, & simulata, ideoque non sunt diuturna, sed mox detegitur eorum falsitas, & vanitas, vel sunt plane inutilia, imò etiam pernicioſa; vera autem miracula sunt opera vera, & solida, & utilia hominibus, nec nisi magna quapiam utilitate aut necessitate facta. Tertium est, quod magi in suis utuntur multis præstigiis, mendaccis, ludificationibus hominum, variisque signis, & figuris, litteris, verbis, vel nihil, vel absurda significantibus, aliisque superstitiosis cæremoniis, miscentque sacra prophanis. Nihil tale faciunt sanctis, sed per preces, signum Crucis, aliasque res sacras miracula

opc-

operantur. Quartum tandem: magi, & dæmones mira faciunt malo fine, ob lucrum, vanam oſtentationem, gloriam, vel honorem, ut divinum nomen, & cultum ſibi concilient, vel ut pervertant veram fidem, falſamque hominibus perſuadeant, vel ad patranda maleficia, & ſcelera, uti ſunt furta, adulteria, neces hominum, & animalium; Sancti verò ea faciunt, ut Deum honorent, & glorificent, utque Sanctam Eccleſiam ædificent & illuſtrent, atque homines tum in corpore, tum magis in animo, & ſpiritu adjuvent. Hinc S. Auguſtinus loco ſupra citato ait: *Magi faciunt, quæ videntur miracula, quærentes gloriam ſuam: Sancti verò faciunt miracula quærentes gloriam Dei.*

LXXVII. Secundo, non poteſt dæmon rem aliquam creare. Audiatur D. Auguſtinus, qui lib. 18. de Civit. Dei cap. 18. clariſſimè inquit: *Nec ſanè dæmones naturas creant, ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio, ſed ſpecietenus, quæ a vero Deo ſunt creata, commutant, ut videantur eſſe quod non ſunt.* Et ratio eſt, quia creare eſt ſolius omnipotentiæ Dei: Eccleſiaſtici namque 1. v. 8. *Unus eſt Altiſſimus creator omnipotens.* Iſaiæ 44. v. 24. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* Ad Hebræos 3. v. 4. *Qui omnia creavit Deus eſt.* Apoc. 4. v. 11. *Tu creaſti omnia.* Ad Epheſ. 3. v. 9. *Qui omnia creavit:* quare D. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum Diaconum cap.* 3. docet, in Dei omnipotentiam intelligi, quod omnem creaturam de nihilo fecit. *In eo*, inquit, *ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam viſibilem, atque inviſibilem, ideſt corporalem, atque ſpiritualem de nihilo fecit.* Et S. Athanaſius lib. 3. contra Arianos: Neque, inquit, *vel Angeli quidquam*

crea-

creare possunt, cum & ipsi sint creaturæ.... Condere, & creare solius est Dei, ejusque verbi, & sapientiæ. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. Thesauri cap. 2. *Nulla*, ait, *creatura umquam substantiam a nihilo producere poterit; infinitæ namque virtutis esse non potest.* Rursus lib. 14. cap. 6. *Potestas creandi, divinæ solummodo inest naturæ.* Et lib. 2. contra Julianum: *Hoc maximè, contra divinam gloriam militat, etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere.... Congruit autem ipsi, & soli, & ad summam pertinet gloriam ejus res illa.* Et D. Augustinus lib. 9. de Genesi ad litt. cap. 15. *Angeli nullam*, inquit, *omnino possunt creare naturam; solus enim cujuslibet naturæ seu magnæ, seu minimæ creator est Deus.* Iterum lib. 12. de Civit. Dei cap. 14. *Neque fas est ullius naturæ quantumlibet minimæ, mortalisque, creatorem nisi Deum credere, ac dicere.* Et tandem S. Joannes Damascenus lib. 2. de fide ad Petrum cap. 3. *Quotquot sunt, qui essentiam ullam, quæcumque tandem illa sit, ab Angelis procreatam esse contendunt, horum ore pater ipsorum diabolus loquitur. Deus enim est, qui omnia fecit, omnibus providet, ac prospicit.*

LXXVIII. Tertio non potest formam substantialem corpoream immediatè producere, quia materia corporalis non obsequitur Angelis ad nutum, idest immediatè ad transmutationem formalem, ut tradit D. August. lib. 3. de Trinitate cap. 8. *Non est putandum*, inquit, *istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo hæc potestas datur.*

LXXIX. Nec obstat quod legitur Exodi 7. v. 10. & seqq. *Tulitque Aaron virgam cum Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes, & ma-*

maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter, projeceruntque singuli virgas suas, quæ versa sunt in dracones.

LXXX. Non, inquam, obstat, quod ut appareat, sciendum est, aliquos putare magos hos non veros exhibuisse dracones, sed per præstigias suas illusisse oculis spectantium, vel eis objecisse tantum larvas, & simulacra quædam draconum. Ita S. Prosper, sive Auctor *lib. de Promissionibus* part. 1. cap. 35. *Magi*, inquiens, *quoque Pharaonis .... projicientes virgas suas, etiam ipsi serpentum species ostenderunt*. S. Justinus, sive quisquis Auctor sit quæstionum orthodoxarum, quæst. 26. *Miracula*, ait, *quidem a Moyse præstita, ut quæ divina vi, & efficacia essent edita, per transmutationem naturæ ejus, quod perficiebatur sunt facta: quæ autem incantatores edidere, dæmonum operatione sunt exhibita, oculos spectantium præstigiis decipientium, ut serpens, qui non esset, tamquam serpentem .... cernerent*. Idem docet de ranis, & aqua in sanguinem versa. Et Tertullianus lib. de anima cap. 57. *Corpora*, inquit, *videbantur Pharaoni, & Ægyptiis magicarum virgarum dracones, sed Moysei veritas mendacium devoravit*.

LXXXI. Alii Interpretes opinantur veros dracones aliundè adductos ope dæmonis, virgarum loco fuisse substitutos, fallendo oculos, ut nemo præstigias illas animadverteret. Ita Jansenius in *cap. 7. Exodi*, Tostatus *ibidem q.* 20. aliique.

LXXXII. Alii tandem asserunt magorum dracones fuisse veros. Origenes homil. 13. in Numer. *Quis potest*, ait, *hominum fortitudine corporis virgam mutare in serpentem, quod ab illis*

lis factum refertur? .... Fecerunt tamen hoc Ægyptiorum incantatores, & magi. Fecerunt enim hæc prius Moyſes..... Efficit tamen ſimiliter & contraria virtus virgam ſerpentem, ſicut fecerat Virtus Dei. S. Auguſt. *quæſt.* 21. *in Exodum*, propoſita ſibi hac controverſia, reſpondet, ex ipſa Scripturæ phraſi par utrinque, & in Moyſe, & in magis prodigium ſatis deſignari: *Cur ergo*, inquit, *ex utraque parte, & virgæ dicuntur, & dracones, ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus?* Et lib. 3. de Trinit. cap. 7. *Magi Pharaonis ſimiliter ſerpentes fecerunt, & alia ſimilia.* Theodoretus de ſelectis Sacræ Scripturæ quæſtionibus ambiguis, *quæſt.* 18. *in Exodum* diſſerens, ait: *Mutabant illi etiam virgas in ſerpentes.... Conceſſit itque Deus incantatoribus, ut hæc facere poſſent.* Quam ſententiam ſecutus D. Thomas 1. part. quæſt. 114. art. 4. ait: *Magi Pharaonis per Virtutem dæmonum veros ſerpentes, & ranas fecerunt.* Hanc ſequitur eruditiſſimus P. Calmet Diſſert. in Exod. *de veris, fictiſque prodigiis.*

LXXXIII. Si primam, vel ſecundam ſequamur opinionem, jam ſua ſponte ſequitur, dæmonem formam ſubſtantialem immediatè non produxiſſe, cum non produerit veros ſerpentes, ſed ſolum per ludificationem apparentes; vel ſi veros, non tamen ab eo productos, ſed aliunde adductos.

LXXXIV. Si verò tertiam amplectamur, nec proinde ſequitur veros ſerpentes ope dæmonis fuiſſe immediatè productos, ſed ſolum activa paſſivis applicando, ut innuit D. Auguſtinus quæſt. ſupra citata. *Inſunt enim*, ait, *corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis atque cauſalis prorum-*

rumpunt in ſpecies debitas ſuis modis, & finibus, & ſic non dicuntur Angeli, qui iſta faciunt, animalium creatores, ſicut nec agricola ſegetum, vel arborum, vel quorumque in terra gignentium, creatores dicendi ſunt, quamvis noverint præbere quaſdam viſibiles opportunitates, & cauſas, ut illa naſcantur. Quod autem iſti faciunt viſibiliter, hoc Angeli inviſibiliter. Deus verò ſolus creator eſt, qui cauſas ipſas, & rationes ſeminarias rebus inſervit. Et lib. 3. de Trinit. cap. 8. *Nec ſane*, inquit, *creatores illi mali Angeli dicendi ſunt, quia per illos magi reſiſtentes famulo Dei, ranas, & ſerpentes fecerunt: non enim ipſi eas creaverunt. Omnium quippe rerum, quæ corporaliter viſibiliterque naſcuntur occulta quædam ſemina in illis corporeis mundi hujus elementis latent. Alia ſunt enim hæc jam conſpicua oculis noſtris ex fructibus, & animantibus; alia verò illa occulta iſtorum ſeminum ſemina, unde jubente Creatore produxit aqua prima natabilia, & volatilia; terra autem prima ſui generis germina, & prima ſui generis animalium. Neque enim tunc in hujuſcemodi fœtus ita producta ſunt, ut in eis quæ producta ſunt vis illa conſumpta ſit: ſed plerumque deſunt congruæ temperamentorum occaſiones, quibus erumpant, & ſpecies ſuas peragant.* Et poſt fusè explicatam hanc doctrinam concludit: *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores frugum, quamvis eorum extrinſecus adhibitis motibus iſta creanda Dei virtus interius operetur, ita non ſolum malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus, & corporis, ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum,*

rum, & acceleratorum incrementorum præbent occasiones. Quod idem sentiendum est de aquis in sanguinem, magis auctoribus, transmutatis, ac de ranis ab iisdem productis. Quare satis constat non posse dæmones immediatè formam aliquam substantialem producere, & ideò si videatur producta, vel res apparens est; vel si vera, non immediatè a dæmone est producta, sed per applicationem activorum ad passiva, dispositionibus sibi notis.

LXXXV. Ex hac doctrina sequitur, posse dæmonem applicando activa passivis per dispositiones necessarias facere, ut nascantur animalia, quæ possunt etiam sine genitoribus nasci, ut serpentes, & ranæ.

LXXXVI. Ne autem dicatur, quod talis fuerit etiam mutatio virgæ Aaronis in serpentes, atque adeo quod non fuerit verum miraculum, necessarium est advertere latum esse inter has mutationes discrimen. Audiatur Origenes, loco supra laudato: *Efficit*, ait, *similiter & contraria virtus virgam serpentem, sicut fecerat virtus Dei; sed serpens qui per virtutem Dei factus fuerat, absorbuit, & devoravit omnes illos serpentes, qui arte magica ex virgis versi fuerant in serpentes. Non enim potuit virtus dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, restituere in bonum. Potuit ex virga facere serpentem, virgam verò reddere ex serpente non potuit, & ideo consumuntur omnes ex ea virga, quæ Dei virtute versa fuerat in serpentem. Postea verò per divinam virtutem naturæ suæ redditur, ut naturæ Dominum fateretur, fecerunt incantatores Ægyptiorum, ut & aquæ verterentur in sanguinem, sed non potuerunt iterum sanguinem vertere in aquam. Dei autem virtus non aquam, sed totum fluvium vertit in*

ſanguinem; & rurſum: *orante Moſeo, lympidis eum, ac naturalibus reddidit fluentis, & iterum produxerunt magi Ægyptiorum ſciniphes; ſed non potuerunt repellere eas. Moſes vero & produxit ſciniphes, & repulit: Deus enim noſter delere facit, & reſtituit; contraria autem virtus male quidem facere aliquid poteſt, ſed reſtituere in integrum non poteſt.* Origeni conſonat Theodoretus, ut videri poteſt in Textu ſupra allato num. 75.

LXXXVII. Quartò, non poteſt dæmon in inſtanti efficere aliquam tranſmutationem, una ſimul cum diſpoſitione ſubjecti, quia cum alteratio ſit motus ſucceſſivum, ut Philoſophi loquuntur, fieri neceſſe eſt cum tempore, & quamvis dæmon ſciat media, quæ alterare poſſunt, & diſponere ſubjectum ad hanc, vel illam formam, exempli cauſa ſerpentis, ranæ &c. & poſſit media applicare, ipſa tamen ſuo naturali modo, & in tempore agere debent. Poteſt verò dæmon hanc facere celerius duplicando media, & auferendo impedimenta ipſi optimè perſpecta.

LXXXVIII. Quintò, propter eamdem rationem poteſt dæmon brevi ſanationes illas operari, quas natura, & ars medicinæ per apta media multo tempore operaretur, cum perfectè calleat medicam facultatem, & medicamentorum virtutem. *Nihil enim* (inquit D. Thomas in quæſtionibus diſputatis, quæſt. 6. de miraculis art. 5. ad ſecundum) *prohibet dæmonum arte velocius aliquem poſſe ſanari, quam per naturam, ſi ſibi relinquatur, quia hoc etiam videmus per artem hominis fieri: non tamen videtur quod poſſint ſubitò ſanare, licet aliquos alios effectus poſſint facere quaſi ſubitò, quia medicinæ corpori humani exhibitæ, operantur ad ſanitatem*

tem quasi instrumenta: natura autem est sicut agens principale; unde debent talia adhiberi, quæ possint a natura moveri .... Insuper potest se in corpus intromittere, humores noxios removere, quam citò sistere, si opus sit, vel remedia propria propinare. Non potest tamen incurabiles morbos mederi, ut cœcitatem a nativitate ex interno defectu provenientem, aut ægrum, cujus organa sint destructa, & universaliter loquendo, nullum morbum sanare ex iis, qui etiam perfecta medicinæ arte sunt incurabiles. Hæc enim cum supra totam naturam sint, sunt etiam supra ejus activitatem, ut dictum est supra *num.* 72. & expressè docet Angelicus Doctor loco citato, inquiens: *Unde etiam illæ infirmitates, ad quarum sanitatem naturæ virtus nullo modo potest, operatione dæmonum sanari non possunt.*

LXXXIX. Sextò, non potest transmutare humana membra in bestialia, vel in arbores &c. Hoc docet S. Aug. lib. 18. de Civit. Dei c. 18. *Nec corpus quidem*, inquit, *ulla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti. Sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, sive somniando per rerum innumerabilia genera venatur, ut cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit.* Et explicans modum, quo id evenire potest, ait: *Sopitis, aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum, nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci: itaut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, vivantia quidem, sed multo gravius, atque vehementius, quam somno suis sensibus obseratis; phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisque etiam sibi homo esse vi-*

deatur, ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera: quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur a dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falſa cernentibus. Nam quidam nomine Præſtantius Patri ſuo contigiſſe indicabat, ut venenum illud per caſeum in domo ſua ſumeret, & jaceret in lecto ſuo quaſi dormiens; qui tamen nullo modo poterat excitari. Poſt aliquot autem dies cum velut evigilaſſe dicebat, & quaſi ſomnia narraſſe, quæ paſſus eſt, caballum ſe ſcilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulaſſe militibus, quæ dicitur Retica, quoniam ad Retias deportatur. Quod ita, ut narravit, factum fuiſſe compertum eſt: quæ tamen ei ſua ſomnia videbantur. Aliud ſimile exemplum narrat S. Antoninus 2. part. hiſt. tit. 16. cap. 7. §. 5. „ „ *eo tempore*, inquit, *erant* duæ aniculæ in ſtra- „ ta, qua Romam itur uno in tugurio commo- „ rantes, uno imbutæ maleficio, quæ hoſpitem, „ ſi quando ſolus ſuperveniebat, in equum, aut „ aſinum, autem ſuem mutabant: & hoc lector „ ſanè intellige, quia mutatio iſta non ſecundum „ naturam erat, ſed ſecundum apparentiam „ phantaſiæ aſpicientium ſic alterata, & oculis „ aſpicientium ſic præſtigiata, ut ſibi, & aliis ſic „ eſſe viderentur. „ Quod idem docuit Concilium Ancyranum *cap.* 1. & habetur in can. *Epiſcopi* 26. q. 5. *Quiſquis*, inquit, *aliquid credit poſse fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, procul dubio infidelis eſt, & paganus.* Et ibidem cap. *Nec mirum*, legitur: *Fertur etiam in gentilium libris, quod quædam maga famoſiſſima Circe ſocios Ulyſſis mutaverit in beſtias.* Le-

gitur

gitur & de Sacrificio, quod Arcades Deo suo Lycæo immolabant, ex quo quicumque sumerent, in bestiarum formas convertebantur; sed hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantnr, quàm rerum veritate complerentur. Quod desumptum est ex *lib.* 18. *de Civit Dei S. Augustini cap.* 17. Et ratio horum esse potest, *quia hoc esset præter ordinem a Deo naturæ inditum*, ut loquitur S. Thomas *quæst.* 16. *de malo*, *art.* 19. *ad* 1.

XCI. Potest tamen humana corpora variis morbis, Deo permittente, affligere, applicando scilicet activa passivis per dispositiones proprias, ut patet in Job, quem a planta pedis usque ad verticem capitis percussit, & in pluribus aliis sæpè in hisce Commentariis indicatis. Idem dicendum est de animalibus.

XCII. Septimò, non potest in instanti motum localem exercere sive in se, sive in alio corpore, quia motus localis necessario est successivus, & quamvis Tertullianus in Apologetico cap. 22. scribat: *Angeli, & dæmones momento ubique sunt. Totus orbis illis locutus est*; tamen sic hoc dictum intelligendum est, ut nempè citissimè moveantur, quodque non habeant locum ita determinatum, ut nequeant ad alium pergere. Respectu verò ad corpora, quæ movere possunt, eadem est ratio; imò sequeretur, eo motu aut nullum pertransiri spatium, aut idem corpus simul in pluribus locis esse, quod utrumque naturaliter saltem, est impossibile, ut ex philosophicis suppono.

XCIII. Potest tamen dæmon movere corpus quodlibet de loco ad locum, & brevi tempore in longinquam deferre regionem, Deo permittente; nam dæmones assumpta a se corpora movent, & rerum semina ad aliquid producendum colligunt. Item satan Christum per aera

transvexit: Nam Matth.4. v.5. legimus: *Tunc assumpsit eum diabolus in Sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi*; ubi Interlinearis: *ex permissione, non ex imbecillitate.* Et v. 8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi.* Notum est autem ex Christiano Adricomio, in descriptione Terræ Sanctæ *num.*97, hoc desertum esse propè Jerico, multumque distare ab Jerusalem. Item certum est montem illum, in quo tentatus est Dominus, altissimum esse, & pinnaculum templi esse fastigium templi, quod 120. cubitis distabat a terra. Insuper, Simonem magum in altum subvexit, ut pluribus adductis Patrum testimoniis, latè probat Baronius *ad annum Christi* 68. Tandem, localiter movet obsessorum corpora, vel ad incessum, vel etiam prorsus violenter, ut constat ex Evangelio de illo dæmone, qui puerum projiciebat nunc in ignem, nunc in aquam: & de alio projiciente hominem in terram, & de iis, qui porcos præcipitaverunt in mare, de quibus omnibus dictum est in Commentario Tituli, *num.*19. Compertum quoque est in aera energumenos elevari, ut docuimus in Notis ad 29. signum evidens, in Commentar. Documenti III. *num.*13.

XCIII. An autem de facto verè dæmon traducat Magos, & sagas ad nocturna conventicula, celebris quæstio est, sed opinio affirmans est communissima tum apud Jurisconsultos, tum apud Theologos, qui hac de re scripserunt, & inter in numeros recensentur illi tres præstantissimi, Sixtus Senensis *lib.* 5. *Biblioth. Sanctæ, annotatione* 73. Alfonsus a Castro *lib.* 1. *de justa hæreticorum punitione cap.*16. & Abulensis *quæst.* 47. *in cap.* 4. *Matth.* qui, *hanc sententiam non posse sine impudentia negari*, scribit, teste Suarez *tom.*1.

de

de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 16. num. 24. opinionem autem contrariam *falſam, & reipublicæ perniciosam*, vocat Lemus de Juſtitia lib. 2. cap. 44. *de magia, dubit. 3. num. 15.* cui cenſuræ conſonat Cæſar Carena *tract. de Offic. S. Inquiſitionis part. 2. tit. 12. §. 2. num. 5.* & Binsfeldius *lib. de Confeſſione maleficarum, concluſ. 12.* tradit, quod contradicere huic noſtræ ſententiæ *repugnat Theologiæ, Philoſophiæ, & rerum experientiæ certiſſimæ*, penes Cardinal. Albitium *de inconſtantia in fide cap. 32. num 174.* Et tandem Fagund. *in 1. Præceptum Decalogi lib. 1. cap. 41. num. 9.* ſcribit opinionem, quam amplectimur, tam certis teſtimoniis, ac tam evidenti rerum experientia comprobatam eſſe, ut id negare ſit prorſus inſanire.

XCIV. Et revera poteſt diabolus per ſuam poteſtatem, quam habet circa corpora in ordine ad motum localem id exequi, ut ſupra dictum eſt *num. 92.* Præterea Deus id permittere poteſt, ſicut alias translationes permiſit, ut obſervavimus *num. 91.* & tandem plura exempla a Scriptoribus fide dignis referuntur, quorum aliqua videri poſſunt apud prælaudatum Alphonſum a Caſtro.

XCV. Scio alios ſcribere „ ſe expertos eſſe, „ lamias iſtas non corpore, ſed ſpiritu deferri, „ quia dum illæ ſic ſe delatas eſſe putabant, „ aliis videntibus, qui de hac re teſtimonium „ præbuerunt, veluti dormientes jacebant in „ terra. At nihil hoc contra ea, quæ diximus, „ agit. Non enim dicimus ſemper illas cor„ pore deferri, ſed hoc fieri poſſe, & aliquan„ do factum eſſe contendimus, concedentes in„ ſuper aliquando etiam fieri oppoſitum, ita „ ut non corpore, ſed ſolo ſpiritu per illius „ phantaſticam imaginationem a dæmonibus

„ de loco ad locum deferantur. Veram igitur
„ esse illorum experientiam concedimus: sed
„ oportet ut etiam illi nostram veram esse
„ credant, quia altera alteri non repugnat,
„ sed utraque alternis vicibus contingere po-
„ test. „ Hucusque a Castro.

XCVI. Sed quod aliquem scrupulum gignere potest illud est, quod ex Concilio Ancyrano habetur, relatum in Decreto 26. *quæst.* 5. can. *Episcopi*, cujus verba damus non ex decreto Gratiani transcripta, sed ex *tom.* 1. Conciliorum Labæi deprompta. *Illud non est omittendum, quod quædam scelerata mulieres retro post Satanam conversa dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt, & profitentur se nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias: & multa terrarum spatia intempestæ noctis spatio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari.* Deinde declarat, quod hæc omnia operetur dæmon per phantasmatum illusionem somnii tempore, unde subdit: *Et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens, hæc non in animo, sed in corpore opinatur evenire. Quis enim non in somniis, & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam videret vigilando? Quis verò tam stultus, & hebes est, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?* Deinde infra: *omnibus itaque publicè annunciandum est, quod qui talia, & similia credit, fidem perdit. Et qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est ejus, sed illius, in quem credit, id est diaboli.*

XCVII. At scrupulus evanesceret, si cum

ali-

aliquibus diceremus, Decretum hoc non eſſe Concilii Ancyrani; Gratianus enim illud refert ex Concilio *Anquirenſi*, quod Concilium nunquam extitit; & etiam ſi legendum eſſet *Ancyrano*, in nullo Exemplari habetur aut Græco, aut Latino, neque impreſſo, neque manuſcripto, ſed deſumptum eſt ex ejuſdem appendice confecta ex quodam libello ſexdecim librorum partialium *lib. 6. cap. 7.* ut in 1. tomo Conciliorum, qui libellus non videtur certæ auctoritatis. Deinde magna pars illus canonis invenitur in libro *de Spiritu, & Anima cap. 28.* qui Auguſtinum præſeferebat auctorem, ſed verius agnoſcit parentem, ſive Ugonem Victorinum, ſive Alcherum Ciſtercienſem Monachum, ſive alium Anonymum, ut obſervant PP. S. Mauri in admonitione hujus libri *tom. 6. Operum S. Auguſtini, in Appendice*. Nihilominus omnes canonem illum recipiunt ut authenticum, ſed alii conditum putant in quodam Concilio Romano ſub S. Damaſo, ut Baron. *ad annum* 382. *num.* 20. *&* 22. qui haberi, inquit, in Actis Damaſi Papæ, quæ in Eccleſia recitari ſolebant. Et Juſtus Fontaninus Archiepiſcopus Ancyranus in notulis ad hunc Canonem in Decreto Gratiani, quod ſecundum methodum Cardinalis Turrecrematæ edidit Romæ 1726. ait, eadem ferme verba haberi in pervetuſto codice S. Mariæ Majoris de Vita Damaſi. Alii verò adſcribendum illum Canonem putant Concilio Ancyrano, quia traditione antiqua receptum eſt, a qua non videtur facile recedendum, maximè quia id, quod ex Concilio Romano ſub Damaſo anno 382. celebrato, affertur, non eſt contrarium; ibi enim ſolum dicitur: *Omnes maleficos, ſacrilegos, augures, aliiſve ſuperſtitionibus vacantes excommunicandos eſſe. Fœmi-*

minas illas, quæ a damone illusa putant se noctu super animalia ferri, atque cum Herodiade circumvagari, eadem sententia plectendas esse. Quod potuit rectè fieri etiam si in Ancyrano Concilio, quod antiquius est, (celebratum nempè fuit anno Christi 314.) Canon ille conditus fuisset. Qua ratione Auctor libri *de Spiritu, & Anima cap.* 18. potius transcribit ex Canone, quam è contra, etiamsi Parentem liber iste agnosceret Augustinum.

XCVIII. Sed ut sit de Auctore hujus canonis, qui certè suam habet auctoritatem, quam libenter admittimus, primò dicimus, in eodem non agi de Lamiis, & strigibus, sed de quibusdam Hæreticis, qui credebant, quod Diana fuit in Deam conversa, & quod creaura mutari, aut transformari potest ex una substantia in aliam; unde subdit præfatus Canon: *Quisquis ergo credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior.* Secundò dicimus, quædam in illo Canone narrari, quæ per naturam rerum a dæmone perfici non possunt, ut equitare cum Diana, vel Herodiade, cum nec ulla sit Diana Dea, nec Herodias illa ullibi in terris equitet, sed in inferno crucietur. Item quod equitent super illas bestias, quæ tanta spatia tam cito, & per aerem conficere nequeunt. Item cognoscere aliquam naturam divinam præter Deum, hæreticum est. Quo circa illa merito a Canone proscribuntur, & damnantur. Vera itaque canonis explicatio est, eos hæreticos esse censendos, qui credunt: Primo, quod aliqua sit Dea, quæ vocatur Diana, vel Herodias. Secun-

do,

do, quod aliqua deportetur ad ſerviendum alicui tali Deæ. Tertio, quod aliquis poſſit ab alio, quam a Deo in aliam ſpeciem converti. Non autem cenſet canon eſſe hæreticos, qui contendunt ſtriges, & ſortiarios perſonaliter ad diſſita loca deportari. Et quamvis ibi ſermo etiam ſit de translatione, quæ contingat per illuſionem, & ſolum in phantaſmate, tamen,, Synodus non „ decernit vectationes & translationes illas mu„ lierum fieri non poſſe corporaliter, neque de„ finit motiones illas ſola ſemper imaginatio„ ne fieri, & nunquam in corpore ſed id tan„ tum affirmat, mulieres illas falſis imagina„ tionibus decipi, quod & nos non inficiamur „ interdum evenire, imò aſſerimus fœminas hu„ juſmodi aliquando immobiliter domi jacuiſſe, „ cum ſe crederent in remotis regionibus aſportatas„. Hæc Sixtus Senenſis, loco citato.

XCIX. Octavo, non poteſt impedire virtutem agentium naturalium ab intrinſeco, ne ſuos effectus producant, quia impedimentum ab intrinſeco eſt per ſubtractionem concurſus, ut accidit, cum *Dominus mare vertit in ſiccum diviſaque eſt aqua, & ingreſſi ſunt Filii Iſrael per medium ſicci maris, & erat aqua quaſi murus a dextera eorum, & leva, ut dicitur* Exodi 14. v. 21. & 22. *Et cum Sidrach, Miſach, & Abdenago miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis.... & ambulabant in medio flamma laudantes Deum*; ut habetur *Daniel.* 3. *v.* 21. & 24. Poteſt tamen dæmon ab extrinſeco impedire per externa remedia effectus talium agentium, cum ea media dæmon optimè calleat.

C. Nono, non poteſt ſiſtere Cœlum, aut contrario motu, aut celerius, tardiuſve ipſum movere, quam ſecundùm inclinationem naturalem ipſius movetur: aut ſtellam Cœlo deducere, quia con-

nexio,

nexio, & ordo universi semel a Deo institutus non potest ab ulla particulari causa mutari; hinc S. Augustinus *lib.*21. *de Civit. Dei cap.*8. non dæmoni, sed Deo conditori tribuit: *Quod in stella veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum extitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum ita neque antea, neque postea sit.* Qua de re legendum est totum caput 8. citatum.

CI. Hac eadem ratione non potest dæmon aliquod integrum elementum, vel magnam partem destruere, aut è loco suo movere: Quapropter D.Cyprianus *Epist.*75. *Ita*, inquit, *principalium dæmoniorum impetu* (mulier prophetissam se simulans) *ferebatur, ut & facere se terram movere polliceretur. Non quod dæmoni tanta esset potestas, ut terram movere, aut elementum concutere nisu valeret, sed quod nonnunquam spiritus nequam præsciens, & intelligens terræmotum futurum, id se facturum esse simularet, quod futurum videret.*

CII. Potest tamen terræmotus efficere, immisso vehemente spiritu in cavernas terræ, qua ratione etiam possunt tempestates excitare, fulgura, tonitrua, grandines &c. ne tamen hoc, & præcipuè quæ scribimus de terræmotu, contrarium videatur superiori doctrinæ num.antecedenti traditæ; audiatur D.Thomas, qui utrumque conciliat: quæst.16. de malo, art. 10. ad 8. *Dicendum*, inquit, *quod idem est naturalis motus totius, & partis, non tamen eadem vis sufficit ad movendum totum, quæ movet partem: unde licet dæmones possint movere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint movere totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ*

ipso.

ipſorum, ut mutent ordinem elementorum Mundi.

CIII. Decimò, non poteſt mortuos ſuſcitare, ſe uniendo corpori refecto vel animam evocando. Prima pars certa eſt ex his, quæ diximus in Commentar. Tituli *num.* 32. & 33. ubi pluribus oſtendimus dæmones corpora aſſumere, non tamen ſe illis unire tamquam eorum formas. Non minus etiam certa eſt ſecunda pars; ſed tota difficultas ſita eſt in eo, quod legitur 1. *Regum cap.* 28. de Samuele per Pythoniſſam ſuſcitato. Hæc enim traduntur: *Dixit Saul ſervis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam, & ſiſcitabor per illam. Et dixerunt ſervi ejus ad eum: Eſt mulier Pythonem habens in Endor. Mutavit ergo habitum ſuum, veſtituſque eſt aliis veſtimentis, & abiit ipſe, & duo viri cum eo, venerunt que ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in Pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum: Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quo modo eraſerit magos, & ariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ ut occidar? Et juravit ei Saul in Domino dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi ſuſcita. Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere, quid vidiſti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitque ei: Qualis eſt forma ejus? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti*

me,

me, ut ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis; ſiquidem Philiſtiim pugnant adverſum me, & Deus receſſit a me; & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per ſomnia: vocavi ergo te, ut oſtenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te, & tranſierit ad amulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David, quia non obediſti voti Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie, & dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſtiim: cras autem tu, filii tui mecum eritis: ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſtiim. Textum integrum retulimus, quia de eo, vel de ejus partibus redibit ſermo.

CIV. Hoc poſito, *nonnulli dicunt*, inquit Theodoretus in lib. 1. Regum cap. 28. *eam*, (nempè Pythoniſſam) *vere retuliſſe Samuelem*. Moventur, quia Sacra Scriptura ſexies eum, qui Sauli Pythoniſſam conſulenti viſus eſt, *Samuelem* vocat, ut conſtat ex textu; & quia Eccleſiaſtici 46. v. 23. de Samuele dicitur: *Et poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem Gentis*. Cui porro regi niſi Sauli? Quando vero? niſi cum Pythoniſſam adiit, & conſuluit, ab eoque audivit: *Cras tu, & filii tui mecum eritis?* Et quomodo exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia, niſi cum viſus eſt Pythoniſſæ de terra aſcendere, & dixit mulier: *Deos video aſcendentes de terra?* Denique, vere prophetavit: *& dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſtiim.*

CV.

CV. Hanc sententiam docuerunt S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo: *Animas*, inquit, *superstites manere etiam eo demonstraverim, quod & Samuelis animam ventriloqua Pythonissa, itaut Saul petierat, evocavit.* Origenes Comment. in lib. 1. Regum cap 28. *Samuelem vere esse eductum*, pluribus argumentis probat. S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ: *Samuel*, ait, *post mortem, secundum Scriptura Testimonium, futura non tacuit.* S. Augustinus *lib. 2. de Diversis quæstionibus ad Simplicianum quæst. 4.* utramque opinionem probabilem judicat, diligentiori tamen inquisitioni non præscribens. Verum in libro de octo Dulcitii Quæstionibus, *quæst. 6.* repetitis iis, quæ ad Simplicianum ea de quæstione scripserat, rem sic absolvit: *Sed quam non frustra dixerim, pedetentim nos in hac re gesta simulatam Samuelis imaginem maligno Pythonissæ ministerio præsentatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, mea posterior inquisitio declaravit, quando inveni in libro Ecclesiastico, ubi Patres laudantur ex ordine, ipsum Samuelem sic fuisse laudatum, ut prophetasse etiam mortuus diceretur. Sed si & huic libro ex Hebræorum, quia in eorum non est Canone, contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus.* Quibus consonant ea, quæ scribit in lib. *de cura pro mortuis gerenda, c.* 15. Severus Sulpitius lib. 1. histor. Sacræ: *Saul*, ait, *per Mulierem, cujus viscera Spiritus erroris impleverat, Samuelem evocatum consuluit.* S. Zeno Veronensis, seu alius antiquus Auctor Sermonis de resurrectione: *Samuel*, inquit, *egregius ille Sacerdos mortis jam lege dispunctus, Sauli regi desideranti sine ambiguitate, non tantum*

tum ſuam præſentiam exhibet, ſed etiam ad conſulta reſpondet, liberinſque canit mortuus, quam canere conſueverat vivus, unde libet exclamare: Profectus potius eſt, quam mortuus. Et antiquus auctor Carminum contra Marcionem, ſub Tertulliani nomine editorum, *lib.* 3. canit:

Mirificus Samuel, cui Reges ungere primum,
Præceptum dare Chriſma, vivos oſtendere Chriſtos,
Talibus in vitæ ſpatio laudabilis exit,
Ut quoque poſt requiem prophetica jura teneret.

Denique S. Thomas 2.2. *quæſt.* 174. *art.* 5. *ad* 4. hanc ſententiam probabiliorem cenſet, eique adhærere ſe ſignificat.

CVI. *Nonnulli* proſequitur ibidem Theodoretus, *hoc idem refellerunt; dicunt autem quemdam dæmonem oſtendiſſe figuram Samuelis.* Hanc opinionem veterum pars maxima tradit, ut Tertullianus *lib. de anima cap.* 57. S. Baſilius Magnus in *cap.* 8. *Iſaiæ.* D. Gregorius Nyſſenus *Epiſt. ad Theodoſium Epiſcopum.* Hieronym. *in cap.* 7. *Iſaiæ &*, 13. *Ezechielis*, nec non 6. *Matthæi.* Cyrillus Alexandrinus *lib.* 6. *de adoratione in ſpiritu, & veritate.* Theodoretus *loco cit.* Philaſtrius *lib. de Hæſibus cap.* 26. Procopius Gazzæus in *cap.* 28. *lib.* 1. *Reg.* & in *cap.* 10. *lib.* 1. *Paralip.* nec non *in cap.* 8. *Iſaiæ.* Anaſtaſius Sinaita *quæſt.* 39. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 8. *originum cap.* 9. Et tandem Rupertus Abbas *lib.* 2. *in lib. Regum cap.* 17. quorum argumenta relata, & ſoluta videri poſſunt penes Natalem Alexandrum *in Hiſt. Eccleſiaſt. Veteris Teſtament. tom.* 2. *diſſert.* 23.

CVII. Si hanc admittas ſententiam, jam planè ſequitur, dæmones non evocaſſe, virtute ſua, animas. Si verò primam opinionem (quam nos ſecundæ anteponimus) amplecteris, idem etiam ſequitur, cum id factum non fuerit virtute dæmonis, ſed ex diſpenſatione divinæ voluntatis

permiſ-

permiſſum, ut non invitus, nec dominante, aut ſubjugante magica potentia, ſed volens, atque obtemperans occultæ diſpenſationi Dei, ut loquitur Theodoretus *loco cit.* in idque conſpirant omnes Sancti Patres primæ ſententiæ, qui legi poſſunt circa hoc apud eumdem Natalem Alexandrum *ibidem*.

CVIII. Plura alia adduci poſſent, quæ dæmon facere vel non facere poteſt; ſed hæc dicta ſufficiant, additis iis, quæ tradidimus ſparſim in hoc Opere, & præcipuè ubi egimus de ejus poteſtate circa animam, ejuſque potentias, circa corpora aſſumenda &c.

CIX. Advertendum tamen, quod quidquid poteſt dæmon, ſolum his tribus modis poteſt. Primò, per illuſionem ſenſuum tam exteriorum, quam interiorum, de quo modo locuti ſumus in Comment. Tituli a *num.* 36. *uſque ad* 44. Secundò, per motum localem, vi ſcilicet poteſtatis, quam habet facilè movendi corpora. Tertiò, applicando activa paſſivis; ſunt enim ſingulares quædam virtutes occultæ, ac ignotæ hominibus, ut in certis quibusdam aquis, terris, ſuccis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, animalibus, & in ipſo hominis corpore mirabilium, ac pene incredibilium operum effectrices. Hæ virtutes, quibus in rebus naturalibus inſint, ubi locorum lateant, quibus cum rebus componi, miſceri, ac temperari debeant, quo tempore tempeſtive, ac opportune ad operandum adhiberi oporteat, notiſſimum eſt dæmonibus; quamvis ſub hoc tertio modo etiam primus comprehendatur, cum illuſio ſenſuum fieri non poſſit, niſi forinſecus adhibitis quibuſdam corporibus, aut intrinſecus commotis ſpiritibus animalibus, aliiſve humoribus.

CX. Advertendum inſuper, quod quidquid,

facere poteſt dæmon per ſe ipſum, poteſt facere per alium, id eſt per magum, vel ſagam, & vice-verſa regulariter, & cum ſua proportione loquendo, cum hi virtute illius ſolum agant.

CXI. Advertendum tandem, quod ea, quæ diximus dæmonem non poſſe facere, ſi aliquando faciat, non revera facit, ſed illuſiones, apparentiæ, & præſtigia dicenda ſunt.

CXII. His cognitionibus imbutus Exorciſta, auxilioque cœleſti, præcipueque Deiparæ implorato, ut diximus ſupra in Commentar. hujus Documenti *num.* 2. ſufficienter redditur cautus, *ne artibus, & fraudibus diaboli, ad decipiendum hominem fallatur*, ut loquitur Rituale noſtrum.

DOCUMENTUM VI.

QUare ſit memor, Dominum noſtrum dixiſſe, genus eſſe dæmoniorum, quod non ejicitur niſi per orationem, & jejunium; *Matth.* 17. Hæc duo potiſſimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmoneſque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per ſe, tum per alios curet adhiberi.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *ORatio, & jejunium ſunt neceſſaria ad quodlibet genus dæmoniorum expellendum, & num.* 2.
3. *Hanc neceſſitatem docuerunt Chriſtus, & Patres.*
4. *Objectio circa jejunium.*
5. *Eſt neceſſarium in Exorciſta, obſeſſo, ejuſque propinquis.*

COMMENTARIUM.

Quare ſit memor, Dominum noſtrum dixiſſe, genus eſſe dæmoniorum, quod non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium.

I. QUod non ſolum intelligitur de iis ſpiritibus, qui ſurdi, & muti dicuntur, ſcilicet, qui in corporibus hominum uſum linguæ, aut auris, Deo permittente, non habent, ut explicat Euthymius in Evangel. Marci cap. 26. inquiens: *Mutum dixit ſpiritum, utpote impedientem filii ſui loquelam, nec id tantum, ſed & auditum ejus*; verum intelligendum eſt de omnibus omnino dæmonibus; nam D. Hieronymus illud Chriſti Domini *lib.* 3. *Commentar. in Matth.* cap. 17. *Hoc genus &c.* exponens, ait: *Dum docet quomodo nequiſſimus dæmon poſſit expelli, omnes inſtituit ad vitam*; ubi de omnibus indiſcriminatim loqui videtur S. Doctor, ſicut & alii PP. loquuntur, infra *num.* 3. referendi. Et Auctor Operis imperfecti *inter opera S. Joannis*

Chryſoſtomi homil. 58. in eumdem Caput, expreſſius loquitur: *Univerſum*, inquit, *dæmonum genus, non lunaticorum ſolummodo intellexerit.* Cui conſonat prælaudatus Euthymius *Comment. in 4. Evangelia cap.* 35. inquiens: *Genus dæmoniorum omnium non alio modo egreditur, niſi per orationem, & jejunium.* Et Victor Antiochenus ad cap. 9. Marci: *Per duo hæc*, ait, *aſſerit Dominus omne dæmoniorum genus profligari poſſe.*

II. Scio quoſdam expoſitores, inter quos præcipuè S. Leo Magnus, intelligere Chriſti Domini oraculum de quibusdam dæmoniis fortioribus, & atrocioribus: hæc enim habet S. Pontifex ſerm. 2. cap. 1. *In omni agone certaminis Chriſtiani utilitas continentiæ plurimum valet, ita ut quidam ſæviſſimorum ſpiritus dæmonum, qui ab obſeſſis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, ſola jejuniorum, & orationum virtute pellantur, dicente Domino: Hoc genus &c.* A qua explicatione diſſentire non videtur Rituale noſtrum, dum dicit: *Genus eſſe dæmonum, quod &c.* ſed ſtemus huic expoſitioni. Quid ex hac ſequatur, adverte. Si neceſſarium eſt jejunium ad quoſdam dæmones ejiciendos fortiores, & ſæviores; igitur utiliſſimum erit ad inferioris ordinis dæmones pellendos. Si tantæ eſt efficaciæ in illis; majoris profectò erit in iſtis. Quam conſecutionem agnoſcens Rituale Romanum, de omnibus indifferenter dæmonibus loquens, ſtatim ſubdit:

Hæc

Hæc duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum quoad ejus fieri poterit.... curet adhiberi.

III. Hoc espresè docuerunt Sancti PP. Christi oraculo edocti, nimisque longum esset eos recensere. Uno, vel altero tantum contenti erimus. S. Eucherius Lugdunensis *homil.* 1. de Jejunio Quadragesimæ. *Jejunii*, inquit, *beneficium, quid conferre possit adverte ..... Christum ipsum ab adversario esse tentatum cibi sollicitatione perspicias: ab illo saltem require, abstinere quid prosit, qui se contra diabolum pugnaturus ad informationem tuæ abstinentiæ virtute præcinxit: quam quidem vitam Apostolis suis Jesus insinuavit, ut requirentibus quod remedium ei, qui a dæmonio vexabatur, possent adhibere, responderit: Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem, & jejunium. Vide quid commodi circa propriam operetur salutem, quod alio jejunante interdum etiam ad alienam pertinet sanitatem, ut homo per abstinentiam angelicam possit expugnare naturam. Ex hoc quantum in ea insit utilitatis intellige. Ecce extrinsecus virtus augetur, corpus affligitur, & diabolus effugatur.* D. Isidorus Hispalensis lib. 2. de summo bono, cap. 44. *Jejunia*, inquit, *fortia tela sunt adversus tentamenta dæmoniorum: citò enim per abstinentiam devincuntur. Unde etiam Dominus, & Salvator noster eorum incursus jejunio, &*

orationibus præmonet ſuperare, dicens: Hoc genus &c. Victor Antiochenus loco ſupra laudato. *Diſcis*, ait, *hinc quomodo Chriſtus Servator noſter doctrinam de jejunio proponat, ejuſdemque neceſſitatem, & uſum tacitè inſinuet.* Et Chriſtianus Drutmarus, vulgò Grammaticus in Matth. c. 37. *Ad fugandos*, inquit, *dæmones abſtinentia, & jejunium.... potiſſimum eſt remedium, nam per orationes, & jejunia noverimus, vel immundorum ſpirituum tentamenta eſſe ſuperanda.* Hinc S. Carolus in Concilio IV. Mediolanenſi ſtatuit, quod Exorciſta, *pridie illius diei, quo alicui Exorciſmum adhibere incœperit ſe jejunio, & oratione præparare ſtudeat.* Porrò ſi Sancti Patres hoc docuerunt, doctrinam Chriſti ſequentes, hoc profectò ipſi executioni mandarunt, & eos prætermitto, cum certum ſit abſtinentiæ, & jejuniis pro Energumenorum curatione operam ſedulam navaſſe, ut ſæpiſſimè obſervavi in Vitis perlegendis eorum, quorum nomina recenſebo in Commentario Documenti VIII. num. 12.

IV. *Neque mihi hic nunc paucorum quorumdam, qui citra jejunium dæmonia ejecerunt exemplum exponas*, ut loquar cum Victore Antiocheno, *loco cit.* qui ſibi hanc objectionem efformat; nam cum eodem reſpondeo, quod *Etſi de uno forſan, aut altero malignos dæmones increpante, aut profligante verè iſtud aſſeri queat, attamen dæmonum vim patientes.... citra jejunium, ab ea inſania quandoque liberari, quodammodo impoſſibile eſt.* Cui conſonat Auctor Operis imperfecti *in Matth. homil.* 58. inquiens: *Nec mihi ea, quæ rara ſunt dicas, quod ſcilicet abſque jejunio ejecti dæmones aliquando fuerint; ſi enim unus, aut alter ſic expulit, impoſſibile tamen eſt, ſi quis id patitur, & in deliciis vivit, ab hoc furore liberari. Hujuſmodi enim morbo laborantibus, jejunio maximè*

opus

opus eſt. Qui Auctor aliam difficultatem ſibi proponens, ad rem noſtram ſolvit: *Sed ſi fide opus eſt*, inquies, *cur jejunare opus eſt? Quia una cum fide non parvas vires affert jejunium*.

Tum per ſe, tum per alios curet adhiberi.

V. Non tantum Exorciſta ſe munire debet jejunio, ſed etiam, & quidem præcipuè, Energumenus ipſe. *Genus dæmoniorum omnium*, inquit Euthymius, loco ſupra laudato, *non alio modo egreditur niſi per orationem, & jejunium: non ſolum ejus, qui ſanat, ſed ejus etiam, qui patitur*. Imò, & propinqui, ſeu alii. Vidimus enim ſupra in Commentar. Documenti V. *num.* 22. quod B. Irenes omnibus ſuis Monialibus rigoroſum præcepit jejunium, ut ſuam diſcipulam a dæmonis vexatione liberaret. Et de obſeſſa a dæmonio liberata a S. Auxentio Presbytero hæc referuntur ab Auctore Vitæ Sancti, *cap.* 2. *penes Bollandum die* 14. *Februarii*„ Cum itaque „ una hebdomada juſſiſſet puellam manere cum „ parentibus precatione armatis, & jejunio, & „ ipſam ſanam reſtituiſſet, dimiſſit eos in pace.„ Hæc de jejunio Exorciſtæ; de jejunio verò vexati peculiarius erit ſermo infra in Commentario Documenti VIII. *num.* 23. Pariter de Oratione Miniſtri, & aliorum fusè dicam ibidem *num.* 1. *& ſeqq.* Quare progrediamur ad

DOCUMENTUM VII.

IN Eccleſiam, ſi commode fieri poteſt, vel in alium Religioſum, & honeſtum locum, ſeorſim a multitudine perductus Energumenus exorcizetur, ſed ſi fuerit ægrotus, vel perſona nobilis, vel alia honeſta de cauſa, in domo privata exorcizari poterit.

SUMMARIUM.

1. IN *Eccleſia exorcizari debent obſeſſi, ut etiam antiquitus fiebat.*
2. *Vindicatur quoddam Decretum Sac. Congregationis ab oppoſitionibus P. Sebaſtiani a S. Joachim: ad num. 7.*
8. *Et ſeorſim a multitudine, quamvis varians fuerit circa hoc Eccleſiæ diſciplina: & num. 9.*
10. *Placitum Hieronymi Menghi refellitur.*
11. *In aliquo caſu Exorcizari poterit obſeſſus in domo privata, & tunc quæ obſervanda erunt, remiſſivè indicantur.*

COMMENTARIUM.

In Eccleſiam.

1. AD hanc ductos energumenos ut exorcizarentur legimus apud D. Joan. Chryſoſtomum *humil. 3. de incomprehenſibili Dei natura*, verſus

versus finem. *Agitatos*, inquit, *quoque.... Diaconus tempore illo* (nempe Sacrificii) *adducit, & jubet caput inclinare. Cum eos una cum Fratribus orare non liceat, adducit eos, ut tu miseratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum utaris defensionem, & auxilium.* Hanc Disciplinam, quoad hanc partem, sanctè custodiendam tradit S. Carolus Borromæus in Concilio IV. *Non in ædibus laicalibus*, inquit, *locisve privatis, sed in Ecclesia, loco aperto, & conspicuo, nec in omni quavis Ecclesia, sed in iis solum, quas certas Episcopus statuerit.... Energumenum exorcizet, idque in inferiori Ecclesiæ parte, non in choro, non in Sacellis.* Hanc eamdem disciplinam adeo observandam præcipit Ecclesia Romanam, ut nec etiam Moniales in Monasteriis, sed in Ecclesiis exorcizandas velit. Referam hic decretum Sacræ Congregationis, ex Lezana *tomo* 2. *verbo* Clausura, *num.* 28. *Monialis nulla energumena infra Monasterii septa a quocumque Presbytero sæculari, vel regulari, etiam Confessario Exorcizetur, sed ad Ecclesiam exteriorem ejusdem Monasterii, obtenta prius a Sacra Congregatione licentia, ea de causa deducatur, vel transferatur. In translatione autem hujusmodi, sicut & in actu exorcizationis honestæ personæ consanguineæ, vel aliæ mulieres provectæ ætatis, & probæ conversationis energumenam comitentur. Exorcista sit ad actum hujusmodi ab Ordinario approbatus. Exorcizatio minori, quo poterit, fiat strepitu, Ecclesiæ Janua eo usque occlusa remaneat, quousque exorcizatione completa, ad Monasterium energumena reducatur. Cæterum tam in reditu, quam in accessu ad Ecclesiam Monasterium respectivè, rectè, & sine diverticulo tendatur.*

II.

II. At huic Decreto ſtandum non eſſe contendit P. Sebaſtianus a S. Joachim, Auctor tractatus, inter alios, *de Audjuratione*, in Theologia Morali Salmaticenſium, puncto enim 6. §. 3. *num.* 79. ait: Quidquid ſit de hoc decreto, (quod forte pro Italia unicè fuit expeditum) ut certum tenendum eſt, nunquam licere energumenam Monialem a Monaſterio deducere ad eam exorcizandam, ſed ad crates ferreas adjuranda. Pro ratione adducit Concil. Trident. *Seſſ.* 25. *de Regularibus, & Monialibus cap.* 5. ubi habetur: *Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire a monaſterio, etiam ad breve tempus quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda.* Quo decreto renovat Conſtitutionem Bonifacii VIII. *in cap. Periculoſo* de Regularibus in 6. Idipſum confirmavit S. Pius V. Conſtitut. *Circa Paſtoralis officii*, edita anno 1566. quarto Kalendas Junii, declaravitque in alia anno 1570. Kal. Februarii data, quæ incipit: *Decori, & honeſtati tom.* 2. Bullarii Romani, quænam eſſent cauſæ legitimæ aductionis Monialium è Monaſterio: *Nulli monialium*, inquit, *niſi ex cauſa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum Superiores quibus cura Monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcopum ſeu alium loci Ordinarium... cognita, & expreſsè in ſcriptis approbata ſit a monaſteriis prædictis exire, ſed nec in prædictis caſibus extra illa niſi ad neceſſarium tempus ſtare licere.* Nomine autem *infirmitatis*, inquit P. Sebaſtianus, nullus, quem viderim, aſſignat *dæmonum obſeſſionem*, quia hæc propriè infirmitas non eſt.

III. Proſequitur deinde ad ſuam ulterius opinionem roborandam pluribus aliis. Primò,

quia

quia cum virtus Exorciſmorum ſit divina, poteſt agere in diſtans, & ſolum requirit indiſtantiam moralem, quæ indiſtantia daretur etiam ſi energumena ſit ad crates ferreas aliis monialibus ſtipata, ut in neceſſitatibus occurrentibus ei ſubveniat. Secundò, quia ſic tenet praxis, quæ in Hiſpania viget, quæ in Regno adeo Catholico ſufficiens eſt ad legem faciendam, obligationemque inducendam, maximè cum in hoc honeſtati, & clauſuræ Monialium valde provideat. Tertiò, quia ſi janua hæc ut licita ad egreſſum è monaſterio aperiretur, vix eſſet Monialis, quæ energumena non eſſet, vix eſſet infirmitas, aut animi deliquia ex his, quæ communiter eis eveniunt, quæ dæmonis obſeſſionem non ſuſpicarentur, imò & crederent. Tandem, ſi Monialis energumena ad Eccleſiam exorcizanda deferretur, quæ contentiones, quæ lites non orirentur inter eos, qui eam comitarentur, & blaterones, qui eam videre inhiarent? Quod murmur inter Cives non eſſet de re adeo nova, & famoſa? Itaque ad Crates ferreas debet adjurari.

IV. Tota Auctoris hujus prima difficultas in eo ſita eſt, quod nomine *infirmitatis*, quæ ſola in noſtro caſu motivum eſſe poteſt egreſſus monialis a monaſterio, non veniat dæmonum obſeſſio, cum nullus ſcriptor id eum docuerit. Edoctus tamen ſum ego ab ipſo ſupremo animarum noſtrarum, corporumque medico, Salvatore nempe Jeſu Chriſto, cui oblata fuit *mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere*; ut habetur *Lucæ* 13. *v.* 11. Hic porro *ſpiritus infirmitatis* erat *dæmonis Obſeſſio*, ut idem Chriſtus declaravit ibidem v. 16. *Hanc autem*, dixit, *filiam Abrahæ*,

quam

quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbati? En quomodo *Obsessio dæmonis* nuncupatur nomine *infirmitatis*. Hac phrasi usus est Rituale Romanum, quod in Documento V. *de Exorcizandis obsessis a dæmonio* energumenum sexties *infirmum* vocat, & obsessionem semel *infirmitatem* ibi appellat: Imò Documento XIII. pro synonimis habet hæc nomina: *infirmus, obsessus*, ut legenti manifestum fiet. Quare stat optimè, quod obsessio reputanda sit infirmitas, & consequenter, quod relatum Sacræ Congregationis Decretum sanctioni tum Synodi Tridentinæ, tum Constitutioni S. Pii V. non adversetur.

V. Sed etiam dato (non tamen concesso) quod *obsessio infirmitas* non esset, licentia exeundi a Monasterio dari potest ob alias æque graves causas in Constitutione prædicta non expressas, quia *de similibus idem est judicium*, ut dicitur c. *Translato* de Constitut. *& ubi eadem est ratio eadem est juris dispositio*, ut ait Glosa in l. *Illud*, ff. *ad Legem Juliam*. Nec obstat clausula, seu dictio taxativa a Pio V. citato posita, tum quia Concilium Tridentinum universaliter loquitur *de causa legitima* per Episcopum approbata, tum quia præfata dictio *taxativa* non excludit casus similes, tum quia ita habet praxis, & consuetudo passim vigens, *quæ est optima legum interpres*, ut dicitur *l.* 37. ff. *de legibus*. Hanc doctrinam pluribus citatis tradit Anacletus Reiffenstuel in Decretales *tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 35. §. 2. *num.* 30. ex qua objectio plane infirmatur.

VI. Ad reliquas rationes. Ad 1. utique indistantia moralis sufficit, sed interdum immediata necessaria est; si enim dæmon strepitus

usu-

ululatus ederet, minas intentaret, monialem ſurſum elevaret, ipſaque fugam arriperet, ſufficeret ne, quod energumena eſſet ſororibus ſtipata? Quis terror, quæ confuſio, qui meſtus in ſexu adeo imbecilli? Deinde ad crates ferreas, quomodo extrema pars ſtolæ ad obſeſſæ collum circumponi poteſt; quomodo cruces in ejus fronte, pectore fieri, quomodo Reliquiæ ad caput ejus admoveri, & ſuper ipſam manus apponi poſſent, ut a Rituali noſtro præſcribitur? Ad 2. Praxi Hiſpaniarum potiori jure oppono praxim Romanam, totiuſque Italiæ, & Sacra Congregatio Majorem, imò totam vim habet condendi ſuper hac re legem, quam praxis ipſa Regni Hiſpaniarum, licet Catholici. Ad 3. ſi ſerventur cautelæ ſumma prudentia appoſitæ in Decreto, nullum ex inconvenientibus adductis ſequi poteſt, & inſuper honeſtati, & clauſuræ monialium ſufficienter proviſum eſt, ut ex Decreto liquet. Nec tandem eſt timendum, quod aperiretur janua ad facilem egreſſum a Monaſterio; quia vix concipi poteſt, quod mulier ſanæ mentis ſe obſeſſam fingat, ut per breve tempus è Monaſterio ad Eccleſiam, & ſtatim ab Eccleſia ad Monaſterium ſine diverticulo ducatur, cum in hac actione nec utile, nec delectabile appareat, imò potius oppoſitum eluceat; eo vel magis quod noſtrum decretum huic inconvenienti ſatis occurrit per illa verba: *obtenta prius a Sacra Congregatione licentia;* quæ Sacra Congregatio facultatem non concedet niſi ipſi conſtiterit de vera Monialis obſeſſione per litteras Epiſcopi, vel Ordinarii.

VII. Ad illa verba initio difficultatis poſita, videlicet: *quidquid ſit de hoc decreto;* dico de identitate ipſius non eſſe prudenter dubitandum

dum, cum indicetur a Gavanto in Manuali Episcoporum, Titulo *Monialium cura Spiritualis num.* 30. dicatque expeditum a Sacra Congregatione Episcoporum 1. *Julii* 1606. referatur a Lezana loco jam citato, a Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum *collect.* 115. *num.* 5. Tamburino de jure Abbatissarum *disput.* 24. *quæst.* 4. citante Aldanum *in comp. canon Resol. lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 26. Pellizzario de Monialibus *cap.* 5. *quæsito* 30. *num.* 67. & Monacello *Tom.* 3. Formularii legalis practici *formula* 47. *num.* 3. qui allegat Nicol. in flosc. Verbo *Exorcismus*, *num.* 2.

Seorsim a multitudine perductus Energumenus exorcizetur.

VIII. Sancti Joannis Chrysostomi temporibus coram multitudine perducebantur energumeni, ut colligitur ex ejus verbis supra relatis: ibi enim loquitur de efficacia orationis communis tempore Sacrificii. Quod idem colligitur ex D. Prospero, seu Auctore libri *de Prædictionibus, & Promissionibus Dei c.* 6. ubi narrat puellam in Ecclesia coram multitudine liberatam a dæmone, de qua mentionem faciemus in Commentar. Documenti VIII. *num.* 35. At hæc, quæ vigebat, disciplina variata est, & rectè quidem; nam dæmones valdè cupiunt numerum adstantium habere, ut multa vana, & plura mendacia, ac subtiles deceptiones ipsis spectatoribus infundant, ac quædam superstitiosa, sub prætextu devotionis, & pietatis persuadeant. Insuper, ut occulta crimina in proximorum injuriam revelent, ut sæpè faciunt, & de hoc exempla attulimus in Comment.

ment. Documenti III. *num.* 11. Rurſus interdum conantur cogitationes pravas excitare; fingunt ſe quoſdam ex adſtantibus metuere tanquam ſanctitate pollentes, ut vanæ gloriæ crimen incurrant: quæ omnia ſunt vitanda. Præterea Exorciſta ſe exponeret periculo inanis gloriæ, quam cavere debet, ut docuimus ſupra, in Commentario Document. I. *num.* 36. *& ſeqq.*

IX. Ad quæ omnia incommoda forte reſpiciens S. Martinus Turonenſis: *Si quando*, inquit Severus Sulpitius in Dialogo cap. 6. *exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepiſſet .... admotis energumenis, cæteros jubebat abſcedere, ac foribus obſeratis in medio Eccleſiæ cilicio circumtectus, cinere reſperſus, ſolo ſtratus orabat &c.* Quem S. Antiſtitem ſecutus eſt B. Ambroſius Sanſedonius, ut legitur in ejus Vita *penes Bollandum* 20. *Martii*, cum enim ad eum acceſſiſſet energumenus „ percuntactus eſt vir Dei, an Populus „ adhuc in Eccleſia eſſet. Poſtquam juſſu fra„ trum Populus de Eccleſia receſſit, intra ſacri„ ſtiam dæmoniacus introductus eſt.„ Imò ſanctos hos viros in ſimilibus præivit exemplo ſuo Chriſtus Dominus, de quo Lucæ 8. v. 51. legitur: *Et cum veniſſet domum, non permiſit ſecum intrare quemquam niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & Patrem, & Matrem Puellæ.* Super quæ verba hæc habet Theodoretus relatus a D. Thoma in Catena aurea in *cap.* 8. Lucæ: *Mortuam autem ſuſcitaturus, ejecit omnes, quaſi nos docens, abſque inani gloria eſſe, & nihil ad demonſtrationem facere, & quod cum quis debet miracula perpetrare, non decet eſſe in medio plurimorum, ſed ſolitarium, & ab aliis ſeparatum;* unde ſequitur: *Et cum veniſſet &c. ſolos autem hos intromiſit, tamquam diſcipulorum vertices, & potentes miraculum occultare, non enim vole-*

bat

bat ipſum ante tempus pluribus revelari. Et quamvis expulſio dæmonum per Exorciſmum, & ab habente, ſeu Chariſma, ſeu Ordinem miraculum non ſit, ut latè probat doctiſſimus Cardinalis Laurea in 3. *ſent.* tom. 4. *de Miraculis, diſput.* 20. *art.* 7. tamen ob paritatem rationis præindicatæ a Theodoreto, multitudo adſtantium eſt excludenda.

X. Hinc non eſt ſequendus Hieronymus Menghus *in flagello dæmonum documento* 4. qui adſtantium multitudinem admittendam ſuſtinet. Et quamvis, ut ipſe aſſerit, Chriſtus præſente turba dæmoniacos ſanaret, & idem fecerint plures ſancti Viri; tamen Chriſtus impedire poterat per ſuam virtutem præindicata incommoda, nec in ipſum inanis gloriæ ſpiritus cadere poterat, & Sancti idem poterant ob uberem a Deo acceptam gratiam. Quare noſtro Rituali omnino eſt obtemperandum, & S. Caroli monito adherendum in Mediolanenſi Concilio IV. promulgato, Exorciſtam ſcilicet *in conſpectu multitudinis* non debere adjurare.

Sed ſi fuerit ægrotus, vel perſona nobilis, vel alia honeſta de cauſa in domo privata exorcizari poterit.

XI. In hoc caſu obſervanda ſunt inevitabiliter ea, quæ a noſtro Rituali præſcribuntur Documento X. &. XIV.

DOCU-

DOCUMENTUM VIII.

ADmoneatur obsessus, si mente, & corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet, & Sacra confessione, & Communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat, & dum exorcizatur totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus Crucifixum. Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter, ac tuto colligatæ, ac coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur: sed caveatur, ne res Sacræ indignè tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

SUMMARIUM.

1. OStenditur necessitas fusè tractandi de oratione obsessi,
2. Qui debet orare Deum unum, & trinum, nempe Patrem,
3. Filium,
4. Et Spiritum Sanctum.
5. Non tamen per hoc excluduntur Sancti Cœlites.
6. Quapropter oranda est a vexato B. Maria Virgo; & num. 7.
8. Orandi sunt sancti Angeli,
9. Et præcipuè sancti Archangeli Michael, Gabriel, Raphael,
10. Nec non sancti Angeli Custodes,
11. Et reliqui sancti Cœlites,
12. Præsertim illi, qui viventes dæmonibus imperarunt, quorum quamplurium Catalogus prolixus datur.
13. Ab Exorcista proponenda sunt vexato conditiones, quæ ad impetrandum requiruntur, & prima est attentio,
14. Secunda est, ut oratio sit fervida,
15. Tertia, ut sit assidua,
16. Quarta, ut sit fœcunda,
17. Quinta, ut sit pia,
18. Sexta, ut sit de necessariis ad salutem,
19. Septima, ut sit pro se ipso.
20. Explicatur quare non semper impetremus a Deo id quod poscimus, etiam positis fere omnibus enumeratis conditionibus. Et num. 21.
22. Hæc omnia ad Orationem Exorcistæ extenduntur.
23. Vis, & necessitas jejunii in vexato exponuntur:

24. De-

24. Debet vexatus ſacramentali Confeſſione ſe communire, ad num. 28.
29. Exponitur opinio P. Gaſparis Juvenin de diſciplina Eccleſiæ circa Communionem energumenorum, & num. 30.
31. Refertur ſententia Severini Binnii de eadem re.
32. Placitum Auctoris exponitur,
33. Quo conciliantur duæ opiniones relatæ.
34. Oſtenditur quam merito Rituale Romanum ſtatuat dandam eſſe Euchariſtiam energumenis, ad num. 37.
38. Quod tamen intelligendum eſt cum limitatione.
39. Liberatio Obſeſſi maxime pendet ab ejus fiducia,
40. Quæ etiam in aſtantibus requiritur.
41. Exorciſta debet adjuvare vexatum a dæmonio ad fiduciam acquirendam, ipſi exponendo quædam motiva,
42. Quorum primum eſt: conſideratio omnipotentiæ Dei,
43. Secundum eſt Divinæ providentiæ contemplatio.
44. Tertium eſt contemplatio infinitæ Dei bonitatis, & num. 45.
46. Quartum eſt conſideratio veracitatis, & fidelitatis Dei.
47. Afferuntur Divinæ promiſſiones.
48. Reſpondetur quorumdam quærelis.
49. Ad quid valeat horum motivorum ſeria meditatio, iterum repetitur.
50. Debet vexatus humiliter Deum orare,
51. Et patienter,
52. Cum inhæſitanti fiducia.
53. Oſtenditur efficacia Imaginis Crucifixi contra dæmones,
54. Et reliquiarum Sanctorum,

55. *Et formarum cera, quæ Agni Dei nuncupantur.*

56. *Eucharistia non est admovenda super caput Obsessi, licet aliter aliquando factum sit.*

57. *Similiter non est utendum hostia non consecrata ad explorandam dæmonis præsentiam.*

COMMENTARIUM.

Admoneatur Obsessus, si mente, & corpore valet, ut pro se oret Deum.

I. QUia Oratio est una ex præcipuis dispositionibus, quæ requiruntur in vexato, juxta illud Christi Domini, Matth. 9. v. 28. *Hoc genus in nullo potest exire nisi in Oratione &c.* ideo circa hanc est bene instruendus, & a nobis est hic uberius immorandum.

II. Igitur vexatus *oret Deum* Trinum, & Unum; ipse enim est fons, & origo omnium bonorum. *A Domino nostro*, inquit Augustinus serm. 56. alias de diversis 48..... *Deo Patre Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum a Patre Domini nostri Jesu Christi, a Deo qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, ab illo petendum est, si quid petendum est.*

III. Oret Deum, scilicet etiam æternum Dei Filium; ipse namque est *unus mediator Dei, & hominum, qui semetipsum dedit redemptionem pro omnibus.* 1. ad Thimoth. c. 2. v. 5. *Et qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis;* ad Hæbreos c. 7. v. 25. *Advocatum habemus*, inquit S. Joannes Epist. 1. c. 2. v. 2. *apud Patrem Jesum Christum.* Hinc ut

alios

alios mittam Patres, S. Bernardus Serm. in Nativit. B. M. V. de aquæ, ductu num. 7. ait: *Ad Patrem verebaris accedere ſolo auditu territus, ad ſolia fugiebas: Jeſum tibi dedit mediatorem, Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua.... Exaudiet Filium Patrem.... Quid enim? Poteſt ne Filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? Non audire, aut non audiri filius poteſt? Filius oſtendit Patri latus, & vulnera.*

IV. Oret Deum, ſcilicet etiam *Spiritum Sanctum; Ipſe* enim *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ut loquitur D. Paulus ad Rom. 8. v. 26. Hoc eſt *poſtulantes nos facit in quantum in nobis recta deſideria cauſat*, inquit S. Thomas hic Lectione 5. *& gemitus in corde noſtro cauſat*. Igitur ut bene, & efficaciter oremus, orandus eſt.

V. Nec per hoc, quod a noſtro Rituali præſcribatur, quod vexatus Deum oret, excludit orationem ad ſanctos Cœlites; nam quamvis orentur alii ſancti, ſemper tamen oratur Deus, quia a ſanctis ſolum petimus, ut noſtri patrocinium ſuſcipiant, & pro nobis, & nobiſcum orent *Deum*, nobiſque *a Deo* impetrent ea, quorum indigemus. Hinc Deum invocantes dicimus: *Miſere nobis, exaudi nos &c.* Cum autem Sanctos invocamus, dicimus: *Orate pro nobis, intercedite pro nobis.*

VI. Quare poſt Deum oranda eſt a vexato B. Virgo Maria; *quia ſic eſt voluntas ejus*, inquit D. Bernardus Sermone prælaudato: *qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidem, & per omnia providens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, eri-*

git puſillanimitatem. An verò trepidas & ad ipſum? (Mariæ Filium) *Hunc tibi Fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo majeſtatem vereare divinam, quod licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus? Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre.... Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſam pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem filius.... Hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt. Hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſt ne Filius..... repellere..... non audire?*

VII. Aliam peculiarem, ad rem noſtram, rationem efficaciæ B. Mariæ Virginis ad impetrandum pro energumenis adducit idem Mellifluus Abbas *homil. 2. ſuper Miſſus eſt*, ubi explicans illud Geneſis 3. v. 15. *Ipſa conteret caput tuum*, ait: *Qui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Ipſa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem tam de carnis illecebra, quam de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.* Hinc S. Bonaventura de B. Virgine ait, in ſpec. Lect. 3. *Hæc virga Virgo Maria, virga virtutis contra inimicos infernales*; vocatque eam *Dominam Infernorum & damonum*. Et S. Germanus orat. in Zonam Deiparæ, eam ſic alloquitur: *Tu nequiſſimi hoſtis contra ſervos tuos invaſiones ſola nominis tui invocatione ſanctiſſima repellens, tutos, atque incolumes ſervas.* Nec diſſimiliter S. Cyrillus Alexandrinus, *homil. contra Neſtorium* inquit: *Per te.... fugantur damones.* Et mille in locis potentiam Virginis contra dæmones deprædicant Sancti Patres ſed quid diutius immoramur? Nimis enim longum eſſet omnes ſuper hac re vel leviter indicare. Dicat ergo vexatus ad Virginem cum Mellifluo ſerm. 4. de aſſumptione B. M. V. *Virgo benedicta, ſit pie-*

pietatis tuæ ipſam, quam apud Deum gratiam inveniſti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo.

VIII. Deinde orandi ſunt ſancti Angeli: *Aſſiſtunt namque hi precibus noſtris, non pennarum flatu, ſed donorum ſpiritu, quorum volaſſe voluiſſe eſt*, inquit Alcimus Avitus fragmento 6. *in Epiſt. ad Philipp.* Et clarius S. Auguſtinus enarrat. in Pſalm. 62. *Adtendunt*, inquit, *nos peregrinos, & miſerantur nos, & juſſu Domini auxiliantur nobis. Neque enim*, ſequitur D. Petrus Damianus lib. 1. Epiſt. 17. ad Alexandrum II. Pontificem; *verſutia tam callidi, & exercitati hoſtis poſſet fragilitas humana reſiſtere, niſi cum a tentationibus electorum virtus Angelica propulſaret.*

IX. Præcipuè tamen auxilium implorandum eſt Sanctorum Archangelorum Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, nec non Sanctorum Angelorum Cuſtodum. De primo enim hæc ſcribit Alcimus, loco prælaudato: *Inter hos* (ſcilicet Angelos) *ſibi vindicat Michael Princeps principem locum.... duo circa etiam hic Michael noſter ſinceritate voti ..... devotione populi provocatus adſtat, conferendo magna, maxima obtinendo.* Et Eccleſia de eodem canit in hymnis:

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Cæleſti ab arce fulminat. De ſecundo verò noſſe ſufficiat, quod interpretetur *fortitudo Dei*, juſta Patres, & præcipuè S. Gregorium hom. 34. in Evang. *Si enim illum nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas poteſtates deſcendebat*, profectò ejus auxilium contra dæmones efficaciſ-

ciſſimum erit: quapropter Eccleſia pariter precatur eum

- - - - - - ut hoſtes
Pellat antiquos ..... De tertio ſatis ſit mente revolvere id, quod Tobiæ legitur *cap.* 8. hunc ſcilicet Archangelum apprehendiſſe dæmonium, illudque religaſſe in deſerto ſuperioris Ægypti; unde Eccleſia ſic ipſum invocat:

Angelus noſtræ Medicus ſalutis
Adſit e cœlo Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos .....

X. De Sanctis Angelis Cuſtodibus clarè colligitur ex Sacra Scriptura; Angeli namque cuſtodes *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*, ut ait Apoſt. ad Hebr. 1. v. 14. Et in Pſalmo 90. v. 11. legitur: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quare obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt*, inquit S. Ambroſius lib. de viduis cap. 9. & D. Bernardus ſerm. 11. ſuper prædictum Pſalmum. *Aſcendunt*, inquit, *per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſſionem tui, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Et quod præcipuè cuſtodiant contra dæmonum vexationem conſtat ex Theologica ratione, quam adducit Guillelmus Pariſienſis 2. *parte de univerſo cap.* 158. „ Si hominibus, *inquit*, „ datur poteſtas in homines, & preficiuntur „ eis rectores hominum, & hoc contra pertur„ batores publicè faciunt homines, atque priva„ tè, quanto fortius contra malignos Spiritus, „ qui maximè infeſti, maximè noxii ſunt homi„ nibus, neceſsarii ſunt eis rectores, & defenſo„ res? Si igitur cura eſt Creatori, videlicet Deo Al„ tiſſimo, ut omnes rectores, & defenſores habe„ ant ſive Reges, & Principes contra infeſtatores,

„ &

„ & perturbatores homines; quanto fortius cura
„ eſt eidem Creatori benedicto, ut ſint eis recto-
„ res, & defenſores contra infeſtatores, & per-
„ turbatores ſpirituales, videlicet malignos ſpi-
„ ritus, ubi tanto magis indigent hujuſmodi re-
„ gimine, & cura, quanto majora ſunt ſpiri-
„ tualia bona, & mala corporalibus, & tem-
„ poralibus „. *Quoties ergo* concludendum eſt cum D. Bernardo loco ſupra citato Serm. 12. *graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem tuum, Adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulationibus, inclama eum, & dic Domine, ſalva nos perimus.*

XI. Nec omittendi ſunt reliqui ſancti Cœlites, quia & poſſunt, & volunt nobis benefacere. D. Bernardus Serm. in Vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli id apertiſſimè fatetur: *Conſiderare*, inquit, *debemus, auxilium Sancti, quia qui potens in terra fuit, potentior eſt in cœlis ante faciem Domini Dei ſui.* Ecce potentiam. *Si enim dum hic viveret miſertus eſt peccatoribus, & oravit pro eis: Nunc tanto amplius, quanto verius cognoſcit miſerias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa Patria charitatem ejus non immutavit, ſed augmentavit; neque enim, quia impaſſibilis omnino, ideo & incompatibilis factus eſt, ſed nunc potius induit ſibi viſcera miſericordiæ, cum ante fontem miſericordiæ aſſiſtit.* Ecce voluntatem in nos benefícam, ad quam reſpiciens D. Baſilius, poſtquam de Sanctis Martyribus dixit: *Hi ſunt, qui quaſi quædam turres contra adverſariorum incurſum refugium nobis exhibent*, ſtatim exclamat: Orat. in 40. Martyres: *O Sanctum Chorum! O Sacrum Ordinem! O cuneum inexpugnabilem! O communes gentis humani Cuſtodes! Optimi curarum ſo-*

cii,

cii, precum, ac votorum invicem ſuffragatores, legati apud Deum potentiſſimi.

XII. Præſertim verò illi Sancti viri orandi ſunt, qui dum inter viatores erant dæmonibus imperarunt; ſi enim ex regula, quam ſupra tradidimus ex S. Bernardo, dum hic viverent adverſus dæmones potentes fuerunt, potentiores ſunt in cœlis ante faciem Domini Dei ſui; quare Catalogum hic ſubnectemus plurium eorum, qui ſive virtute Chariſmatis, ſive poteſtate Ordinis dæmones expulerunt, ut poſſint ſive ab Exorciſta, ſeu ab energumeno pro devotione, vel conjunctim, vel ſingillatim invocari, & rogari: hoc unum interim advertens, quod cum horum nomina ferè omnia ex eruditiſſimo, ac inſigi Opere, quod Acta Sanctorum inſcribitur a P. Bollando, ejuſque Continuatoribus glorioſo labore feliciter incepto, ac felicius proſecuto deprompſerim, numquam hos celeberrimos Scriptores nominabimus, ne idem centies repetere coacti ſimus, ſed ſolum vitam, caput, & diem, in quo mentionem faciunt, indicabimus, ut ſæpe etiam factum eſt in referendis quamplurimis hiſtoriis. En ergo noſter Catalogus, cui Lector plures alios Sanctos addere poterit, cum non omnes, ſed ſolum illos, quos in excurrendis eorum Vitis adnotavimus referamus.

S. Achilleus Diaconus, & Martyr. *in ejus actis 23. Aprilis.*

S. Achillius Epiſcopus Lariſſenſis. *In Vita 15. Maii.*

S. Adalgiſus Presbyter, *in Vita cap. 1. 2. Junii*

S. Adelelmus Abbas, *in Vita cap. 4. 30. Januarii.*

S. Adjutor Monachus, *in Vita 30. Aprilis.*

S. Ægidius Abbas. D. *Antoninus 2. part. hiſt. tit. 13. cap. 6. §. 33.*

S. Agathangelus Diaconus, & Martyr. *in Actis*

S. Cle-

S. Clementis Ancyrani, quæst. 3. 23. Januarii.

S. Agilus Abbas. D. Antonin. loco citato §. 22.

S. Aicardus Abbas, in Vita penes Lipelloum 15. Septembriis.

S. Albertus Ordinis Carmelitarum, in Vita apud Surium 7. Augusti.

S. Albinus Episcopus Andegavensis, in Vita cap. 2. 1. Martii.

S. Aldebrandus Episc. Forosempronienſis, in Vita 1. Maii.

S. Alferius Abbas Cavensis, in Vita 12. Aprilis.

S. Alphius Martyr. in Vita 9. Aprilis.

S. Alphius item Martyr. in ejus Actis cap. 3. 10. Maii.

S. Alpinianus Presbyter, in Vita 27. Aprilis.

S. Amandus Episcopus Trajectenſis, in Vita cap. 26. Februarii.

S. Amator Episc. Autisiodorenſis, in Vita cap. 2. 1. Maii.

S. Ambrosios Episcopus Mediolanenſis. Paulinus in ejus Vita.

S. Ampelius Eremita, in Vita cap. 1. 14. Maii.

S. Andronicus, in Vita 17. Maii.

S. Anselmus Archiepiscopus Cantuarienſis. D. Antoninus 2. part. hist. tit. 16. cap. 11. §. 1.

S. Anthimus Episcopus, & Martyr. in Actis SS. Indes, & Domna. Ex Metaphrast. apud Lipellorum 2. Decembris.

S. Antonius Patriarca Constantinopolitanus, in vita cap. 4. 12. Februarii.

S. Antonius Magnus Abbas, in vita c. 4. 17. Jan.

S. Aphraas Anachoreta, in vita 7. Aprilis.

S. Apollinaris Episcop. Ravennæ, & Martyr. D. Antonin. 1. part. hist. tit. 6. cap. 27. §. 2.

S. Arbogastus Episc. Argentoratenſis in vita 21. Julii.

S. Ar-

S. Armentarius Episc. Ticinensis. *Ferrarius in Catalog. SS. Italiæ.*

S. Arnolphus Martyr. *in vita cap.* 1. 18. *Julii.*

S. Arnulphus Metensis Episc. D. *Antonin.* 2. *part. hist. tit.* 13. *cap.* 6. §. 13.

S. Athanasius Episc. Metensis, *in vita cap.* 5. 31. *Januarii.*

S. Audoenus Episc. Rothomagensis. D. *Antonin. loco cit.* §. 17.

S. Aventinus Presbyter. *in vita cap.* 3. 4. *Febr.*

S. Aventinus Episc. Castrodunensis, *in vita* 4. *Februarii.*

S. Avitus Eremita, *in vita* 17. *Junii.*

S. Aurelianus Martyr. Romanus, *in actis* 22. *Maii.*

S. Ausonius Episcopus, & Martyr. Engolimensis, *in vita* 22. *Maii.*

S. Austregisillus Archiepiscopus Bituricensis, *in Vita lib.* 1. *cap.* 2. 20. *Maii.*

S. Auxentius Presbyter, & Archimandrita, *in Vita cap.* 1. 2. *&* 3. *die* 14. *Februarii.*

S. Baitheneus Abbas, *in Vita* 9. *Junii.*

S. Barbatus Episcopus Beneventanus, *in Vita cap.* 1. 19. *Februarii.*

S. Bartholomæus Eremita Farnensis, *in Vita cap.* 3. 24. *Junii.*

S. Basilius Magnus Neocesareæ Episc. D. *Antonin.* 2. *part. hist. tit.* 10. *cap.* 4. §. 1.

S. Bassianus Episc. Laudensis, *in Vita cap.* 2. *&* 4. 19. *Januarii.*

S. Benedictus Abbas. *D. Gregorius lib.* 2. *Dialogor. cap.* 16.

S. Berachius Abbas, *in Vita cap.* 2. 15. *Febr.*

S. Bernardus Abbas Claræ-vallensis. *in Vita ejus operibus præfixa lib.* 2. *cap.* 2. 3. *&* 4.

S. Bernardus Archidiaconus Augustæ Pretoriæ, *in Vita cap.* 2. 15. *Junii.*

S. Bertolfus Abbas Bobiensis. *Beda in ejus Vita.*

S. Bes-

S. Bessarion Abbas Anachoreta in Ægypto, *in Vita* 17. *Junii*.

S. Bonifacius Episcopus Lausanensis, *in Vita cap.* 3. 19. *Februarii*.

S. Bonitus Episc. Claramontanus, *in Vita cap.* 4. 15. *Januarii*.

S. Bruno Episc. Signiensis, *in excerptis ad ejus Vitam, cap.* 41. 18. *Julii*.

S. Cadroe Abbas, *in Vita cap.* 3. *&* 4. *die* 6. *Martii*.

S. Calogenus Eremita, *in ejus actis*, 18. *Junii*.

S. Caluppanus Presbyter, *in Vita* 3. *Martii*.

S. Cajus Papa, & Martyr, *in Actis S. Sebastiani cap.* 19. *die* 20. *Januarii*.

S. Canio Episc. Afer, *in Vita cap.* 3. *die* 25. *Maii*.

S. Cantianus Martyr. *in actis* 31. *Maii*.

S. Cantius Martyr. *ididem*.

S. Caradocus Prebsyter Eremita, *in Vita* 13. *Apr.*

S. Caraunus Martyr Carnotensis, *in Vita* 28. *Maii*.

2. S. Carthacus Episcopus Lismonensis *in prima Vita* 14. *Maii*.

S. Carolus Borromæus. *in actis Translationis SS. Sissinii, & Socior.* 29. *Maii*.

S. Carus Episcop. Atini, & Martyr, *in Vita* 29. *April.*

S. Cassius Episc. Narniensis. 29. *Junii*.

S. Castrensis Episc. Afer. *in Vita cap.* 3. 11. *Februar.*

S. Castus Episc. & Martyr. *in Vita cap.* 1. *die* 1. *Julii*.

S. Castulus Martyr. *in actis* 26. *Martii*.

S. Charalampius Presbyter, & Martyr. *in Vita cap.* 2. 10. *Februarii*.

S. Chrysp olitus Episc. Bettonensis, *in Vita* 12. *Maii*.

S. Clarus Abbas Viennensis, *in Vita cap.* 4. *die* 1. *Januarii*.

S. Clemens Ancyranus Episc. & Martyr. *in actis quæst.* 3. 23. *Januarii*.

S. Columba Abbas Hiensis, *in prima Vita cap.* 1. *die* 9. *Junii*.

S. Co-

S. Columbanus Abbas. *Beda in Vita c.* 20. *&* 24.

S. Comgallus Abbas Benchorenſis, *in Vita cap.* 3. 10. *Maii.*

S. Conon Martyr, *in Vita* 5. *Martii.*

S. Conon Monachus, *in Vita* 28. *Martii.*

S. Conteſtus Epiſc. Bajocenſis, *in Vita, in addendis ad diem* 19. *Januarii.*

S. Coſmas Martyr, *in Actis apud Surium* 27. *Septembris.*

S. Creſcentius Subdiaconus Florentinus, *in Vita* 19. *April.*

S. Cronanus Abbas Roſveenſis, *in Vita cap.* 2. 28. *Aprilis.*

S. Cuthbertus Epiſcop. Ludisfarnenſis, *in Vita cap.* 5. 20. *Martii.*

S. Cyriacus Epiſc. Hieroſolymitanus. D. *Antoninus* 2. *part. hiſt. tit.* 9. *cap.* 5. §. 7.

S. Cyriacus Diaconus, & Martyr. *idem* 1. *part. hiſt. tit.* 8. *cap.* 1. §. 13.

S. Cyrinus Marty. *in actis cap.* 3. 10. *Maii.*

S. Damianus Martyr. *in actis apud Sur.* 27. *Septembris.*

S. Daniel Stylita : *Ex Metaphraſte apud Lipelloum* 11. *Decembris.*

S. Datius Epiſc. Mediolanenſis. D. *Gregor. lib.* 3. *Dialogor. cap.* 14.

S. Deſideratus Epiſc. Bituricenſis, *in Vita* 8. *Maii.*

S. Deodatus Epiſc. Nolanus, *in Vita* 27 *Junii.*

S. Dius Archimandrita Thaumaturgus, *in ejus geſtis* 19. *Julii.*

S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator. D. *Antonin.* 3. *part. hiſt. tit.* 23. *cap.* 1. §. 3.

S. Domitianus Epiſc. Trajectenſis, *in ſecunda Vita* 8. *Maii.*

S. Domnolus Epiſc. Cenomanenſis, *in Vita cap.* 2. 16. *Maii.*

S. Do-

S. Donatus Epiſc. Aretinus, & Martyr. D. *Antoninus 2. part. hiſt. tit. 9. cap. 5. §. 6.*

S. Donatus Epiſc. Euroeæ in Epiro, *in Vita* 30. *Aprilis.*

S. Donatus Presbyter, & Martyr Afer. *in Vita penes Lipelloum* 1. *Septembris.*

S. Dunſtanus Abbas, & Epiſc. Cantuarienſis. D. *Antoninus 2. part. hiſt. tit. 16. c. 6. §. 2.*

S. Eberhardus Archiepiſcopus Salisbugenſis, *in Vita cap. 2. 22. Junii.*

S. Ebremundus Abbas, *in Vita* 10. *Maii.*

S. Ebrulfus Abbas. *in Vita* 25. *Julii.*

S. Edmundus Cantuarienſis Epiſcop. D. *Antoninus 3. part. hiſt. tit. 19. c. 10. §. 2.*

S. Eleutherius Abbas. D. *Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 33.*

S. Eleutherius Epiſc. Tornacenſis, *in prima Vita cap. 2. & in alia cap. 5. 20. Februarii.*

S. Eligius Epiſc. Noviomenſis, *S. Audoneus in Vita lib. 2. cap. 11. & 19. penes* D. *Acherium tom. 2. Spicilegii.*

S. Elpidius Epiſc. Atellenſis, *in Vita 24. Maii.*

S. Emanus Presbyter, & Martyr. *in Vita cap. 2. 16. Maii.*

S. Eneco Abbas Onnienſis, *in Vita cap. 3. 1. Junii.*

S. Ephræm Syrus, *in Vita cap. 3. 1. Februarii.*

S. Epitectus Presbyter, *in Vita c. 1. & 2. 8. Julii.*

S. Epiphanius Epiſc. Ticinenſis, *in Vita cap. 8. & 13. 21. Januarii.*

S. Eparchius Presbyter. D. *Gregor. Turonenſ. lib 6. hiſt. Francor. cap. 8.*

S. Equitius Abbas. D. *Antonin. 2 part. hiſt. tit. 12. cap. 9. §. 2.*

S. Eraſmus Epiſc. Antiochenus. D. *Antonin. 1. part. hiſt. tit. 8. cap. 1. §. 6.*

S. Erminoldus Abbas Pruſemigenſis, & Martyr. *in Vita lib. 2. cap. 6. 6. Januarii.*

S. Eu-

S. Eucharius Treviris Episc. *in vita S. Valeris cap. 4. 29. Januarii.*
S. Eugendus Abbas, *in vita cap. 7. 1. Januarii.*
S. Evotius Episc. Aurelianensis, *in vita penes Surium 7. Septembris.*
S. Eusanius Martyr. *in actis cap. 2. 9. Julii.*
S. Euthimius Magnus, Abbas, *in vita cap. 24. 20 Januarii.*
S. Eutychius Patriarca C. P. *in vita cap. 6. 6. Aprilis.*
S. Eutyches Presbyt. & Mart. *in actis 15. April.*
S. Faustinus Presbyter, & Martyr. *in secunda vita cap. 2. die 15. Februarii.*
S. Fechinus Abbas, *in vita cap. 4. 21. Januar.*
S. Felicianus Episcop. Fulginei, *in vita cap. 3. 24. Januarii.*
S. Felix Presbyter, *in vita 14. Januarii.*
S. Felix Presbyter, & Martyr. *in actis 23. April.*
S. Flavianus Anachoreta, *in vita 16. Februarii.*
S. Florentius Presbyter, D. *Antonin. part. 2. hist. tit. 9. cap. 3. §. 4.*
S. Fortunatus Episcopus Tudertinus. D. *Gregor. lib. 1. Dialogor. cap. 10.*
S. Fortunatus Diaconus, & Martyr. *in actis S. Felicis Martyr. 23. Aprilis.*
S. Franciscus Assisias. D. *Anton. 3. part. hist. tit. 24. cap. 2. §. 6.*
S. Franciscus de Paula, *in vita cap. 4. 2. Apr.*
S. Frodobertus Abbas Trecensis, *in vita cap. 2. 8. Januarii.*
S. Fructuosus Archiepiscop. Bracharensis, *in vita cap. 2. 16. Aprilis.*
S. Furseus Confess. *in vita cap. 7. & in lib. miracul. cap. 2. 16. Januarii.*
S. Gallus Abbas. *apud Lipelloum 16. Octobris.*
S. Gaudentius Episc. Novariensis. *in vita cap. 1. 22. Januarii.*

S. Ge-

S. Geminianus Episc. Mutinensis, *in Vita cap. 1. & 2. 31. Januarii.*
S. Genesius Episc. Claromontanus, *in vita 3. Junii.*
S. Genulphus Episc. Cathurcensis, *in vita cap. 3. 17. Januarii.*
S. Georgius Episc. Mitylenensis, *in vita 7. April.*
S. Georgius Solitarius, *in vita 4. Aprilis.*
S. Germanus Episc. Parisiensis, *in vita cap. 2. & 3. 28. Maii.*
S. Germanus Episcopus Antissiodorensis, *Beda Hist. Anglor. lib. 1. cap. 17.*
S. Germanus Episc. Ambianensis, & Martyr, *in vita cap. 2. die 2. Maii.*
S. Germanus Martyr, *apud Lipelloum 16. Octobr.*
S. Gervinus Abbas Aldemburgensis, *in vita 17. Ap.*
S. Gilbertus Fundator Ordinis Sempringhamensis, *in Commentario prævio §. 3. die 4. Februarii.*
S. Gildas Sapiens Presbyter, *in vita c. 2. 29. Jan.*
S. Gilduinus Canonicus Dolensis, *in vita cap. 2. 27. Januarii.*
S. Godehardus Episc. Hildesheimensis, *in vita cap. 4. 4. Maii.*
S. Godricus Eremita, *in vita cap. 2. 21. Maii.*
S. Gratinianus Martyr, *in vita part. 2. 1. Junii.*
S. Gregorius Thaumaturgus Episc. Neocæsareæ, *Brev. Rom. 17. Novembris.*
S. Gregorius Episcopus Lingonensis. *D. Gregor. Turonensis in vit. PP. cap. 7.*
S. Gualfardus Solitarius, *in vita 30. Aprilis.*
S. Gualterius Abbas Stirpensis, *in vita c. 3. 11. Mai.*
S. Guilelmus Politiensis Eremita, *in vita cap. 1. 16. Aprili.*
S. Guilielmus Abbas, Fundator Congregationis Montis Virginis, *in vita cap. 5. 25. Junii.*
S. Guthlacus Anachoreta, *in vita 11. Aprilis.*
S. Heribertus Archiepisc. Colonienſis, *in vita cap. 5. 16. Martii.*

S. Hermagoras Episc. & Martyr, *in actis cap.* 2. 12. *Julii.*

S. Hervæus Abbas, & Exorcista, *in Vita c.* 2. 17. *Junii.*

S. Hesychius Thaumaturgus, *in Vita* 16. *Martii.*

S. Hieronymus Episc. Papiensis, *in ejus elogio.* 22. *Julii.*

S. Hilarion Abbas. D. *Antonin.* 2. *part. hist. tit.* 15. *cap.* 5. §. 1.

S. Hilarius Episc. Arelatensis, *in Vita* 5. *Maii.*

S. Hilarius Abbas Galeatensis, *in vita c.* 1. 15. *Maii.*

S. Hillidius Arvenorum Episc. D. *Gregorius Turonensis lib.* 1. *hist. Francor.*

S. Hospitius Eremita Niciensis, *ibid. lib.* 6. *cap.* 6.

S. Hucbertus Monachus, *in Vita cap.* 3. 30. *Maii.*

S. Hugo Abbas Cluniacensis. *Baron. ad ann.* 1058. *num.* 8.

S. Hyacinthus Martyr, *in Vita* 17. *Junii.*

S. Hypatius Abbas, *in Vita* 17. *Junii.*

S. Hypolitus Presbyter, & Martyr, *in actis* 1. *Maii.*

S. Jacobus Alphæi, & Cleophæ Apostolus, *in actis* 1. *Maii.*

S. Jacobus Eremita, *in vita cap.* 2. 28. *Junii.*

S. Innocentius Episcopus Dertonensis, *in vita cap.* 2. 17. *Aprilis.*

S. Joannes Abbas Reomaensis, *in vita lib.* 1. *cap.* 3. 28. *Januarii.*

S. Joannes Eremita, *in vita cap.* 2. 27. *Martii.*

S. Joannes Gualbertus Abbas, & Fundator Ordinis Vallumbrosani. D. *Antonin.* 2. *p. hist. tit.* 15 *cap.* 17. §. 4.

S. Joannes Archiepisc. Eboracensis, *in vita* 7. *Maii.*

S. Joannes Abbas Pulsanensis, *in vita cap.* 3. & 4. 20. *Junii.*

S. Joannes a Cruce, *in Vita Romæ impressa* 1726. *lib.* 3. *cap.* 7.

S. Joannes Chrysostomus, *in Vita, penes Lipelloum* 14. *Septembris.*

S. Jo-

S. Jovita Diaconus, & Martyr, *in ſecunda vita cap.* 2. 15. *Februarii.*

S. Iſaac Abbas Syrus. D. *Gregor. lib.* 3. *dialog. cap.* 14.

S. Julianus Epiſc. Cenomanorum, *in Vita cap.* 6. 27. *Januarii.*

S. Juventius Presbyter. D. *Anton. ſecunda part. hiſt. tit.* 9. *cap.* 3. §. 4.

S. Juventius Epiſc. Ticinenſis, *in Vita* §. 2. 8. *Feb.*

S. Ketingernus Epiſcop. Glaſcuenſis, *in Vita cap.* 6. 13. *Januarii.*

S. Lanfrancus Archiepiſcop. Cantuarienſis. *D. Anton.* 2. *part. hiſt. tit.* 16. *cap.* 10. §. 1.

S. Launomarus Presbyter, & Abbas Curbonienſis, *in Vita cap.* 3. 19. *Januarii.*

S. Laurentius Juſtinianus Patriarcha, *in Vita cap.* 8. *ejus operibus præfixa.*

S. Leo-Lucas Abbas Mulenſis, *in Vita cap.* 3. & 4. 1. *Martii.*

S. Leo Epiſc. Catanenſis, *in Vita* 20. *Februarii.*

S. Leo Papa IX. *in Vita cap.* 3. 19. *Aprilis.*

S. Leonardus Confeſſor, *apud Surium* 6. *Novembr.*

S. Leucius Epiſc. Brunduſii, *in Vita cap.* 3. 11. *Jan.*

S. Leutfredus Abbas, *in Vita cap.* 3. 21. *Junii.*

S. Liborius Epiſc. Cenomanenſis, *in Vita* 23. *Julii.*

S. Licinus Epiſc. Andegavenſis, *in Vita cap.* 3. 13. *Februarii.*

S. Linus Papa, & Martyr. *Breviar. Rom.* 23. *Septembris.*

S. Longinus Miles, & Martyr, *in actis* 15. *Martii.*

S. Lucas junior, Thaumaturgus, *in Vita cap.* 9. 7. *Februarii.*

S. Ludovicus Bertrandus Ordinis Prædicatorum. *Clemens* X. *in Bulla Canonizationis.*

S. Lupus Senonenſis Epiſc. D. *Anonin.* 2. *p. hiſt. tit.* 13. *cap.* 6. §. 34.

S. Lupus Epiſcopus Trecaſſinus. *Beda Hiſt. Anglor. lib.* 1. *cap.* 17.

S. Macharius Presbyter, & Abbas, *in vita secunda* 15. *Januarii*.

S. Macedonius Anachoreta, *in vita* 2. 24. *Januar.*

S. Macharius Discipulus S. Antonii Abbatis. D. *Antoninus* 2. *part. hist. tit.* 15. *cap.* 6.

S. Macharius item alius Discipulus S. Antonii, *ibidem*.

S. Majolus Abbas Cluniacensis, *in secunda vita lib.* 2. 11. *Maii*.

S. Magnus Diaconus, *in vita cap.* 1. 16. *Januar.*

S. Malachias Episc. Hiberniæ. D. *Antonin.* 2. *part. hist. tit.* 17. *cap.* 2.

S. Marcellianus Diaconus, & Martyr. *in Actis S. Sebastiani cap.* 19. 20. *Januarii*.

S. Marcellinus Episc. Ebredunensis, *in vita cap.* 2. 20. *Aprilis*.

S. Marcellinus Episc. Ravennæ, *in vita apud Lipelloum* 5. *Octobris*.

S. Martianus Episcopus Syracusanus, & Martyr. *in vita cap.* 2. 14. *Junii*.

S. Marcianus Episc. Frequentinus, *in vita* 14. *Julii*.

S. Marcellus Martyr, *in actis Martyrii* 29. *Junii*.

S. Martinianus Eremita, *in vita cap.* 1. 13. *Februarii*.

S. Martinus Episc. Turonensis, *Venantius Fortunatus in vita lib.* 2. *& Sulpitius Severus cap.* 16. *Vitæ*.

S. Martinus Episcopus Tungrensis, *in vita* 21. *Junii*.

S. Martius Abbas Arvernus, D. *Gregor. Turonensis, in vit. PP. cap.* 14.

S. Marculphus Abbas, *in vita secunda c.* 2. 1. *Maii*.

S. Marcus Evangelista, *in ejus vita de Apostolatu Alexandrino* 25. *Aprilis*.

S. Marcus Episcop. Atini, & Martyr. *in vita cap.* 2. 28. *Aprilis*.

S. Mar-

S. Marcus Diaconus, & Martyr. *in actis S. Sebaſtiani cap.* 19. 20. *Januarii.*

S. Marcus Epiſcop. Lucerinus, *in vita cap.* 2. 14. *Junii.*

S. Maro Anachoreta, *in vita* 14. *Februarii.*

S. Maurus Abbas, *in vita cap.* 7. 15. *Januarii.*

S. Maurilius Epiſc. Andegavenſis. D. *Antonin.* 2. *part. hiſt. tit.* 10. *cap.* 13. §. 1.

S. Medardus Epiſc. Noviomenſis. *Fortunatus in vita, penes d' Acherium tom.* 2. *Spicilegii.*

S. Melanius Abbas. D. *Antoninns ibidem tit.* 11. *cap.* 19. §. 4.

S. Melanius Epiſc. Redonenſis, *in vita cap.* 2. *&* 3. 6. *Januarii.*

S. Meneleus Abbas, *in vita cap.* 6. 22. *Julii.*

S. Modeſtinus Martyr. *in addendis ad primum tomum Februarii die* 2.

S. Mochua Abbas Legienſis, *in vita cap.* 3. 1. *Jan.*

S. Mochua Monachus Ballenſis, *in vita c.* 6. 1. *Jan.*

S. Mochoemocus, ſeu Pulcherius Abbas Liatmorenſis, *in vita cap.* 3. 13. *Martii.*

S. Montanus Martyr. *in actis cap.* 1. 17. *Junii.*

S. Morandus Monachus Cluniacenſis, *in vita cap.* 2. 3. *Junii.*

S. Narciſſus Epiſcop. D. *Antonin.* 1. *part. tit.* 8. *cap.* 1. §. 18.

S. Nicetas Confeſſor, *in vita cap.* 3. 3. *Aprilis.*

S. Nicetius Epiſc. Lugdunenſis. D. *Greg. Turonen. in vitis PP. cap.* 8.

S. Nicetius Epiſc. Treverorum, *ibidem cap.* 17.

S. Nicolaus Tolentinas Ordinis Eremitarum S. Auguſtini *Eugen. IV. in Bulla Canonizationis.*

S. Nicolaus Peregrinus, *in vita cap.* 3. 2. *Junii.*

S. Norbertus Archiepiſc. Magdeburgenſ. & Fundator Ordinis Præmonſtratenſis. D. *Antonin.* 2. *part. hiſt. tit.* 17 *cap.* 1. §. 3.

S. Odilo Abbas Cluniacenſis, *in vita c.* 15. 1. *Jan.*

S. Oddo Abbas pariter Cluniacensis. D. *Anton. 2. part. hist. tit. 15. cap. 16. §. 2.*

S. Onesinus Episc. Svessionensis, *in vita 13. Maii.*

S. Orientius Episc. Auscíorum, *in secunda vita 1. Maii.*

S. Osuvaldus Archiep. Eboracensis, *in vita 29. Febr.*

S. Pachomius Abbas, *in vita cap. 4. 14. Maii.*

S. Pamphilus Episcop. Sulmonensis, & Corfirien-sis, *in vita 28. Aprilis.*

S. Panutius Ægyptius Episc. D. *Anton. secunda part. hist. tit. 9. cap. 3. §. 4.*

S. Parthemius Episcopus Lampsaci, *in Vita cap. 1. 7. Februarii.*

S. Patapius Monachus Thebanus. D. *Andreas Cretensis, orat. in eumdem, apud Bibliothec. PP. tom. 10.*

S. Paternus Episc. Venetensis, *in Vita cap. 2. 15. Aprilis.*

S. Paternus Episc. Abrincensis, *in Vita cap. 3. 16. Aprilis.*

S. Patritius Hiberniæ Apostolus, *in Vita cap. 1. 17. Martii.*

S. Patroclus Diaconus, & Abbas. D. *Gregor. Turon. in vitis PP. cap. 9.*

S. Paulinus Episc. Nolanus. D. *Antonin. 2. part. hist. tit. 11. cap. 12.*

S. Paulus Apostolus. *Actor. cap. 16. v. 18.*

S. Paulus Mylasensis Episc. *in Vita S. Eusebiæ, sive Xenæ cap. 4. 24. Januarii.*

S. Paulus simplex, *in Vita cap. 2. 7. Martii.*

S. Petrus Apostolus. *Actorum cap. 5. v. 16.*

S. Petrus Abbas Cavensis Episc. *in vita c. 3. 4. Mar.*

S. Petrus Damianus Episc. & Cardinalis, *in vitis ejus operibus præfixis.*

S. Petrus Exorcista. D. *Antonin. 1. part. hist. tit. 8. cap. 1. §. 32.*

S. Petrus Galata Eremita, *in Vita 1. Februar.*

S. Pe-

S. Petrus Martyr, Ordinis Prædicatorum, *in Vita cap. 3. 29. Aprilis.*

S. Petrus Thaumaturgus Episc. Argivorum, *in vita 3. Maii.*

S. Petrus Tarentasiensis Episc. *D. Antonin. 2. par. hist. tit. 17. cap. 1. §. 8.*

S. Petrus de Alcantara. *Clemens X. in Bulla Canonizationis.*

S. Petrus Cœlestinus Papa, *in vita c. 4. & 5. 19. Maii.*

S. Petrus Athonita, *in vita cap. 5. 12. Junii.*

S. Philadelphus Martyr, *in actis c. 3. 10. Martii.*

S. Philibertus Abbas, *in vita apud Sur. 20. Augus.*

S. Philippus Presbyter Agyrensis, *in vita cap. 2. & 3. 12. Maii.*

S. Philippus Nerius Fundator Congregationis Oratorii, *in ejus vitis 26. Maii.*

S. Pius Papa V. Ordinis Prædicatorum, *in vita cap. 7. 5. Maii.*

S. Placidus Monachus. *D. Antonin. 2. part. hist. tit. 15. cap. 14. §. 4.*

S. Polycarpus Episc. & Martyr, *in vita cap. 3. & 6. 26. Januarii.*

S. Pontius Abbas, *in vita 26. Martii.*

S. Poppo Abbas Stabulensis, *in vita cap. 10. 25. Januarii.*

S. Potitus Martyr. *in vita cap. 3. 13. Januarii.*

S. Procopius Abbas, *in Commentar. prævio ad vitam §. 1. 4. Julii. Et ibidem, in vita cap. 2.*

S. Procopius Lector, & Martyr. *in actis 8. Julii.*

S. Proculus Episc. & Martyr. *in actis relatis in tract. præliminari ad tom. 1. Junii.*

S. Psalmodius, *in vita 13. Junii.*

S. Pulchronius Episc. Virdunensis, *in vita 17. Februarii.*

S. Quintianus Episc. Rutenorum. *D. Gregor. Turonen. in vitis PP. cap. 4.*

S. Quintinidius Episc. Vasionensis, *in vita cap.* 3. 15. *Februarii.*

S. Quintus Thaumaturgus, *in vita* 1. *Martii.*

S. Rabulas Abbas, *in vita* 19. *Februarii.*

S. Raynaldus Episc. Nucerinus, *in vita cap.* 2. 9. *Februarii.*

S. Raynerius Pisanus, *in vita cap.* 6. 17. *Junii.*

S. Regulus Episc. Arelatensis. D. *Antonin.* 1. *part. hist. tit.* 6. *cap.* 28. §. 2.

S. Regulus Episc. Silvanectensis, *in secunda vita cap.* 2. 30. *Martii.*

S. Rembertus Archiepisc. Hamburgensis, *in vita cap.* 6. 4. *Februarii.*

S. Remigius Episc. Remensis. *Flodoardus in hist. Ecclesiæ Remen. lib.* 1. *cap.* 12. *in Bibliothec. PP. tom.* 17.

S. Robertus Abbas Casæ-Dei, *in vita cap.* 3. 24. *Aprilis.*

S. Rodanus, sive Ruadanus Abbas Lothrensis, *in vita cap.* 1. 15. *Aprilis.*

S. Romanus Abbas, *in vita cap.* 1. 28. *Februar.*

S. Romanus Episc. in Britania Armorica, *in vita* 1. *Junii.*

S. Romualdus Abbas Fundator Ordinis Camaldulensis, *in vita cap.* 16. *&* 18. 7. *Februarii.*

S. Romulus Episc. & Martyr. *in actis cap.* 2. 6. *Julii.*

S. Romolus Episc. Fesulanus. D. *Antonin.* 1. *part. hist. tit.* 6. *cap.* 27. §. 4.

S. Rumuldus Episc., & Martyr, *in vita cap.* 2. *&* 4. 1. *Julii.*

S. Sabas Martyr, *in vita* 24. *Aprilis.*

S. Salvius Episc. Ambianensis, *in vita cap.* 3. 2. *Januarii.*

S. Sampson Episc. Dolensis, *in vita c.* 2. 18. *Jul.*

S. Secundinus Episc. & Martyr, *in vita cap.* 1. 1. *Julii.*

S. Se-

S. Senoch Abbas Turonenſis. D. *Greg. Turonenſis, in vita PP. cap.* 15.
S. Servandus Martyr, *apud Lipelloum* 23. *Octobr.*
S. Servandus Epiſc., *in vita* 1. *Julii.*
S. Servulus Martyr, *in vita* 24. *Maii.*
S. Severinus Abbas Agaunenſis, *in vita cap.* 2. 11. *Februarii.*
S. Severinus Noricorum Apoſtolus, *in vita cap.* 10. 8. *Januarii.*
S. Severus Epiſc. Abriacenſis, *in vita cap.* 5. 1. *Febr.*
S. Silvinus Epiſc. Alcianenſis, *in vita cap.* 2. 17. *Febr.*
S. Simeon Priſcus Abbas Montis Amani, *in vita §.* 1. 26. *Januarii.*
S. Simeon Stylita Senior, *in ſecunda vita cap.* 3. 5. *Januarii.*
S. Simeon Stylita junior, *in vita cap.* 7. 24. *Maii.*
S. Simeon Eremita Trevirenſis, *in vita cap.* 3. 1. *Junii.*
S. Simeon Monachus Padolironenſis, *in vita cap.* 2. 3. *&* 4. 26. *Julii.*
S. Simeon Salus, *in vita cap.* 5. 1. *Julii.*
S. Siſoe Magnus, *in actis* 6. *Julii.*
S. Stephanus Sabaita, *in vita cap.* 3. 13. *Julii.*
S. Sulpitius Pius Epiſc. Bituricenſis, *in vita cap.* 1. 17. *Januarii.*
S. Suvibertus Epiſc. *Baron. ad ann.* 705.
S. Syrus Epiſc. Genuenſis, *in vita* 29. *Junii.*
S. Thalaſſius Anachoreta, *in vita* 22. *Februarii.*
S. Thallelæus Martyr, *in actis recentioribus cap.* 1. 20. *Maii.*
S. Theobaldus Eremita, *in vita cap.* 2. 30. *Junii.*
S. Theodoricus Presbyter, *in prima vita* 1. *Julii.*
S. Theodorus Martyr, *in ſecunda Vita cap.* 3. 7. *Februarii.*
S. Theodorus Trichinas Eremita, *in vita* 20. *Apr.*
S. Theodorus Siceota Epiſc. Anaſtaſiopolitanus, *in vita cap.* 3. 5. 6. *&* 11. 22. *Aprilis.*

S. Theo-

S. Theodorus Episc. Papiensis, *in Vita* 20. *Maii.*

S. Theodorus Martyr, *in actis cap.* 2. 9. *Julii.*

S. Theophanes Monachus, *in Vita cap.* 2. 12. *Martii.*

S. Theotonius Presbyter, & Canonicus Regularis, *in Vita part.* 1. *cap.* 1. *& part.* 2. *cap.* 2. 18. *Febr.*

S. Tigernacus Episc. in Hibernia, *in Vita cap.* 2. 5. *Aprilis.*

S. Thimoteus Anachoreta, *in Vita* 21. *Februar.*

S. Thomas Thaumaturgus, *in actis* 7. *Julii.*

S. Tozzo Episc. Augustanus, *in Vita cap.* 1. 16. *Jan.*

S. Tranquillinus Presbyter, & Martyr, *in actis S. Sebastiani cap.* 19. 20. *Januarii.*

S. Valentinus Episc. Passavensis, *in Vita cap.* 2. 7. *Januarii.*

S. Valentinus Episc. Batavensis, *in Vita cap.* 2. *tom.* 1. *in addendis.*

S. Valerianus Martyr. Forolivii, *in actis* 4. *Maii.*

S. Udalricus Presbyter, & Monachus, *in Vita cap.* 4. *&* 5. 10. *Julii.*

S. Veremundus Abbas Hyrachensis, *in Vita cap.* 1. 8. *Martii.*

S. Victor Presbyter Gallus, *in Vita cap.* 1. 26. *Febr.*

S. Victorianus Abbas Assanensis, *in Vita cap.* 2. 12. *Januarii.*

S. Vigilius Episcopus Tridentinus, & Martyr, *in actis cap.* 1. 26. *Junii.*

S. Vigor Episc. Bajocassinensis, D. *Antonin.* 2. *part. hist. tit.* 11. *cap.* 19. §. 7.

S. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum, *in Vita lib.* 3. *cap.* 4. 5. *Aprilis.*

S. Virgilius Archiepisc. Arelatensis, *in Vita cap.* 1. 5. *Martii.*

S. Vitalis Abbas Armenti, & Rapollæ, *in Vita cap.* 3. 9. *Martii.*

S. Vitalius Abbas. *In vita S. Joannis Eleemosynarii cap.* 11. 23. *Januarii.*

S. Vi-

S. Viventius Presbyter, *in Vita cap.* 1. 13. *Januar.*
S. Uldaricus Presbyter, & Monachus, *in Vita cap.* 4. *&* 5. 10. *Julii.*
S. Ulricus Presbyter, & Eremita, *in vita cap.* 1. 20. *Februar.*
S. Vodalus Benedictus, *in ejus Vita* 5. *Februar.*
S. Urbanus Episcopus Lingonensis, *in Epitome vitæ* 23. *Januarii.*
S. Ursmarus Episc. & Abbas Lobiensis, *in Vita cap.* 2. *&* 3. 18. *Aprilis.*
S. Ursus Abbas Senopariensis. D. *Gregor. Turon. in Vita PP. cap.* 18.
S. Wandoegisillus Presbyter, & Abbas. D. *Antonin. in* 2. *part. hist. tit.* 13. *cap.* 6. §. 31.
S. Walaricus Abbas Leuconaensis, *in vita cap.* 2. 1. *Aprilis.*
S. Wilfridus Episc. Eboracensis, *in vita c.* 5. 24. *Apr.*
S. Willhelmus Abbas Roschildensis. *Honorius* III. *in Litteris Canonizationis.*
S. Vinebaudus Abbas Trecensis, *in Vita* 6. *Apr.*
S. Winvualseus Abbas, *in tertia V. lib.* 2. 3. *Martii.*
S. Wolffgandus Episcopus Ratisbonensis. *Apud Jodoccum Coccium in Thesauro Catholico tom.* 2. *lib.* 6. *de Eucharistia art.* 8.
S. Vulstanus Episc. Wigornienſis, *in Vita cap.* 2. 19. *Januarii.*
S. Yvo Presbyter, *in Vita cap.* 8. 19. *Maii.*
S. Zeno Episc. Veronensis, *in Vita* 12. *Aprilis.*
S. Zenobius Episc. Florentinus, *in Vita* 25. *Maii.*

XIII. Ut hos igitur, reliquosque Sanctos Cœlites ferventius oret vexatus, debet Exorcista ipsum seriò monere de eorum potentia, quod facilè præstare poterit, allata Sanctorum Patrum testimonia præ oculis habendo; & ut fructuosè hoc præstet, exponendæ erunt eidem vexato orationes conditiones; nam absque istis, profecto non assequetur finem. Prima ergo est *attentio.*

tentio. Sicut enim Deus adorandus est in Spiritu, & veritate, juxta illud Joannis 4. v. 24. *Spiritus est* Deus, *& eos, qui adorant eum in Spiritu, & veritate oportet adorare*; Sic non adoratur in spiritu, & veritate, si non versetur in corde, quod profertur in ore. *Quomodo enim*, (inquit D. Cyprianus lib. de Orat. Domini) *te audiri postulas a Deo, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando tu ipse tui non sis? Clamor ad Dominum*, prosequitur Augustinus enarrat. in Psalm. 118. serm. 29. *qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento ad Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? .... Tunc porrò in corde clamatur quando aliundè non cogitatur.*

XIV. Secunda est, ut oratio *fervens* sit, non tepida. O rem profluvio lacrymarum deplorandam! *Nonne aliquando*, inquit idem S. Doctor lib. 1. ad Simplicianum, versus finem, quæst. 2. *ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, ut pene nulla, imò omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dolemus, jam oramus.*

XV. Tertia conditio est, *ut assidua sit, & perseverans*. Ideo Lucæ 18. v. 1. habetur: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. Et Jacobi 5. v. 16. *Multum valet deprecatio Justi assidua*. Et Paulus 1. ad Thessalonicenses *cap. 5. v.* 17. nos monet: *Sine intermissionem orate*.

XVI. Quarta orationis conditio est, *ut non sit sterilis, sed fœcunda*, hoc est bonis operibus sociata. *Orantes*, inquit D. Cyprianus lib. de Oratione Domini: *non infructuosi, nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio .... & ideo Scriptura nos Divina instruit, dicens: Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna*. Similiter D. Augusti-

gustinus in Psalm. 42. *Quam celeriter*, ait, *accipiunt orationes bene operantium! .... Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium, & eleemosynam.* Quod pulchrè explicat D. Petrus Chrysologus serm. 43. *Tria sunt*, inquit, *per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus. Oratio, jejunium, misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, jejunium sunt hæc tria unum; dant hæc sibi invicem vitam; Est namque orationis anima jejunium, jejunii vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Horum qui unum habet, ista qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat jejunet, misereatur. Audiat petentem, qui potens optat audiri. Auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum.*

XVII. Quinta est ut oratio *sit pia*, idest ut vexatus orans habeat intentionem piam, & benevolam, & efficax desiderium impetrandi postulata. Ad quod necesse est impedimenta pro virili amovere: nam Deus peccatores non audit, quatenus peccatores sunt, & in affectu peccati perseverant, vel cum eorum postulatio interpres est concupiscentiæ, non pœnitentiæ. *Petitis*, ait D. Jacobus cap. 4. v. 3. *& non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insummatis.* Horum oratio non exauditur; sic enim de Antioco scriptum est 2. Machabæorum cap. 9. v. 13. *Orabat hic sceleſtus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Et Isajæ cap. 1. v. 15. habetur: *Cum multiplicaveritis Orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quare deponendus est animus, & affectus peccati. *Ante Orationem*, inquit Sapiens Eccl. 18. v. 23. *præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.*

Et

Et Job cap. 11. v. 14. & 15. dicitur: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.* Super quæ verba, ait D. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 15. *Iniquitas in manu, est culpa in opere; injustitia in tabernaculo, iniquitas in mente; .... faciem levare, est in Deo animum per studia Orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat. .... Hinc per Joannem dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum, & quidquid petierimus ab eo, accipiemus .... Qua in re hoc est salubre remedium, ut cum se mens ex memoria culpæ reprehenderit hoc prius in oratione defleat, quod erravit.*

XVIII. Sexta conditio est, ut sit *de necessariis* ad salutem, vel ad eam conducentibus. Hujusmodi interdum esse potest liberatio a vexatione, & obsessione dæmonis, quatenus ab ipsa immunis energumenus, non versaretur in tanto periculo offensæ Dei, ob graviores internas, quas patitur diaboli tentationes, sicque facilius sibi sterneret viam ad æternam salutem consequendam. Hinc quotidie Deum rogamus: *sed libera nos a malo;* sub quibus verbis comprehendi liberationem ab isto irreconciliabili malo inimico testatur D. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *A malo*, inquit, *hoc est, ab inimico, & a peccato liberetur. Potens est autem Dominus .... tueri, & custodire vos adversum diaboli adversantis insidias, ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare consuevit.* Et D. Joannes Chrysostomus *homil. 9. ex variis Matth. locis*, ait: *Libera nos a malo. Quid est perfectum malum, nisi diabolus princeps hujus mundi, & auctor operis mali?*

mali? Cum ab ipſo nos liberaverit, vere liberi erimus.

XIX. Septima eſt ut ſit *pro ſe ipſo*. Quamvis enim oratio proſit omnibus, tamen infallibilem impetrationem non habet, niſi ſit pro ſe, ut docet D. Auguſtinus tract. 102. In Joannem, ſuper illa verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: ut ea beneficia ſignificata ſciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſe ipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis, quia non utrumque dictum eſt, dabit, ſed dabit vobis.* Ratio autem, cur homines juſti ſemper exaudiantur pro ſe, & non ſemper exaudiantur pro omnibus eſſe poteſt, quia non ſemper ii, pro quibus oramus idonei ſunt, ut accipiant. Quare Dominus *Lucæ* 10. *v.* 5. cum Apoſtolos monuiſſet, ut in quamcumque domum intrarent, primum dicerent: *Pax huic domui*; quoniam ſciebat non omnes eſſe filios pacis: poſtea adjunxit *v.* 6. *Et ſi ibi fuerit Filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, ad vos revertetur.*

XX. Alias conditiones dabimus appoſitè infra *n.* 50. & *alibi*. Interim oritur dubium, quare ſcilicet poſitis omnibus orationis conditionibus, vel non ſtatim, vel nullimodè interdum exaudiat Deus? ſed occurritur primo cum D. Auguſtino *Enarrat. in Pſalm.* 144. dicendo: *Quomodo medicus ſi forte imponat aliquid vel oculo, vel viſceribus, quod urendo ſanet, ſi roget æger, ut tollatur illi, medicus expectat tempus, non facit quod rogat æger, non tamen recedit, & prope eſt, & non facit: & ideo magis non facit, quia prope eſt. Curando enim impoſuit, quod impoſuit, & curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad præſentem voluntatem, exaudi-*

diendo ad futuram ſanitatem: & hoc utique ad voluntatem. Nam utique ſanus eſſe vult etiam qui uri non vult.... Ita Deus, etſi non faciat ad horam, faciet tamen.... vides ad hoc exaudire medicum, ut ſalvos faciat: quando hoc? Audi Apoſtolum dicentem: Spe enim ſalvi facti ſumus: Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.

XXI. Secundò reſpondemus, multos nunquam exaudiri in eo, quod petunt, vel quia Deus majora, & ampliora bona impertitur, vel quia petunt, quod ſaluti eorum conducibile non eſt, contra conditionem ſupra aſſignatam *num.* 18. Primum docet D. Auguſt. enarrat. in Pſalm. 59. *Quis enim*, ait, *ſanitatem non petat cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile eſt. Poteſt fieri, ut hinc non exaudiaris: non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem.* Et Sermone 354. *alias* 53. de Verbis Domini cap. 7. *Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem: habete pro magno exaudiri ad utilitatem.... illi committite ut ſi proſunt, det; ſi ſcit obeſſe, non det; Quid autem obſit, quid proſit, medicus novit, non ægrotus.* Secundum pariter docet idem S. Doctor tract. 102. in Joannem ad illa verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; dicens: *Jam dictum eſt in ſuperioribus hujus Dominici Sermonis partibus, propter eos, qui nonnulla petunt a Patre in Chriſti nomine, nec accipiunt, non peti in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis.... qui verò.... in ejus nomine petit, & accipit quod petit, ſi non contra ſuam ſalutem ſempiternam petit.* Hinc S. Bernardinus Senenſis *Tom.* 4. *Serm.* 41. de amore ineffabili, ad rem noſtram, loquens de energumeno, ſuper quem invocantur nomen Jeſu, ait:

ait : *Liberabitur, si erit pro meliori animæ suæ.*

XXII. Quæ hucusque dicta sunt de Oratione pro instructione vexati a dæmone, dicta volumus etiam de Oratione Exorcistæ, quæ & ipsi, ex oraculo Christi Domini, necessaria est, ut innuimus in Commentar. Documenti VI.

Ac jejunet.

XXIII. Aliqua de jejunio diximus supra. Aliqua item hic addemus, ut magis, magisque hujus remedii vis percipiatur. Jejunium itaque ad dæmonem superandum, & vincendum necessarium esse, Christus exemplo suo nos docuit, teste D. Athanasio, sive quocumque alio in Exhortatione ad Monachos, dicente : *His*, nempe jejuniis, *Jesus Salvator noster in carne hominis, quam assumpserat eruditus, suadelas diaboli tentantis obtundit, quas etsi aliter potuisset expellere, docendos tamen populos voluit hac imitatione formare.* Et S. Basilius homil. 2. de laudibus jejunii : *Non est*, inquit, *colluctatio adversus sanguinem, & carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos tenebrarum harum, adversus spirituales malitias, hos oportet per sobrietatem, ac jejunium ad certamen exerceri.... neque enim assultus damonum quidquam audet adversus jejunantem.* Quare oportet, ut vexatus a dæmone possit verè cum Psalmista dicere Psalm. 68. v. 11. *Operui in jejunio animam meam. Bonum operimentum*, prosequitur D. Ambrosius de Helia, & jejunio cap. 4. *quod animam tegit, ne a tentatore deprehendatur, ne a tentatore nudetur.*

Et Sacra Confessione.... se communiat.

XXIV. Hæc plurimum valet ad Deum placandum, ut omissis cæteris Patribus, colligo ex doctrina, quam tradit D. Augustinus enarrat. in Psalm. 84. super illud: *Veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit. Intende*, inquit, *illum Publicanum longe a Pharisæo in templo orantem, qui neque oculos ad cœlum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Domine propitius esto mihi peccatori. Ecce veritas de terra orta est, quia confessio peccatorum ab homine facta est: Orta est veritas de terra in confessione peccatorum, & justitia de cælo prospexit, ut descenderet justificatus Publicanus ille magis, quam ille Pharisæus; nam, ut noveritis, quia veritas pertinet ad confessionem peccatorum, ait Joannes Evangelista: Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quomodo ergo veritas de terra oritur, ut justitia de cælo prospiciat, audi illum sequentem, & dicentem: Si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata, & purget nos ab omni iniquitate. Veritas ergo de terra orta est, & justitia de cælo prospexit .... Veritas de terra orta est: confessio peccatorum ab homine: & justitia de cælo prospexit: id est a Domino data est justificatio.* Quare si confessio peccatorum seu Pœnitentiæ Sacramentum iram Dei avertit, Deum iratum placat, imò ipsum ad nos convertit, hoc planè medio Deum sibi propitium reddet vexatus, a quo facilius suam liberationem sperare poterit. Et revera Pœnitentia, teste Chrysostomo homil. 3. de Pœnit.

nit. *eſt adverſus Diabolum arma, gladius vim ejus præcidens, caput ejus amputans.*

XXV. Quod exemplis confirmare poſſemus quamplurimis, ſed uno, vel altero contenti erimus. In Vita S. Guilielmi Eremitæ *part.* 2. *cap.* 7. penes Bollandum *tom.* 2. *Februarii die* 10. legitur, quod „ Puella a ſeptennio, peccato-„ rum ſuorum nexibus exigentibus, tradita „ dæmonio immundiſſimo fuerat; quæ au-„ diens B. Guilielmi proferri miracula, illuc „ ex longinquis partibus non tam advenerat, „ quam accurrerat, & ſperans de ſalute fidu-„ cialiter, coram ſacro tumulo ſe ſe contulit „ procaciter. Sed revera eam malignus ſpiritus „ compede cujuſdam inceſtuoſi criminis illa-„ queaverat, & ſimul cum eo vaſculum illud „ introjerat, ideo abſque collega nequaquam „ exiturum decreverat. Cæterum miſerabilis „ utriuſque hoſpita peccatum ſuum Confeſſo-„ ri ſuo pandere non propoſuerat; nam ad hoc „ forte dæmon ipſius laborabat, ſed Dei virtus, „ qui ſalvat ſperantes in ſe, illum coegit, ita „ quod, audientibus univerſis, dixit: Sumat „ de ſuo delicto pœnitentiam, & ego ſine mo-„ ra recedam. Quo audito univerſi, qui ade-„ rant, ex Dei miſericordia dictum eſſe cogno-„ verunt, & ad pœnitentiam accipiendam de „ ſuis mulierem criminibus vix tandem aliquan-„ do efficaciter adduxerunt. Et ò mira Confeſ-„ ſionis virtus! O' mira confitentis ſalus! nam „ ſubito per ſanguinis vomitum cum fœtore „ intollerabili, & clamore horribili immundum „ emiſit ſpiritum. „

XXVI. In gloria poſtuma S. Ubaldi Epiſcopi Eugubini *cap.* 4. *die* 16. *Maii* legitur, quod ad ſepulchrum Sancti „ adducta novennis puel-„ la, tamquam energumena a pluribus ſpiri-

„ tibus, poſt exorciſmos admotos, dimiſſa eſt,
„ uno ſolo remanente, qui identidem a collo ad
„ pectus ſurſum, ac deorſum commeans, adjuran-
„ tium ſe Sacerdotum operam ludere videba-
„ tur. Unus ergo eorum ſuſpicatus occultum
„ in puella latere peccatum, interrogavit pa-
„ rentes ejus, eoque deprehenſo, confeſſam ſa-
„ cramentaliter, liberam dimiſit. „ Ibidem pa-
riter legitur, quod „ ſimili impedimento de-
„ prehenſus eſt teneri Sanctes Andreæ, ne quid-
„ quam proficerent exorciſmi; cum autem gra-
„ viſſimum, quod gerebat delictum, confeſ-
„ ſione facta, expiaſſet, ſubitò immunem ſe
„ ſenſit ab ignota trium annorum infirmitate,
„ propter quam acceſſerat ad S. Ubaldum, alia
„ omnia remedia fruſtra expertus. Sic & civis
„ quidam Eugubinus ſolitus ad biduum, tri-
„ duumque in furias agi, deprehenſus eſt ideo
„ dæmonibus traditus, quia enormia quædam
„ crimina occultabat: mox autem atque menti
„ ſuæ redditus, ea confeſſus, ſana deinceps men-
„ te permanſit.

XXVII. Similiter ibidem narratur: „ Mu-
„ lier, ... quæ annis multis obnoxia fuerat
„ tribus dæmoniis, quorum immunditiis ægre
„ reſiſtebat: ſed erat perquam devota Deipa-
„ ræ, quam ſabbathino jejunio ſolebat honora-
„ re, ... & hanc ob cauſam impediebantur dæ-
„ mones eam occidere, quemadmodum facere
„ nitebantur. Hoc in ſtatu peccatricem ani-
„ mam miſerata Mater miſericordiæ, eidem
„ omni nocte apparebat, dicens: Vade, Filia,
„ ad S. Ubaldum, & confitere Patribus pec-
„ catum iſtud, quod noſti præ verecundia num-
„ quam a te explicatum fuiſſe. Appropinquante
„ autem Paſchate, addebat Eadem: Quæſo Fi-
lia, noli cum tanta ſpurcitie recipere corpus

„ Fi-

„ Filii mei; magis enim expediret tibi sic pollu-
„ tæ ferrum ignitum ore accipere. His mota,
„ illa ad Ecclesiam S. Ubaldi accessit, confessa-
„ que est quidem, sed non integre. Desiit ergo
„ ad mensem integrum apparere ei indignata
„ Deipara, quia tamen devotum jejunium conti-
„ nuabat mulier, rursum ei apparuit, repre-
„ hendens ipsam de non integre facta Confessio-
„ ne, & addens: Scito, Filia, quod nisi ego,
„ & S. Ubaldus te servaremus, jampridem fuis-
„ ses a dæmonibus suffocata. Hoc autem ut co-
„ gnosceret certius, accidit, ut occasione la-
„ vandæ supellectilis lineæ, vehementer impel-
„ leretur a dæmonibus, ut filiolum suum quem-
„ dam injiceret caldariæ bullientis lixivii, sed
„ simul audiebat ad aurem loquentis sibi Dei-
„ paræ vocem, atque a tanto scelere absterren-
„ tis tam efficaciter, ut denique portari se ad
„ S. Ubaldum jusserit, riteque confessa, plene
„ fuerit liberata.

XXVIII. Hinc S. Carolus Borromæus, in Concilio Mediolanensi IV. præscripsit: *Energumenis verò exorcismum ne adhibere incipiat* (Exorcista) *nisi illi primum confessi sint, ad hocque eos cohortetur, ut omnis anteactæ vitæ peccata diligenti conscientiæ discussione, confiteantur.* Cum prius dixisset: *Videat item*, Exorcista nempe, *an ille*, Energumenus scilicet, *excommunicationis vinculo irretitus unquam fuerit, atque absolutionem ritè perceperit.*

Et communione sæpius ad arbitrium sacerdotis se communiat.

XXIX. Eruditissimus S. Gaspar Juvenin, in Commentariis Historicis Dogmaticis de Sacra-

mentis, *Dissertatione 4. de Eucharistia, quæst. 6. cap. 2.* putat duplicem viguisse in Ecclesia disciplinam circa Communionem energumenis ministrandam; unam austeriorem, qua prohibebantur ad sacram mensam accedere: mitiorem alteram, qua sacra permittebatur synaxis. Primam probat ex variis antiquis monumentis, quæ hic paulò fusiùs exhibemus, a suis fontibus hausta. Primum est Canon 78. Apostolorum, Gentiano Herveto Interprete; ibi enim statuitur: *Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus precetur.* Secundum est liber 8. Constitutionum, quæ tribuuntur Apostolis, *cap. 7.* in quo, post præscriptam Orationem pro energumenis faciendam, statim subditur: *Et dicat Diaconus: Exite energumeni; at post egressum eorum dicat: Orate, qui baptismum petitis.* Tertium est D. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. §. 6. *Porro Cathecumenos, & Energumenos.... Sacrosancta Hierarchia mos patitur quidem audire sacram psalmodiam, divinamque sacrarum Scripturarum recitationem: Verum ad ea, quæ deinceps sequuntur sacrificia, spectaculaque, nequaquam eos convocat.* Et infra §. 7. *Quamquam etiam ipsis* (energumenis scilicet) *rerum sacratissimarum aspectus, communioque subtrahitur.* Quartum est, Concilium Eliberitanum, celebratum anno Christi 305. quod canone 29. sancivit: *Energumenus, qui ab erratico spiritu exagitatur hujus nomen neque ad Altare cum Oblatione recitandum.* Porrò ille qui non offerebat, nec Eucharistiam sumebat, ut eruitur ex Canone 28. ejusdem Concilii: *Episcopos placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Et tandem Canone 37. clarissimè statuit: *Eos, qui ab immundis spiritibus vexantur,*

tur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si Fideles fuerint, dandam esse Communionem.

XXX. Secundam mitiorem disciplinam incœpisse anno 441. quo celebrata fuit Arauxicana Synodus, tradit idem Auctor; in ipsa namque decretum fuit: *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curant, & se solicitudini Clericorum tradunt; monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonis, quo infestantur, vel purgandi, quorum ostenditur vita purgatior.*

XXXI. At præstantissimus Severinus Binnius unam tantum invariatam Disciplinam Ecclesiæ circa Eucharistiam obsessis dandam, agnoscere videtur, & quidem eam, quam mitiorem vocavimus; ipse enim in notis ad Canonem 37. relatum Concilii Eliberitani, asserit, Concilium loqui de energumenis, qui propter publica aliqua scelera publicè etiam a dæmonibus vexantur, & ab Ecclesia excommunicantur, juxta illud Pauli 1. Corinthiorum cap. 5. v. 5. *Judicavi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Istos namque non modo a Sacramentorum, verum etiam Orationum pubblicarum participatione, & communione arcendos esse hoc capite decerni putat eruditissimus Scriptor, non verò intelligi debere de aliis, qui sui compotes sunt, & corporaliter dumtaxat, vel ad majorem Dei gloriam, vel ad peccati occulti pœnam, Deo sic disponente, vexantur. Hæc doctrina facilè applicari potest monumentis a Juvenino pro severiori disciplina stabilienda adductis; qua posita sequitur numquam Eucharistiam energumenis generaliter loquendo, fuisse interdictam.

XXXII. Verum, si liceret inter horum doctis-

simorum virorum discrepantes opiniones nostrum aperire sensum, diceremus, antiqua monumenta pro austeriore disciplina tuenda relata, esse intelligenda de illis energumenis, qui licet baptizati, de sua sanitate non curabant; qui se exorcismis subdere negligebant, quique Exorcistarum documentis non obediebant. Id colligi putamus ex Arauxicanæ Synodi Canone 14. supra relato, qui explicare videtur, quomodo intelligenda sunt Patrum Eliberitanorum Decreta, dum sic loquitur: *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curant, & se sollicitudini Clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent, Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi ab incursu dæmonii, quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior.* Non ergo generalis disciplina Ecclesiæ fuit, quod energumeni arcerentur a synaxi, sed tantum illi, qui non erant ex inclusis in Canone Arauxicano.

XXXIII. Hinc optimè conciliantur nedum testimonia primitivæ Ecclesiæ Patrum, sed etiam ea, quæ apud Joannem Cassianum *Collat. 7. cap. 29. & 30.* leguntur. Germanus dixit: *Et quomodo non solum eos*, loquitur de energumenis, *despici ab hominibus, vel horreri: sed etiam a communione Dominica in nostris Provinciis perpetuò videmus abstinere?* Et cap. 30. Abbas Serenus reposuit: *Communionem verò eis Sacrosanctam, a senioribus nostris numquam meminimus interdictam, quinimò si possibile esset, etiam quotidie eis impartiri eam debere censebant.* Et adducit exemplum Abbatis Andronici, infra referendum. Conciliantur, inquam, hæc loca si dicatur, Germanum loqui de iis, qui de purgatione sua non curabant, hoc est crebro ad Ecclesiam se se non præsentabant, ut exorcizarentur, seu qui

se

ſe ſollicitudini clericorum non tradebant, nec monitis obtemperabant; ſecus verò Abbatem Serenum fuiſſe locutum. Ita explicari non incommodè poteſt locus D. Dionyſii, niſi dicere velimus, intelligendum eſſe de iis, qui nondum erant baptizati, ut intelligit D. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 9. *ad* 2. quod tamen non aſſero.

XXXIV. Hæc conjectare, exercitationis tantum cauſa, mihi in votis fuit, totum libentiſſimè relinquens meliori eruditorum judicio, ſed ſive unica fuerit, ſive diverſa hac in re Eccleſiæ diſciplina, certum eſt, non abſque gravi fundamento Rituale noſtrum ſtatuere, quod energumenus *Communione ſæpius, ad arbitrium Sacerdotis ſe communiat; Cum enim*, ut loquar verbis D. Cypriani Epiſt. 54. ad Cornelium, *ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Et ſicut*, ut phraſi utar S. Joannis Chryſoſtomi, *hom.* 45. in Joannem, *Sanguis agni Paſchalis, fronti adium præfixus, eas ab Angelo exterminatore præſervabat; ita dæmones, cum ſanguinem Dominicum in nobis vident, in fugam vertuntur*. Similia habet homil. ad Neophitos: *Cum te*, inquit, *egredientem poſt convivium Dominicum viderit inimicus, poſt Cœleſtes epulas, tanquam ignem leonis ore flammantem, fugit, & deſerit omni vento velocior, nec appropinquare contendit, & cum cruentam linguam tuam de longe ille crudelis perſpexerit, mihi crede, non ſtabit: & cum os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuum retro cum timore torquebit*. Et S. Petrus Damianus *lib.* 4. *Epiſtolar. Epiſt.* 21. *ad Nepotem ſuum*, inter alia monita, hoc tradit: *Videat occultus hoſtis labia tua Chriſti cruore rubentia,*

quæ

qua territus perhorreſcat, & mox in tenebrarum ſuarum latibula paveſcendo, diffugiat. Et lib. 7. Epiſt. 19. ad Blancum, ait, *Terretur adverſarius, tum Chriſtiani labia, Chriſti videt cruore rubentia: Agnoſcit enim præſto ſua perditionis inditium, & Divinæ victoriæ, qua captivatus eſt, & obtritus, non tollerat inſtrumentum.*

XXXV. Nec omittenda ſunt, quæ habet Caſſianus Collat. 7. cap. 30. *Sacroſancta Communio*, inquit, ... *quæ ab homine percepta, eum, qui in membris ejus inſidet, ſpiritum, ſeu in ipſis latitare cognoſcitur, velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum, & Abbatem Andronicum nuper aſpeximus, aliosque quamplures.* Sic curatam fuiſſe quamdam puellam refert Auctor Libri de Promiſſionibus, & Prædictionibus Dei, qui D. Proſpero tribuitur, *par.* 4. quæ inscribitur: *Dimidium temporis* cap. 6. *Noſtris quoque temporibus, inquit:* „ Aſpero VI. Coſ. Chartagini conſtituto, hoc „ ſignum diabolicum, monſtruoſumque, quod „ illic accidit, quis illius patriæ civis ignorat? „ Quædam Juvencula Araba natione, Ancillæ „ Dei habitum geſtans, cum in balneo lavans „ ſimulacrum quoddam Veneris impudicè reſpi- „ ceret, & ſe ipſam, eique ſe conſimilans, do- „ micilium ſe diabolo præbuit. Statim ille leo, „ qui rugiens circuit, quem quærebat invenit. „ Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nul- „ lum cibum, nullumque potum trajiciens, per „ ſeptuaginta ferme dies, totidemque noctes, „ jejunium ſibi diabolus, ex capto, poſſeſſoque „ vaſe, exhibuit. Hoc monſtrum Parentes puel- „ læ per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperan- „ tes, dum juge malum ulterius tollerare non „ poſſent, ſimul cum filia ſe ſe ingeſſerunt ſa- „ cerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes.

„ Hoc

„ Hoc tantum puella fatebatur, avem quam-
„ dam, noctis medio apparere, quæ sibi ore,
„ nescio quid infunderet. Accidit autem, ut Do-
„ minicus illucesceret dies, ascendente nobiscum
„ sacerdote, ut matutinum illuc Sacrificium so-
„ litò offerretur. Puellam Præpositus ad Alta-
„ re perduxit. .... Peracto itaque Sacrificio,
„ cum eadem inter cæteras brevem particulam
„ corporis Domini tinctam, a Sacerdote perci-
„ peret, semihora mandens, trajicere non vo-
„ luit, nondum illo fugato, de quo dicit Apo-
„ stolus: *Quæ consonantia Christi ad Belial?* Et
„ iterum: *Non potestis calicem Domini bibere,*
„ *& dæmoniorum; non potestis mensæ Domini par-*
„ *ticipare, & mensæ dæmoniorum.* Manu igitur
„ faciem ejus sustentante sacerdote, ne sanctum
„ projiceret, a quodam Diacono suggestum est,
„ ut calicem salutarem gutturi ejus Pontifex
„ applicaret. Quod ut factum est, statim ut
„ locum illum, quem diabolus obsederat, Sal-
„ vatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod
„ ore gestabat, cum laude Redemptoris transglu-
„ tisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces
„ in gloriam Dei, quod post octoginta, & duos
„ dies, diabolo expulso, puella de potestate
„ fuerit eruta inimici. „

XXXVI. Sic plures alios a dæmone liberatos fuisse legimus. In Historia miraculorum intercessione SS. Justi, & Clementis Confessorum patratorum, *die 5. Junii*. „ Narratur, quod quæ-
„ dam Virgo Politiana, cum a spiritu nequissi-
„ mo modis omnibus torqueretur, cumque co-
„ ram Sanctorum Confessorum Reliquiis aliquan-
„ diu cum Matre, & propinquis aliquot stetis-
„ set. .... in die Pentecostes sumpta Eucharistia,
„ spiritus nequam ab ea statim discessit. „ In Vita S. Austregisilli Archiepiscopi Bituricensis

lib. 1.

lib. 1. cap. 2. die 20. *Maii* legitur, quod „ Puella „ adoleſcentula, ... quæ nequiſſimus ſpiritus „ oppreſſione, crudeli cruciatu vexabatur, ... „ adducitur ad .... virum Dei, ille intuens eam, „ cognovit callidi hoſtis contritione afflictam, „ præcepitque eam propius ad Altare admove- „ ri, & accepto Pane, & Calice, more ſolito, „ Spirituales hoſtias Domino offerens, myſticum „ prece conficit Corpus Domini. Ille prius per- „ cepit, deditque Puellæ: at ubi illa accepit, „ ....ex illa hora fugato dæmonio, ... priſti- „ næ ſanitati reſtituta eſt. „ Hoc anno in Gallia (nempè 1566. ait Spondanus in Annal. Eccleſiaſtic. ex Florimundo Remundo, & ex Genebrardo ad eumdem annum *num.* 31.) „ apud Lugdu- „ num, Nicolaa Obry, ex oppido Vervinio ener- „ gumena, porrectione Sacroſanctæ Euchariſtiæ, „ ab Epiſcopo liberata eſt, circumſtantibus de- „ cem hominum millibus, & Notariis publi- „ cis, acta omnia excipientibus.

XXXVII. Sed pluribus aliis exemplis omiſſis, redeamus ad Caſſianum, qui *loco citato*, proſequitur: *Magis namque, ac magis inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum a cæleſti medicina viderit ſegregatum, tantoque dirius, ac frequentius attentabit, quanto eum ab ſpiritali remedio longius ſenſerit abdicatum.*

XXXVIII. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi obſeſſus *mente valet*, ut loquitur Rituale noſtrum, in initio hujus Documenti. Quod ſi mente non valeret, attendendum eſt id quod tradit Acto Epiſc. Vercellenſis, in ſuo Opuſculo, quod *Capitulare* inſcribitur, penes d'Ancherium tom. 1. Spicilegii. *Nulli liceat porrigere corpus, vel ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti energumenis, donec in eadem paſſione ſunt, niſi forte diſcrimen mortis incurrerint.* Et advertendæ ſunt

regu-

regulæ quas tradit Doctor Angelicus pro amentibus circa susceptionem Eucharistiæ, *3. par. quæst. 80. art. 9.*

Et dum exorcizatur, totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat.

XXXIX. Hic non parum nobis est immorandum, cum præcipue a fide, seu fiducia obsessi, ipsius liberatio pendeat. Clarum hoc fit ex eo, quod *Matth. 17. v. 14.* & *seqq.* legitur de quodam Judæo, qui Christo obtulit filium suum vexatum a dæmone, dicens: *Domine, miserere Filio meo, quia lunaticus est, & male patitur; nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, & obtuli eum Discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum, usquequo vos patiar?* Quasi diceret: O generatio sine fide; nam ille homo non credebat *firma fide*, quod Christus posset Filium ejus sanare; unde dixit ei: *Si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.* Non dixit, *quia potes*, sed *si quid potes*. Quare Paschasius Ratbertus lib. 8. in Evangel. Matth. ait: *Impossibilitas curandi non semper ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum, qui curandi sunt fidem refertur, dicente Domino: Fiat tibi secundum fidem tuam.* Et perspicuè D. Cyprianus de Idolor. vanitate: *Dæmones*, inquit, *vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat.* Idem in terminis docet Minutius, in Octavio.

XL.

XL. Imò est adeo necessaria hæc fiducia in hoc sacro Ministerio, ut nedum in Exorcista, in patiente, in parentibus requiratur, sed etiam in adstantibus. Quod manifestum fit ex eo, quod legitur in Vita S. Philippi Nerii, auctore Hieronymo Bernabeo, apud Bollandianos *tom. 6. Maii, die 26.* scilicet, quamdam nobilissimam fœminam solemni ritu Romæ adjuratam in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, haud liberari potuisse, ob unius etiam astantis incredulitatem: *Scitote*, palam dixit S. Philippus, his qui aderat, *miseram hanc, ob unius adstantium incredulitatem nunc liberari non potuisse.*

XLI. Hæc ad intentum nostrum forte sufficerent; verum quia ad excitandam tum in Exorcista, tum in vexato requisitam a nostro Rituali, imò a Christo Domino fiduciam, plures considerationes haud parum juvabunt: ideò eas hic dabimus a Ministro apud se meditandas, & ab eodem explicandas obsesso.

XLII. Itaque primum motivum excitandi fiduciam est consideratio *omnipotentiæ Dei; Nulla enim res*, inquit Catechismus Romanus part. 1. de 1. Symboli articulo num. 13. *tam ad fidem, & spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse: quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum, & admirabile, rerumque ordinem, ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla hæsitatione assentitur.... quare hac fide præcipuè munitos nos esse oportet, vel cum admiranda aliqua opera ad proximorum usum, & utilitatem edere cogimur, vel cum a Deo precibus impetrare aliquid volumus.* Quare a vexato contemplandum est, Deum esse Omnipotentem; dicente ipso Genes. 17. v. 1.

Ego

Ego Deus omnipotens, Et c.18. v.14. *Nunquid Deo est quidquam difficile?* Et Job.42.v.2. *Scio quia omnia potes*. Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Marci 14. v. 36. *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt*. Unde postquam energumenus divinam omnipotentiam meditatus fuerit, concludat cum D. Augustino serm.213.alias 119.de Tempore. *Credamus ergo in eum, & omnia nobis de ipsius misericordia promittamus, quia omnipotens est. Ideo in Deum Patrem omnipotentem credimus*.

XLIII. Secundum motivum est, *Divinæ providentiæ* contemplatio. Hæc enim apertissimè in Sacris insinuatur litteris, & ut innumera pene loca omittam, unum, vel alterum seligam. Prov. 15. v. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur malos, & bonos*. Quibus verbis utitur Salvianus *l.2. de gubernatione Dei* ad probandum id, quod prius dixerat, nempè: *Ecce habes præsentem, ecce intuentem, ecce in omni loco curam, ac provisione vigilantem: idcirco enim & bonos ab eo considerari, & malos dixit, ut probaret scilicet, nihil ab eo negligi, quem ostenderet universa rimari*. Psalm. 33. v. 16. *Oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala: ubi intelligis generalem esse in omnes*, inquit idem Salvianus, *Domini visionem; Neque enim*, prosequitur S. Joannes Chrysostomus homil. de Paralytico sub finem, *res creatas tantum produxit Deus, sed & productas ipsas continet.... sive, ut semel dicam, omnia ipsius providentia perfruuntur*. Et revera, quis operator negligat operis sui curam? Inquit D. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 13. *Quis deserat, & destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? Cum aliquid non fecisse nulla injusti-*

tia

tia sit; non curare quod feceris, summa inclementia. Quam rationem exemplificat, atque adducit etiam Nemesius lib. de Natura hominis cap. 43. dicens: *Necesse est autem, eumdem esse, qui res efficiat, & effectis provideat. Neque enim rectum est, nec decet alium efficere, alium ea quæ effecta sint, procurare. Nam hoc quidem certè imbecillitatis est; multa sunt etiam in animalibus simulacra, & imagines eorum, quæ diximus: Quidquid enim genuit, cibum quoque fœtui procurat. Et homo etiam de cæteris omnibus, quæ ad vitam degendam spectant, quoad ejus fieri potest, prospicit; quæ verò non provident, ob imbecillitatem non provident.* Quare projicite ò energumeni *omnem sollicitudinem vestram in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis,* ut loquitur D. Petrus Epist. 1. cap. 5. v. 7.

XLIV. Alterum motivum est contemplatio infinitæ *Dei bonitatis*, ex qua sequitur *misericordia. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Psalm. 24. v. 10. *Diligit misericordiam, & judicium, misericordia Domini plena est terra.* Psal. 32. v. 5. *Domine in Cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Psalm. 30. v. 6. *Deus meus misericordia ejus præveniet me.* Psalm. 58. v. 11. *Et misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Psalm. 22. v. 6. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* 2. Corinth. cap. 1. v. 3. Et quamvis etiam Dei justitia infinita sit, magis tamen misericordiam exercet, quam justitiam. Psalm. 144. dicitur v. 9. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et Ecclesia canit: *Deus cui proprium est misereri semper, & parcere.* Hinc S. Hilarius in Psalm. 144. super illud: *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt,* scribit: *Habet Dei*

justi-

justitia miserandi voluntatem .... Hoc in Deo præcipuum, hoc in potente laudandum .... misericordem esse, qui justus est; miserantem esse, qui rex est; dissimulantem esse, qui Deus est.

XLV. Præterea Deus Pater noster est: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Deuter. 32. v. 6. & Malachiæ 2. v. 10. *Nunquid non Pater unus omnium nostrum?* Singulariter verò Deus est Pater Christianorum, qui non acceperunt *spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.)* Hanc enim *charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Ad Rom. 8. v. 15. & 1. Joannis 3. v. 1. Quare redire debet energumenus ad Patrem cum Filio prodigo dicens: Luc. 15. v. 18. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Qua spe, qua fiducia, qua confidentia?* Interrogat S. Petrus Chrysologus, statimque respondet *serm. 2.* de duobus Filiis prodigo, & frugi: *qua spe? Illa, qua Pater est. Ego perdidi quod erat Filii: Ille quod Patris est non amisit. Apud Patrem non intercedit extraneus: intus in Patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat affectus. Urgentur Patris viscera iterum Filium genitura per veniam.*

XLVI. Ultimum tandem motivum, quod gignere potest fiduciam pro vexati liberatione, est contemplatio *veracitatis, seu fidelitatis Dei* in suis promissis, & hæc omnino requiritur, quia ut ait D. Augustinus tract. 34. in cap. 8. Joannis: *Quis auderet sperare, quod Deus non dignatus esset, vel polliceri vel dare?* Hæc igitur consideratio erui poterit ex his quæ habentur Numerorum 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ad Romanos 3. v. 4. *Est autem Deus*

verax; omnis autem homo mendax. Ad Hebræos 6. v. 18. *Eſt impoſſibile mentiri Deum.*

XLVII. Sed ubinam ſunt, inquies, Divinæ promiſſiones de energumenorum liberatione? Audi Matthæum 7. v. 7. & 8. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.* Similia habentur Lucæ 12. v. 9. & 10. Matthæi 21. v. 22. *Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Marci 11. v. 23. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare; & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia, quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis;* ubi *montis nomine*, inquit Beda lib. 3. Commentar. in hunc locum Marci, *nonnumquam diabolus ſignificatur.* Et tandem Joannis 15. v. 7. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* Hujuſmodi promiſſionibus plena ſunt Divina eloquia; (*V. Commentarium Tituli num.* 24.) Hinc Deus *Debitor factus eſt*, inquit D. Auguſtinus ſerm. 158. alias 16. de Verbis Apoſtoli. Rom. 8. *non aliquid a nobis accipiendo, ſed quod ei placuit, promittendo.... Bonitas enim ejus, qui promiſit, dabit, ne in malitiam fides convertatur; qui enim fallit, malus eſt.*

XLVIII. Et licet aliqui fructum harum promiſſionum non ſint adhuc experti, audiatur quid iſtis reſpondeat S. Auguſtinus ſerm. 38. alias 245. de Tempore, de Verbis Eccl. 2. *Senti*, inquit, *quoniam qui promiſit, verax eſt, nondum oſtendit, quia nondum eſt tempus ut oſtendat: multa jam tamen oſtendit: Chriſtum ſuum promiſit,*

& dedit: resurrectionem ejus promisit, & dedit: evangelium suum promisit, & dedit: tribulationes ipsas, & aggeres calamitatum in rebus humanis prædixit, & ostendit. Quanta sunt, quæ restant? Implentur, quæ promissa sunt; implentur, quæ prædicta sunt, & titubas ne non veniat quod restat? .... lege, vide, quia omnia, quæ vides prædicta sunt: & crede te visurum esse quod nondum venit, numerans quanta venerunt. Tu autem videndo Deum ostendere, quæ prædixit, non credis daturum esse quod promisit? Ibi credere debes, ubi turbari cœpisti.

XLIX. His motivis perspicuè penetratis, excitabitur illa fiducia, qua mediante obsessus victoriam planè consequetur. Sed advertatur id, quod 1. Jo: 3. scribitur: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & quæ sunt illi placita, coram ipso facimus.* „ Hic jam (inquit „ noster Illustriss. Capitonius *explicat.* 17. *part.* „ 2.) clarè cernitur, quam vana sit illa fiducia, „ quæ in misericordiam Dei reposita, neque a „ peccatis cessat, neque præcepta Dei observat; „ ait enim: *Si cor nostrum non reprehenderit* „ *nos, fiduciam habemus ad Deum.* Tunc verò „ reprehendit nos cor nostrum, quando in pec„ catis viventes, præceptorum Dei obliviscimur. „ Hæc quæ exposuimus motiva nedum a vexato, sed & ab Exorcista contemplari debent, cum utrisque fiducia necessaria sit.

Cum omni humilitate.

L. *Umilitas enim*, inquit D. Ambros. *de Officiis Ministrorum* lib. 2. cap. 14 *gratiam auget.* Supplicans igitur, coram Divina Majestate se deprimat, seque pulverem, imò nihil esse co-

gnoſcat, dicatque: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis.* Geneſ. 28. v. 27. Enim vero *Oratio humiliantis ſe nubes penetrat.* Eccl. 35. v. 21. *& odit pauperem ſuperbum. Omnes enim*, ait D. Auguſtinus ſerm. 83. alias 15. de Verbis Domini: *Quando oramus, mendici Dei ſumus, ante januam magni Patris Familias ſtamus, imò etiam proſternimur, ſupplices ingemiſcimus, aliquid volentes accipere, & ipſum aliquid ipſe Deus eſt.* Hac humilitate impetrabit energumenus quæ petit, juxta Domini oraculum, Iſajæ 66. v. 2. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritum, & trementem ſermones meos?* *Quare*, ait S. Auguſt. enarrat. 2. in Pſalm. 29. *geme, & clama. Propinquat tribulanti, qui deſeruit ſuperbientem: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Igitur *cum omni humilitate ſalutem depoſcat* vexatus, ſupplexque clamet cum Propheta: *Ego verò egenus, & pauper ſum: Deus adjuva me.* Pſalm. 69. v. 6.

Et cum vehementius vexatur, patienter ſuſtineat.

LI. Exemplo Job, qui percuſſus a Satana *ulcere peſſimo a planta pedis, uſque ad verticem ejus*, ajebat: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Cap. 2. v. 7. & 10. & Jacobi habetur c. 5. v. 10. & 11. *Exemplum accipite, Fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ; Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator*; cum prius dixiſſet cap. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes*

nes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur , patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti , & integri , in nullo deficientes.

Nihil diffidens de auxilio Dei.

LII. *Fides namque* , ait D. Augustinus in Enchiridio cap. 117. *impetrat , quod lex imperat. Postulet autem* , ait D. Jacobus in sua Epist. cap. 1. *in fide , nihil hæsitans ; qui enim hæsitat , similis est fluctui maris .... non ergo æstimet homo ille , quod accipiet aliquid a Domino* . Confer quæ diximus supra de fiducia num. 38. *& seqq.*

Habeat præ manibus, vel in conspectu Crucifixum.

LIII. Si enim figura Crucis tantæ est efficaciæ adversus dæmones , ut ostendam infra in Commentario Documenti XI. *num.* 12. & seqq. quantæ majoris virtutis contra diabolum erit Crucifixi imago ? Primò , quia *figura Crucis , nulla parte similis est corpori ejus* , scilicet Christi . Secundò , quia *Imago Christi primum , & sine medio statim , & primo congressu speciem ejus indicat , & memoriam affert , siquidem eum , qui effigiatus est in ipsa effigie tamquam in speculo spectamus. Crux autem non hoc facit.* Tertiò , *Crux simplicem quodammodo , & sine varietate nobis passionem repræsentat .... Sacræ verò Imagines non solum passionem variant , & subtilius describunt , sed etiam .... quæ Christus fecit , latius , & clarius nobis exprimunt.* Quartò *Crux passionis symbolum est , modum , quo qui passus est , passionem sustinuit , in ænigmate significat .... Ima-*

go..... *ipsum Christum nobis designat*. Quintò; *nomen Christi hononyme de Imagine Christi praedicatur. Christus enim vocatur ipsa imago, sicut vocatur Rex, ipsa imago Regis: de Cruce autem non potest praedicari; nemo enim cordatus, crucem ullo modo apellabit Christum*. Sextò tandem: *Quod alicujus causa factum est, inferius est eo, propter quod factum est: Si igitur Crux propter Corpus Domini facta est, necesse est ut in figuris horum, Corporis scilicet Christi, & carnis ejus inferiores partes ferat figura Crucis*. Ita ad rem nostram discurrit S. Nicephorus Patriarca Constantinopolitanus opusc. *de differentia Imaginis Christi, & Crucis*. Et exemplo suo id ipsum confirmat S. Godricus Eremita; legitur enim in ejus Vita cap. 2. penes Bollandianos Continuatores *die 21. Maii*, quod cum Sanctus a dæmone ei apparente infestaretur „ Imaginem Salvatores sci„ licet, & Crucifixi, & B. Mariæ, & Joannis „ Evangelistæ, venerabiles, suæ Crucis assistri„ ces in membrana depictas de sinu protulit, & „ seductoris ori festinanter obtulit. At ille tan„ tæ virtutis impatiens..... evanuit. „

Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi possint decenter, ac tutò colligatæ, & coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur.

LIV. B. Victor Papa III. *lib. 2. Dialogor. in Biblioth. PP. tom.* 18. narrat, quod quidam Adolescens a dæmone correptus, intercessione S. Mauri Abbatis in monte Cassino liberatus est, *cujus Reliquias*, inquit, *Fratres, qui cum eodem obses-*

obsesso in Ecclesia remanserant, super pectus ejus, magna cum devotione, ac spe posuerant. Et Baron. *ad ann. 713. num. 7. & seqq.* loquens de illa energumena, de qua sermonem fecimus in Commentar. Document. III. num. 14. *in Notis ad signum* 29. prosequitur, ex MSS. Biblioth. Vallicellanæ: „ Tunc sunt reliquiæ venerabilis Martyris Anastasii (id est caput ejus) positæ super „ Altare. Petiit insuper Episcopus ab ipso Abbate, ut ex eo aliquam modicam portiunculam acciperet, & appenderet ad cervicem Filiæ suæ. Fecit Abbas, & unum dentem acceptum appendit ad collum ejus..... elicientes „ caput Beati Martyris de paropside argentea, „ imposuerunt super caput puellæ. „ Non vacat hic immorari ad ostendendam utilitatem hujus moniti; ferè enim nomina omnium Sanctorum, quæ in Martyrologiis enunciantur repetenda forent, si tantum indicare vellemus eos, ad quorum Sepulcra energumeni fuerunt liberati: Quare, omissis historicis monumentis, unum, vel alterum Patrem exhibebimus. S. Justinus Martyr quæst. 18. ad Orthodoxos: *Sanctorum corpora*, inquit, *& Sepulcra Martyrum damonum amoliuntur insidias.* Basilius Magnus orat. in 40. Martyres, loquens de reliquiis ipsorum per totam regionem dispersis, ait: *Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quadam turres, contra adversariorum incursum, refugium exhibent.* D. Gregorius Nazianzenus, *Jambico* 18. quod est *de virtute*, loquens de Sanctorum reliquiis, hæc habet.....*quid febres, ac damones*

Mirum hinc fugatos in modum recenseam?
Quin & sepulcra sacra, ubi olim corpora
Jacuere, pravos spiritus pellunt procul.

D. Joannes Chrysostomus, *sermone de virtutibus, & vitiis*, postquam dixit, quod *Pau-*

li vestes morbos fuderunt, Petri umbra mortem fugarunt, statim subdit: *Sanctorum martyrum cinis improbos dæmones expulit*. S. Ambrosius lib. 10. Epistol. 22. *editionis PP. S. Mauri*, quæ est de inventione Corporum SS. Gervasii, & Protasii, loquens de eorum Reliquiis, scribit: *Cognovistis, imò vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos*. D. Hieronymus lib. adversus Vigilantium, cap. 4. ait: *Spiritus est immundus qui hæc te cogit scribere: sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere*, (nempe cineribus Sanctorum Martyrum) *imò hodieque torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur*. Et tandem D. Augustinus Epist. 78. *alias* 137. inquit: *Nam & nos novimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, & terribiliter dæmones confitentur, &c.*

LV. Ubi verò non possint haberi Reliquiæ, poterunt adhiberi cereæ formæ, quæ *Agni Dei* dicuntur; hi enim *Agnum pro nobis factum immaculatum designant*. Scribit Alcuinus Flaccus, *de Sabbato Sancto*, postquam dixerat, quod Fideles *ex eis in domibus suis faciunt accendi incensum ad fumigandum pro quacumque necessitate*; unde ne dum ob id, quod repræsentant, sed etiam ob benedictionem, & consecrationem vim habebunt etiam in necessitate energumenum liberandi a dæmonis vexatione: quod expresse docuit Urbanus V. dum hujusmodi Agnos cereos ad Imperatorem Constantinopolitanum misit, inter alia hæc scribendo:

Morte repentina servat, satanaque ruina:
Si quis honoret eum, retinet super hoste trophæum;
Parsque minor tantum tota hic valet, integra quantum.

Hæc Pontifex apud P. Macedo Schola 12. cap. 8. de Sacramentalibus.

San-

Sanctiſſima verò Euchariſtia ſuper caput Obſeſſi, aut aliter ejus corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

LVI. In Vita S. Bernardi Clarevallenſis Abbatis *l.* 2. *cap.* 3. Auctore Guillelmo Abbate, legitur, Sanctum virum in expulſione dæmonis a quadam muliere, Euchariſtiam capiti ipſius impoſuiſſe; ſic enim ſcribit: „ Expleta Oratione „ Dominica, efficacius hoſtem aggreditur vir „ Beatus. Patenæ ſiquidem Calicis ſacrum Do„ mini corpus imponens, & mulieris capiti ſu„ perponens, talia loquebatur: Adeſt, inique „ ſpiritus, judex tuus, adeſt ſumma poteſtas. „ Jam reſiſte, ſi potes. Adeſt ille, qui pro no„ ſtra ſalute paſſurus. Nunc, inquit, princeps „ hujus mundi ejicietur foras. Hoc illud cor„ pus, quod de Corpore Virginis ſumptum „ eſt, quod in ſtipite Crucis extenſum eſt, quod „ in tumulo jacuit, quod de morte ſurrexit, „ quod videntibus diſcipulis, aſcendit in cœlum. „ In hujus ergo majeſtatis terribili poteſtate, „ tibi, ſpiritus maligne, præcipio, ut ab hac „ Ancilla ejus egrediens, contigere eam dein„ ceps non præſumas. Cumque eam invitus de„ ſerens, & manere ultro non valens, atrocius „ afflictaret, tam magnam iram, quam modi„ cum tempus habens; rediens Pater Sanctus „ ad Altare, fractione hoſtiæ ſalutaris ritè „ complevit, diffundendamque in populum pa„ cem miniſtro dedit, & confeſtim pax, & ſalus „ integra reddita eſt mulieri.„ Et *c.* 10. narrat, hominem a dæmone vexatum adductum fuiſ-

ſe

se ad S. Abbatem, qui cum eum vidisset „ Vehe-
„ menter indignans antiqui hostis malitiam, tan-
„ tum sibi in Christianum hominem usurpasse,
„ vocans duos è fratribus, ante sanctum Altare
„ jussit hominem deportari, ibique superpo-
„ sito capiti ejus vasculo Eucharistiam conti-
„ nente, in ipsius Sacramenti virtute, à læsione
„ Christiani jubet dæmonem prohiberi. Factum
„ est, ut præcepit, & miserum hominem, post
„ tantos cruciatas fides perfecta perfectè reddi-
„ dit sanitati. „ A qua tamen praxi ab hodiernis Exorcistis abstinendum omnino est, tum ob præscriptum Ritualis nostri, tum quia ab ipsis forte non adeo facilè arceri potest *irreverentiæ periculum*, sicut S. Abbas de isto non metuebat.

LVII. Et quia hic sermo est de Eucharistia super energumenos amovenda, non abs re erit Exorcistam monere, ut caveat ne Hostia non consecrata utatur ad dæmonis obsidionem explorandam; hoc enim illicitum omninò est. Ratio desumitur ex D. Augustino, qui Enarrat. *in Psalm.* 98. explicans illud: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*; intelligit Eucharistiam; deindeque subdit: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* Hinc D. Thomas 3. parte q. 80. art. 6. ad 2. ait: *Hostia non consecrata, nullo modo debet dari loco consecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolatrare illos, qui credunt esse hostiam consecratam, sive alios præsentes, sive etiam ipsum sumentem.* Et quodlib. 5. q. 6. art. 2. ad 3. *Peccat*, inquit, *Sacerdos fictionem faciens in Sacramento Christi.... Sacerdos gravius peccaret fictionem faciens in Sacramento veritatis.* Quæ rationes utique militant, etiamsi obsessus hostiam non consecratam non sumeret, sed tantum illa Exorcista uteretur ad explo-

ran-

randam dæmonis præſentiam. Hinc non imitandum exemplum illius Exorciſtæ, de quo legitur in Conſtitutione Canonizationis S. Homoboni Cremonenſis, ab Innocentio III. exarata anno 1198. „ Dum enim quædam dæmoniaca mulier ad ſepulcrum ejus, (*Sancti ſcilicet Homoboni*) deducta fuiſſet, ne aliqua fraus lateret, eadem primo fuit aqua non benedicta reſperſa: quæ ſe patienter aſpergi permittens, aquam ſecundo reſpuit benedictam. Et ut res evidentiori experimento pateret, oblatam non conſecratam abſque aliqua præſcientia ſibi recipiens præſentatam, Euchariſtiam conſecratam ſubſequenter abhorruit, nec recepit. „

DOCUMENTUM IX.

EXorciſta ne vagetur in multiloquio, aut ſupervacaneis, vel curioſis interrogationibus, præſertim de rebus futuris, & occultis ad ſuum munus non pertinentibus: ſed jubeat immundum ſpiritum tacere, & ad interrogata tantum reſpondere, neque ei credatur, ſi dæmon ſimularet ſe eſſe animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

SUM-

SUMMARIUM.

1. QUale peccatum ſit de vanis, & curioſis dæmonem interrogare, indicatur; & num. 2.

3. Refertur exemplum a P. Brugnolo de quodam, qui magiſterio dæmonis utebatur;

4. Sed refellitur, quia veritatem non continet; uſque ad num. 17.

18. Quatuor genera futurorum explicantur, & an a dæmone cognoſci poſſint, reſolvitur; ad n. 21.

22. Quomodo nonnumquam dæmones futura prædicant: ad num. 27.

28. Imperandum eſt dæmoni, ut taceat,

29. Et ad interrogata tantùm reſpondeat:

30. Nec ei credendum eſt, ſi dicat ſe eſſe alicujus animam, vel ſpiritum bonum. Et num. 31.

32. Afferuntur rationes, quare hoc mendacio non infrequenter diabolus utatur.

33. Aliquando dæmon ſe eſſe Angelum bonum, vel animam alicujus Sancti ſuadere conatur, & quare.

COMMENTARIUM.

Exorciſta ne vagetur in multiloquio, aut ſupervacaneis, vel curioſis interrogationibus.

I. IN his namque ſemper eſt aliquod peccatum, quamvis a mortali excuſet imperfectio actus, ſcilicet quando etſi actus ſit perfectè humanus, non tamen perfectè habet rationem actus ſocialis cum dæmone. Ita Cajetanus *in 2. 2. quæſt. 90. art.* 1. relatus ibidem a Sylvio.

II. Et

II. Et ut melius hæc doctrina intelligatur, tenendum est in primis, peccare mortaliter, qui longos, & inutiles sermones cum dæmone obsidente habet; quia jam hoc esset cum eo amicitiam inire, cum tantùm cum amicis ita familiariter agamus. Secundò, lethaliter peccare qui hanc, vel illam rem a dæmonio, media interrogatione, addiscere vult: etenim hoc est beneficium aliquod ab eo expectare, quod certè superstitiosum est. Tertiò, si adsit periculum, quod dæmon occulta delicta prodat, quia graviter tenemur infamiam proximi vitare. Quartò, si quis ea interroget non coactivè, sed deprecativè, quia hoc esset discipulus ejus fieri, & humiliter illi subjici, quod illicitum est. Deinde tenendum est, quod si coactivè, & imperativè hanc, vel illam rem vanam, & inutilem a dæmone interroget, tantùm committere peccatum veniale curiositatis; sed notandum est, quod hos communes actus exercere possumus cum diabolo, vel tanquam cum hoste, vel tanquam cum socio, seu cum non hoste. Primo modo, nullum est peccatum, quia sic agimus contra eum compellendo, vel exorcismis, vel Divina virtute, ut ab obsessis exeat. Secundò modo, quandoque est mortale, quandoque est veniale; est mortale, si cum eo amicitiam inimus, aut actum perfectè socialem habemus; est verò tantum veniale, quando actum imperfectè socialem cum eo gerimus. Notandum secundo, quod actus socialis cum dæmone & potest esse perfectus, & imperfectus; actus socialis perfectus, est uti voluntaria dæmonis confabulatione, servitio, doctrina, & similibus, quia hæc sunt munera propria socialis vitæ. Actus verò socialis imperfectus est, si quis ex levitate, aut curiositate, non credens se in hoc

Divi-

Divinam majeſtatem offendere, cum dæmone caſu occurrente in aſſumpto corpore, vel arreptitio, per modum tranſeuntis, loquitur, inquirit curioſa, exigit aliquid vanum ab eo fieri, puta movere lapidem &c. In his enim actibus, licet ſit perfectè ratio humani actus, non tamen eſt perfecta ratio ſocialis. Sic explicatur noſtra doctrina ex Cajetano deſumpta, loco ſupra citato.

III. Actum ſocialem perfectum habuiſſe cum dæmone quemdam Puerum, ſuumque Magiſtrum, quia videlicet doctrina, & diaboli magiſterio uterque utebatur, narrat P. Candidus Brognolus *part. 2. Alexicac. cap. 2. ſect. 1. §. 6. nu. 267. pag. 142. Editionis Venet. 1714. apud Pezzana*. Ibi enim, poſtquam ſcripſit, quod ſcientia ope dæmonis acquiſita evaneſcit, cum quis relicto diabolico magiſterio ad veram lucem pervenit, ſtatim ſubdit: „ Hoc eveniſſe in comperto eſt Romæ anno Domini 1647. dum ibi commorabar. Pervenit illuc quidam puer annos circiter octo ætatis habens cum ſuo Magiſtro Religioſo cujuſdam Religionis, quos ego vidi: qui quidem puer publicas theſes propoſuit diſputandas, continens (*fortè* continentes *legendum eſt*) totam Philoſophiam, ac Theologiam univerſam D. Thomæ, quas dicavit ſummo Pontifici felicis recordationis Innocentio X. eaſque publicè defendit in Eccleſia Minervæ, præſentibus multis Cardinalibus, Epiſcopis, Prælatis, Theologis, Religioſis, ac cujuslibet conditionis, ac ſtatus hominibus, qui omnes hujuſmodi puerum ut prodigioſum admirabantur, poſt quarum defenſionem multis a Cardinalibus denariis acceptis, una cum ſuo Magiſtro è Roma honorificè diſceſſit. At cum Lauretum perveniſſet, & quidam Prælati in

„ ma-

„ magnam Eccleſiam Lauretanam eum adduxiſ-
„ ſent, obſervarunt, quod nec aqua benedicta fron-
„ tem abſterſit, nec ſigno Crucis Chriſtianorum
„ more ſe munivit, at tandem dum in Sanctiſſi-
„ mam Ædiculam beatiſſimæ Virginis introducere
„ vellent, illicò dæmon illum ſe poſſidentem pro-
„ didit voces clamoroſas emittendo; Magiſter ve-
„ rò illius aufugit, qui cum a Miniſtris Sanctæ In-
„ quiſitionis quæreretur, ſeipſum voluntariè ex
„ alta turri præcipitem dedit. Puer verò dæ-
„ moni abrenuntias, totam illam ſcientiam a dæ-
„ mone infuſam amiſit, ac priſtinæ ignorantiæ
„ reſtitutus in quodam Conventu piorum Re-
„ ligioſorum incluſus ſub Magiſtro Catholico,
„ ac pio educatus vitam in melius commutavit.
„ Ex quo patet, quod illius pueri ſcientia in
„ publica Eccleſia Minervæ patefacta non fuit
„ habitus acquiſitus, vel infuſus, ſed potius
„ dæmonis illuſio, ſeu fanatica conſperſio, at-
„ que infectio.„ Hucuſque Pater Brognolus.

IV. Verum hic, alias clariſſimus Scriptor vel labitur, vel imponit; & cum Puer, de quo hic ſermo eſt, fuerit Jacobus Martini Modaneſi Butrienſis, Magiſter verò ejus P. Joannes Baptiſta Mezzetti, pariter de Butrio ditionis Bononienſis Inſtituti noſtri Servorum B. M. V. in ſacra Theologia Magiſter, & in Felſinea Univerſitate Doctor Collegiatus, hinc in gratiam tanti Viri, & multò magis in obſequium veritatis, aliquantis per digreſſionem facere, & brevem Apologiam texere cogor.

V. Et licet verum ſit, hunc Puerum adhuc ſeptennem Romæ anno 1647. coram inſigni Virorum Illuſtrium, & Eccleſiæ Procerum, & maximè S. R. E. Cardinalium, qui numero undecim fuere, diebus Pentecoſtes, & SS. Trinitatis ſumma omnium admiratione honorificentiſ-

ſimè

sime Professoris ad instar plures Conclusiones propugnasse ; attamen has non in templo *Minervæ*, sed in Ecclesia S. Marcelli nostri Ordinis publicè, plausibiliterque defendit.

VI. Licet verum sit propositisse Theses disputandas, totam Philosophiam ac Theologiam universam continentes ; non tamen has solas, nec ad mentem *D. Thomæ*, sed Conclusiones propugnavit ex Grammatica, Rhetorica, Logica, Physica, Metaphysica, Ethica, Polytica, Theologia, S. Scriptura, Medicina, & Jurisprudentia, pluribus indiscriminatim (pro ut lubebat, & dato omnibus arguendi loco) argumenta in oppositum producentibus, inter quos P. Sfortia Pallavicinus Soc. Jesu insignis Theologus, postea S. R. E. Cardinalis. Insuper quosdam miscellaneas Theses exposuit ex variis disciplinis, & Nationum Characteribus depromptam; nempe disceptavit de Charactere Syrarmeniaco, Arhtorabnico, Maronitico, Brachmanico, Sabæo, Ægyptiaco, Æthiopico, Indico, Græco, Chaldaico, Hæbraico, Armeno, Scythico, Arabico, Syriaco, Saraceno, & Turcico.

VII. Licet verum sit è Roma *honorificè*, id est magna proprii nominis fama, cum Magistro suo discessisse, tamen verum non est, *multis donariis acceptis* iter suscepisse ; nam si de Magistro loquamur, hic post tot itineris, Typographi, & Inciforis, aliorumque expensas, post tot vigilias, labores, incommoda videns se præmio, & spe præmii orbatum, in tantam animi tristitiam devenit, ut pene extra se videretur, & esset. Ex hac porro spiritus gravissima amaritudine factum est, ut inopinato casu mortem obiret anno sequenti, non quod a *Ministris S. Inquisitionis quæreretur*, ut melius infra videbimus. Si verò sermo sit de Puero, adeò pau-

per

per ab Urbe discessit, ut eodem pariter sequenti anno, nempe 1648. dum Habitum nostrum induere cogitaret, coactus fuerit Eminentissimus Cardinalis Sachettus Ordinis Protector, per suas litteras *die* 30. *Maii* anni prædicti datas, Patres Conventus nostri Servorum de Bononia hortari, ut eumdem reciperent sola medietate modicæ pecuniæ contenti, quæ pro victu anni Probationis, sive Novitiatus tradi consuevit, *in riguardo*, ait Cardinalis, *della sua povertà*. Ad summum (si verum est, quod fama refert) ejus Pater Cellæ vinariæ Lauretanæ custos electus fuit, ut illius ministerii annuo parvo censu posset suum Filium aliquo modo providere, maximè in scientiis eo magis acquirendis. De hoc tamen nihil scriptum habemus.

VIII. Reliqua, quæ adducit P. Brognolus, impostura profectò redolent. In primis constans firmaque traditio est, quod Jacobus noster *Lauretum non perrexerit*, sed Florentiam, deinde Pisas recto tramite adierit a Magno Etruriæ Duce, & a publicis Pisanæ Universitatis Artium Professoribus expetitus, ut hoc Millenarium, & penè monstruosum ingenium perbegnissimè intuerentur.

IX. Sed dato etiam, quod sacram Ædem invisisset; quo fundamento prædictus Auctor scribit, *quod nec aqua* benedicta frontem abstersit, nec signo Crucis Christianorum more se munivit? Quosnam testes adducit? Prælatos? Quinam fuere? Quis hos numeravit? Quis hoc scriptis mandavit? Si Cathedram Romæ ascendit, profectò de more hoc saluberrimo signo frontem suam signavit.

X. Præterea si dæmonis arte scientias didicit, quomodo Magister ejus patientia, studio, assiduitate, labore ipsum disciplinis imbuisset?

Quomodo graves ei minas intentaſſet, ad ipſum uſque per feneſtram projiciendum, ſi Lectionibus improbo labore non incubuiſſet? Primum conſtat ex teſte de viſu, qui id ſcriptum in uno ex Documentis infra citandis reliquit. Secundum ex teſte de auditu omni exceptione majore, & in dignitate conſtituto, qui ſacro juramenti vinculo fatetur ſe id audiviſſe a quodam noſtri inſtituti Profeſſore, qui & ipſe una ſimul cum Jacobo noſtro diſcipulus P. Mezzetti erat. Certè quod diaboli miniſterio diſcitur, aut traditur, non tanto labore, & arte traditur, vel diſcitur.

XI. Quomodo & Adoleſcens, & Magiſter ejus in ſchemmate ſuarum Theſium poſuiſſent inſculpta ſacræ Paginæ verba: *Laudate pueri Dominum, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini*; & hæc alia: *hæc eſt autem vera ſapientia noſſe te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum*; & alia: *Non nobis Domine, non nobis*; & *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*. Et rurſus: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum*; & *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax*. Et tandem: *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis*.

XII. Profecto P. Magiſter Mezzettus vir erat non modicæ pietatis, ut ipſi tale quid imponere, mera calumnia videatur; nam præter dicta, quæ ipſum virum catholicum, humilem, timentem Deum clarè demonſtrant, certum eſt, animarum ſalutem, & verbis, & ſcriptis procuraſſe; ipſe enim & Evangelium publicè prædicavit, & documenta catholica publici juris fecit, ad Chriſtianorum utilitatem. Adhuc inviſitur Liber in 16. cui titulus eſt: *Affetti pietoſi, ne' quali giornalmente dovrebbe eſercitarſi ogni Criſtiano. Operetta del P. Fr. Gio: Battiſta*

Mez-

Mezzetti dell' Ordine de' Servi di M. V. Profeſſore di Theologia nel pubblico Collegio di Bologna, ed al preſente Predicatore ne' Servi di Bologna. Hunc Libellum edidit Bononiæ Typis Jacobi Monti anno 1644. eodem ſcilicet tempore quo Jacobum ſcientias docebat, cum incœperit ipſum inſtruere anno 1643. *nel timor di mio*, ut ait teſtis de viſu infra citandus *num.* 17.

XIII. Deinde Butrii ſub Porticu Conventus, & Eccleſiæ Parochialis S. Laurentii Ordinis Noſtri, adhuc ſequens Elogium inviſitur.

Hic
Imago virtutum clauditur.
P. M. Jo: Bapt. Mezzettus a Butrio Cœnobii Filius,
Patriæ decus.
Viator: excellens in arte mori non debet
Ornatu linguarum omnium,
Scientias parvulo ſeptenni tanta facilitate dictavit,
Ut Romæ certamini publico expoſitas
Tribus diebus in Ædibus S. Marcel. Ord. Ser. B. M. V.
Anno Domini MDCXLVII.
Nova Urbis, & Orbis admiratione probaverit.

Porrò ſi a *Miniſtris S. Inquiſitionis* ob commercium cum diabolo quæſitus fuiſſet, Butrii planè non ſe recepiſſet, ubi in Conventu PP. inclytæ S. Dominici Familiæ S. Tribunal erectum eſt, nec ibi impunè, pacificè, & liberè cum ſuo diſcipulo moratus fuiſſet, ut videbimus infra num. 15. neque præfatum etiam nunc exiſtens Elogium S. Officium aut tum permiſiſſet, aut nunc toleraret.

XIV. Sed ad noſtrum Jacobum redeamus, & obſervemus, an *Puer damoni abrenuntiaverit*, an *totam illam ſcientiam a damone infuſam amiſerit?* Poſt ſomniatum Lauretanum iter, adhuo Urbi, & Orbi admirationi erat; nam præter ſupra dicta num. 8. pluribus aliis in locis in-

genii ſui, atque ſuæ doctrinæ præclara ſpecimina exhibuit. Inſuper die 8. Junii anni 1648. unanimi PP. conſenſu in Cœnobio Servorum Bononiæ receptus fuit ad Religionis Habitum, tamquam ejuſdem Conventus Alumnus, urgente potiſſimùm Eminentiſſimo Cardinali Sachetto per Litteras jam ſupra laudatas, valdè honorificas, habilitatem, ingenium, ſcientiam commendantes, licet hoc executioni demandatum non fuerit, propter obitum proximè ſecutum ejuſdem Pueri, ejuſque Magiſtri. Porrò, ſi ſuſpicio fuiſſet tunc de actu ſociali cum dæmone habito, factum ne fuiſſet ut Patres noſtri ipſum in Fratrem, & Filium acceptarent? Prædictus Cardinalis ipſum ne commendaſſet! Abſit omninò.

XV. Obſervemus tandem, *an in quodam Conventu piorum Religioſorum incluſus ſub Magiſtro catholico, ac pio educatus vitam in melius commutaverit?* Hoc totum verum eſt; at quinam fuit Conventus piorum Religioſorum? profectò noſter Butrienſis. Quinam fuit Magiſter iſte Catholicus, ac pius? P. Magiſter Joannes Baptiſta Mezzetti. Audiatur præfatus Eminentiſſimus Cardinalis in pluries indicatis Litteris ſub die 30. Maii 1648. datis, atque incipientibus: *Se il Putto Giacomino che ſi trattiene preſſo il P. Mezzetti ha fatto onore alla Religione de' Servi fin ſotto l' ombra di eſſa, pare &c.* Quo nil clarius ad rem noſtram.

XVI. Sed ad radicem ſalcem imponamus. Non defuere quidem, qui Romæ vererentur de quodam hujus Pueri, & ſui Magiſtri cum nefariis ſpiritibus commercio; quapropter a ſacris Cenſoribus in Urbe ad examen noſter Jacobus vocatus fuit, ut ſuæ doctrinæ, & quomodo ipſa m aſſecutus fuiſſet, exactam rationem redderet. Verum ipſa rei veritate, & Pueri innocen-

tia

tia protegente, cenſura quacumque ſuperior, libere dimiſſus, a prælaudato Cardinali circumductus per Urbem fuit candido indutus habitu ad innocentiæ ſignificationem, & palmam manibus præferens ad indicandam victoriam de hoſtibus reportatam. Quam victoriam etiam nunc tum ipſe, tum ejus Magiſter referunt de Patre Candido Brognolo, qui eis tam falſa, tamque gravia verè, ſed non candidè impoſuit.

XVII. Et ne quis putet has vindicias me proprio marte, & ſine Auctore ſcripſiſſe, hæc omnia me decerpſiſſe ſciat ex Annalium noſtrorum *tom. 3. cent. 5. lib. 2. cap. 14.* poſtremæ Editionis Lucenſis Typis Mareſcandoli 1725. *ad ann.* 1648. Ex Libro, vulgò *Campione* exiſtent. in Archivo Conventus Servorum Bononiæ obſignato *num.* 7. rerum notabilium ejuſdem Cœnobii *fol.* 61. *tergo §.* 3. Ex altero ejuſdem Conventus Libro, vulgò *de' Partiti* ibidem exiſtente, obſignato num. 4. *fol.* 142. in quo præindicatæ Litteræ Cardinalis Sachetti per extenſum referuntur. Ex ſchemmate concluſionum, quas incidit Franciſcus Curtus Bononienſis, penes me exiſten. Et tandem ex Libro Theſium ejuſdem Pueri Romæ Typis Vitalis Maſcardi 1647. impreſſo. Parcat interim Lector, ſi fortè nimis in longum, ultra quam propoſueram, digreſſus ſum, & uſurpet illud Adagium: *Cicero pro domo ſua.*

Præſertim de rebus futuris, & occultis ad ſuum munus non pertinentibus.

XVIII. Quomodo occulta cognoſcere poſſit dæmon, vidimus ſupra in Comment. Documenti III. a num. 8. Quomodo verò futura, explicandum

est in præsenti. Quadruplicis generis sunt futura. Alia sunt, quæ habent causas necessarias, & eodem modo semper se habentes, ut cœlestium orbium conjunctiones, solis, ac lunæ defectiones &c. Hæc certò cognoscuntur ab Angelis, & dæmonibus, secundum usitatum, & ordinarium cursum. Tamen ita absolutè, & certò sciri non possunt, ut non secus evenire possint, arbitrio Creatoris; nam solem in medio cursu sistere jussit Josue, & ad Isaiæ, atque Ezechiæ nutum retrocessit.

XIX. Alia sunt futura, quæ naturales quidem causas habent, sed eas multas, & varias, quæ invicem fortuitò connectuntur, ut sunt cometæ, terræmotus, tempestates, ac venti: item morbi, & elementorum, ac corporum affectiones: tum quæ casu, ac fortuna evenire dicuntur, probabili ratione colliguntur a dæmonibus, & sæpè eos conjectura fallit; etenim supradicta non ratò prohibentur hominum precibus, meritisque Sanctorum, tum contra, aut præter ordinem conflantur, ut cum eadem a Prophetis immissa sunt ad Populorum supplicium, dicente D. Augustino de Divinatione dæmonum cap. 6. *Falluntur, quia cum suas dispositiones prænuntiant, ex improviso desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet.*

XX. Alia insuper sunt futura, quæ tota ex libera voluntate pendent, vel hujus impulsu geruntur extrinsecus. Hæc prorsus sunt ignota dæmoni, ut cogitationes liberæ &c. Ex quibus solis futura illa proficiscuntur. *Quis enim*, ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 2. v. 11. *hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*

XXI. Alia tandem sunt futura mixta, quæ sci-

ſcilicet ex libero, & neceſſario pendent, quorum efficiens cauſa eſt voluntatis arbitrium, ſed cum eo externa quoque concurrunt, ut aeris, & corporum qualitates, & quæ extrinſecus adjacent, magnamque vim habent ad commutandos, & quodammodo afficiendos hominum animos. Sic bella, ſeditiones, mores tum publici, tum privati, ac reliqua hujuſmodi, quorum origo magna quidem ex parte ad voluntates refertur hominum, ſed multum tamen ad ea conferunt habitus corporum, & locorum, ac cœli temperies, & alia hujuſmodi, quæ a corporibus in animos ſolent redundare. Hæc non certo præſentiunt dæmones, quamvis aliqua probabilitate divinare poſſint. Quare concludendum eſt cum D. Anſelmo lib. 1. Elucidarii cap. 9. *Futura neſciunt* (dæmones) *niſi quantum ex tranſactis colligunt, vel quantum Deus eos ſinit ſcire.*

XXII. Quomodo autem, his non obſtantibus, nonnunquam dæmones futura prædicant, dico primò: Ex ſyderum cœleſtiumque corporum contemplatione, ex conjecturis, & ſyderum influentiis, quas optimè norunt: *Nam*, inquit Tertullianus in Apologetico cap. 22. *habent de incolatu aeris, & de vicinia ſyderum, & de commercio nubium cœleſtes ſapere paraturas, ut & pluvias, quas jam ſentiunt, repromittant*, juxta tamen dicta ſupra *num.* 3.

XXIII. Secundò, experientia præteritorum. *Sicut medici*, ait D. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 17. *multa prævidendo etiam litteris mandaverunt, quæ ipſi experta notaverunt: ſicut denique agricolæ, vel etiam nautæ multa præmuntiant, ita dæmones plura prædicunt, quam homines, partim, quia ſubtiliori ſenſus acumine, ... partim experientia callidiore, pro-*

pter tam magnam longitudinem vitæ, ut ſcribit idem S. Doctor *lib.* 2. *de Geneſi cap.* 17. Quare, cum naturas omnium rerum, & animantium, hominumque propenſiones, & indoles accuratè calleant, quid ex iis tam ſingulis, quam invicem conjunctis effici, atque oriri conſuevit, intelligunt.

XXIV. Tertiò, futurorum notitiam dæmones percipiunt ſive ab Angelis bonis ea ſignificantibus, ſive a Prophetis: *Audiunt*, ait S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. cap. 17. *& aereæ poteſtates, ſive Angelis ea nuntiantibus, ſive hominibus, & tantum audiunt, quantum opus eſſe ille judicat, cui ſubjecta ſunt omnia*. Et Tertullianus in Apologetico cap. 22. *Diſpoſitiones etiam*, ait, *Dei, & nunc Prophetis concionantibus exceperunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt. Ita, & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes æmulantur Divinitatem, dum furantur divinationem.*

XXV. Quartò, futura prænuntiant aperiendo ea, quæ jam jam imminere alio in loco certo ſciunt: *Tanquam*, inquit Auguſtinus loco citato, *ſi quiſquam de montis vertice aliquem longè videat venientem, & proximè in campo habitantibus antenunciet*: etenim *omnis Spiritus ales eſt*, ut ſcribit Tertullianus loco prælaudato, *hoc, & Angeli, & dæmones*: *Igitur momento ubique ſunt. Totus orbis locus illis unus eſt. Quid ubi geratur tam facilè ſciunt, quam enunciant, velocitas divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur: ſic & auctores interdum videri volunt eorum, quæ annunciant.*

XXVI. Quintò: *aliquando iidem nefandi ſpiritus etiam quæ ipſi facturi ſunt, velut divinando prædicunt*, inquit S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Geneſ. ad lit. cap.* 17. quemadmodum, & accepta divinitas poteſtate lædunt primò, deinde remedia

media præcipiunt curioſa, ſive contraria, poſtque deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.

XXVII. Sextò videntur futura prædicere, ex reſponſorum ambiguitate. *Fallunt autem etiam ſtudio fallendi*, ait D. Auguſtinus lib. de Divinat. dæmon. cap. 6. *& invida voluntate, qua hominum errore lætantur: Sed ne apud cultores ſuos pondus auctoritatis amittant, id agunt, ut interpretibus ſuis, ſignorumque ſuorum conjectoribus culpa tribuatur, quando, vel decepti fuerint, vel mentiti.* Quod duobus exemplis oſtendit D. Hieronymus ad cap. 41. Iſaiæ propè finem: *Quod ſi aliquis*, inquit, *dixerit, multa ab idolis eſſe prædicta, hoc ſciendum eſt, quod ſemper mendacium junxerint veritati, & ſic ſententias temperarint, ut ſeu boni, ſeu mali quid accidiſſet, utrumque poſſet intelligi, ut eſt illud Pyrrhi Regis Epirotarum:*
Scio te Æacide Romanos vincere poſſe; & Cræſi: Cræſus trangreſſus Halym maxima regna perdet.
En quomodo de rebus futuris loqui poſſint dæmones. A quarum tamen interrogatione abſtinere Exorciſtam jubet Rituale noſtrum.

Sed jubeat immundum ſpiritum tacere.

XXVIII. Exemplo Chriſti Domini, qui ut habetur Marci 1. v. 25. *Comminatus eſt, ei dicens: Obmuteſce;* & iterum v. 34. *Non ſinebat ea loqui. Nos per hoc*, ait Victor Antiochenus, in hunc locum, *docere volens ne ullum omnino teſtimonium a damonibus recipiamus.* Hanc praxim ſecuti ſunt ſancti Dei homines, ut pluribus docere poſſem: verum unum, vel alterum ſufficiat. S. Leucius Epiſcopus Brunduſii cui-

dam

dam energumeno ipsi adducto statim ait: *Obmutesce spiritus diaboli*, & deinde eum liberavit, ut legitur in ejus Vita cap. 3. *penes Bollandum die* 11. *Jan.* S. Auxentius Archimandrita, „ imposita manu ejus capiti (*puellæ nempe obsessæ*) cum esset precatus, spiritum quidem „ non sinit loqui„ Vide quæ diximus in Comment. Documenti V.

Et ad interrogata tantum respondere.

XXIX. Interrogationes autem debent esse de rebus ad expulsionem dæmonis conducentibus, cum solum ad hunc effectum sit data Ecclesiæ spiritualis potestas, & consequenter etiam ad media conducentia ad hunc finem; unde Abulensis q. 60. in cap. 10. Matth. ait: *Potestas data Apostolis super dæmones, non fuit absoluta, itaut possent quidquid vellent super dæmones, sed solum ut possent eos ejicere.* Interrogationes autem sive utiles, sive necessarias assignat infra Rituale Nostrum Documento sequenti.

Neque ei credatur si dæmon simularet se esse animam alicujus sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

XXX. *Frequenter*, inquit D. Thomas 1. p. q. 117. art. 4. ad 2. *dæmones simulant se esse animas mortuorum;* & revera legitur in vita B. Ambrosii Sansedonii Ordinis Prædicatorum *apud Bolland. die* 20. *Martii*, quod quædam energumena„ cœpit cla-

„ clamare, & dicere, talis, & talis me cruciant, „ aliquos defunctos, secundum deceptionem, „ dæmonis, nominando. „ Et in Vita B. Ritæ de Cassia Ordinis Eremitarum S. Augustini *cap. 3. die 22. Maii* narratur: „ Quod quædam mulier, „ nomine Cassandra correpta a dæmone fuerat, „ fingente se spiritum esse Filii *sui* defuncti. Introduxerunt ubi corpus sanctum erat.... Cassandra.... ruit velut mortua. Dum interim, videbatur guttur ejus inflari, auditus est spiritus tamquam si filii fuisset, clamare: miraculum, miraculum! Hæc sunt signa, quæ me daturum „ promiseram, quando a corpore matris meæ „ discederem. „ Et tandem in parte 14. miraculorum S. Joannis Gualberti *penes Continuatores Bollandianos die 12. Julii* scribitur, quod quædam Mulier fuit obsessa „ & dæmon, qui „ eam invaserat, ut plurimum solent, se cujusdam Liguris, cui nomen Baltramo, animam fuisse fatebatur.

XXXI. Hoc totum longè prius docuerat Tertullianus lib. de anima cap. 57. *Hanc*, inquiens, *quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor etiam rebus probamus, cum in Exorcismis interdum aliquem se ex Parentibus hominem sui affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne facile credamus, animas universas ad inferos redigi, ut & judicii, & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon, postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinæ gratiæ victus, id quod in vero est, invitus confitetur.* Et S. Joannes Chrysostomus homil. 29. in cap. 8. Matth. inquiens: *Dæmones perniciosissimam opinionem ingerere hominibus conantur, quod homi-*

num

num, qui obierunt, anima dæmones fiant, quod etiam a cogitatione noſtra utinam abſit. Sed quid reſpondebis, objiciet quiſpiam, cum multi incantatores pueros nacti, eos jugulent, ut habeant animam ſibi poſtea ſubſervientem, & ipſos juvantem? Sed unde hoc patet? quod quidem jugulent, multi aſſerunt, quod verò immolatorum puerorum anima ipſis cooperentur, unde mihi perſuadebitur? An quia ipſos dæmoniacos clamare nonumquam audiſti: Anima talis ego ſum? Verum hæc quoque oratio a fraude, atque deceptione diabolica eſt. Non enim anima defuncti eſt, quæ iſta dicit, ſed dæmon, qui hæc, ut audientes decipiat, effingit. Et Concione 2. de Lazaro, ait: *Hic malum quemdam morbum cupio veſtris animis eximere. Sunt enim plerique ſimplices, qui putant animas violenta morte decedentium fieri dæmones. Hoc autem non fit, non fit, inquam, iſtud; non enim anima violenta morte decedentium fiunt dæmones, ſed animæ potius in peccatis viventium; non quod mutetur illarum ſuſtantia, ſed quod voluntas dæmonum pravitatem imitetur.* Et poſt pauca addit: *Verum non ſunt iſta vera, non ſunt inquam. Quid igitur eſt, quod dæmones dicunt: Monachi illius ſum anima? Sane propter hoc ipſum, non credo quia dæmones dicunt: decipiunt enim auditores.* Hunc errorem latè impugnat S. Pater tum hic, tum homilia ſupra laudata.

XXXII. Rationem hujus non infrequentis dæmonis mendacii dat ibidem S. Doctor his verbis: *At cujus rei gratia diabolus iſtam perverſam opinionem invexit? Conatus eſt martyrum defodere, & obruere gloriam. Etenim cum illi morte violenta deceſſerint, cupiens pravam de illis gignere ſuſpicionem, hoc fecit: Verum quod voluit non potuit. Perſeverant enim mar-*

tyres

tyres proprium obtinentes splendorem. Quin aliud multo crudelius perpetravit maleficis, ipsisque inservientibus per has opiniones persuasis, ut tenera multorum adolescentium corpora trucidarent, sperantes futurum, ut fiant dæmones, rursusque ipsis inservirent. Verum non sunt ista vera &c. Alia ratio adduci potest, scilicet ad inducendam hæresim, quam deinde docuit Tertullianus, ex quo Tertullianistæ, de qua S. Augustinus *de Hæresibus ad* Quodvultdeum *hæresi* 86. scribit *Dicit sanè* (Tertullianus) *etiam ipse, animas hominum pessimas, post mortem, in dæmones verti*. Similem aliam rationem reddit D. Thomas 1.p.q.117. art. 4. ad 2. nempe *ad confirmandum Gentilium errorem, qui hoc credebant*.

XXXIII. Suadere deinde conatur esse sive Angelum bonum, sive animam alicujus Sancti, vel ut hunc errorem inducat, contra quem nos admonet Apostolus 2. *Cor. v.* 11. dicens: *Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis*, vel ut Patiens non credat, se esse a dæmonio vexatum, sicque sui liberationem negligat.

DO-

DOCUMENTUM X.

NEceſſariæ verò interrogationes ſunt, ut de numero, & nomine ſpirituum obſidentium, de tempore, quo ingreſſi ſunt, de cauſa, & aliis hujuſmodi. Cæteras autem dæmonis nugas, riſus, & ineptias Exorciſta cohibeat, aut contemnat, & circumſtantes, qui pauci eſſe debent, admoneat ne hæc curent, neque ipſi interrogent obſeſſum, ſed potius humiliter, & enixè Deum pro eo precentur.

SUMMARIUM.

1. *LIcet interrogare dæmones de numero eorum in corpore obſeſſi.*
2. *Sententia P. Brognoli refertur,*
3. *Et refellitur.*
4. *Similiter licet interrogare de nomine ſpirituum obſidentium, & aliquibus aliis num. 6.*
7. *Nomina dæmonum ſunt nomina Officii, non naturæ.*

8. Affe-

8. *Afferuntur eorum nomina, quæ in Sacris litteris reperiuntur.*
9. *Et quædam alia ignotorum Angelorum.*
10. *An sint nomina bonorum Angelorum hinc inde disseritur, ad num.* 12.
13. *Item alia nomina latina, quibus dæmones in Sacra Scriptura appellantur, exhibentur, & num.* 14.
15. *Talia autem nomina, non ita sunt propria unius, ut nequeant aliis competere, & num.* 17.
18. *Respondetur objectis, ad num.* 19.
20. *Licitum est dæmonem interrogare de tempore obsessionis,*
21. *Et de causa ingressus, & num.* 22.
23. *Non est permittendum ab Exorcista dæmoni, ipsum nugas agere, & num.* 24.
25. *Serio monentur astantes, ut humiliter, & enixè Deum pro vexato precentur.*

COMMENTARIUM.

Necessariæ verò interrogationes sunt, ut de numero.

I. EXemplo Christi Domini, qui numerum obsidentium dæmonum manifestari voluit, dum *Marci* 5. *v.* 9. interrogavit: *Quid tibi nomen est?* super quæ verba scribit Victor Antiochenus: *Quamvis Dominus dæmonum, qui in homine habitabant multitudinem non ignoraret, attamen, quod illi, qui spectaculo huic aderant, unum tantum hominem cernerent, unamque solam vocem haurirent, ne ipse multos esse dicere compellatur, sed ipsimet dæmones palam, id profiteantur, propterea, quod tibi nomen est interrogat.*

II. At

II. At P. Candidus Brognolus *in Manual. Exorciſtar. part.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 3. aſſerit, hanc interrogationem fallacem eſſe, imò Divinæ Omnipotentiæ injurioſam. Rationem primi eſſe ait, quia dæmon eſt fallax in ſuis reſponſionibus: rationem verò ſecundi, quia cum Exorciſta operetur virtute Dei, virtute ſcilicet infinita, & illimitata, ac poteſtate totius inferni ſuperiore, tam facilè expellet centum millia dæmoniorum, ac unum tantum, ſi adſint omnes aliæ diſpoſitiones.

III. Sed quam inefficaciter hæc adducat P. Brognolus, videamus. Utique dæmon ſæpè fallit, at nonne in pluribus obedire tenetur? Nonnè obtemperat aliis Exorciſtæ præceptis? Quare ergo non obediet præcepto de numero ſpirituum obſidentium, ipſi facto in Nomine Jeſu? *Dæmones*, inquit Tertullianus in Apologetico cap. 2. & 3. *Chriſtiano mentiri non audent*; quod tamen intelligendum eſt in dicto noſtro ſenſu. Ad aliam rationem. Verum quidem eſt, virtutem Exorciſtæ, quatenus provenientem a virtute Dei, longè ſuperiorem eſſe, ac majorem omnibus dæmonibus ſimul ſumptis: ſed non per hoc interrogatio de nomine injurioſa evadit Divinæ Omnipotentiæ, imò reſpicit Divinæ gloriæ incrementum. Sicut enim Chriſtus Dominus interrogavit dæmonem de nomine, *ut confeſſa peſte virtus curantis gratior emicaret*, ut num. ſequenti videbimus; & ideo ut ſuam poteſtatem magis manifeſtaret, poſtquam audivit eſſe legionem in corpore obſeſſi, ait: *Exi ſpiritus immunde ab homine*; ſuper quæ verba ſubtiliſſimè notat Euthymius Zigabenus in Evangel. Marci cap. 11. *Multis dæmonibus imperat, quaſi unus eſſet, propter imbecillitatem ipſorum*. Ita interrogatio ad hoc conducere poterit,

terit, ut cognito dæmonum numero, virtus nominis Chriſti efficaciter appareat; ſicque hæc interrogatio ad majorem Dei gloriam, ejuſque SS. Filii nominis cedat.

Et nomine ſpirituum obſidentium.

IV. Hoc pariter ſtatuit Rituale noſtrum exemplo Salvatoris, qui *Marci* 5. *v.* 9. interrogavit dæmonem: *Quod tibi nomen eſt? Non velut inſcius*, ait Beda in Evangel. lib. 3. ſuper Lucæ cap. 8. *nomen inquirit, ſed ut confeſſa coram peſte, quam furens tollerabat, virtus curantis gratior emicaret*. Sic ejus miniſtri de nomine ſpirituum obſidentium, per quod peſtis, & poteſtas, atque malitia ipſius manifeſtatur, interrogare poterunt, ut virtus Dei curantis gratior emicet. Quod profectò valdè cedit in honorem Dei, noſtræque Chriſtianæ religionis, ut ad rem Lactantius advertit, *lib.* 2. *Divinar. Inſtitut. cap.* 15. his verbis: *Dei cultores metuunt* (dæmones) *cujus nomine adjurati, de corporibus excedunt, quorum verbis tamquam flagris verberati non modo dæmones ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt, illa, quæ in Templis adorantur, & quod plerumque coram cultoribus ſuis faciunt, non utique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui, quia nec Deo per quem adjurantur, nec juſtis quorum voce torquentur, mentiri poſſunt..... tantum habet Dei cognitio, ac juſtitia poteſtatis.*

V. Sed & tempore S. Bedæ viguiſſe hanc conſuetudinem apud Exorciſtas interrogandi de nomine, docet idem Venerabilis Doctor loco citato: *Sed & noſtri*, inquit, *temporis ſacerdo-*

tes, qui per Exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt, solent dicere, patientes non aliter valent curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus.... pertulerint, confitendo patenter exponant, & nomen dæmonis, quo se censeri dixerit. Hæc omnia maturè perpendantur, deinde inferatur quam irrationabiliter P. Candidus Brognolus *loco citato q. 2.* conetur ostendere, hanc interrogationem de nomine *superfluam esse*, ac ipsi Exorcistæ *periculosam*. Quare ut cum ejusdem Bedæ verbis concludam contra P. Candidum. *Hæc contra fraudes dæmonum paucis explicare curavi, ut quam non frustra Dominus Nomen ejus, quem expulsurus erat spiritus, interrogaret, intelligas.*

VI. Ex doctrina num. 4. posita sequitur, non esse illicitum Exorcistam aliquid a dæmone semel, aut iterum coactivè quærere, quod ad gloriam Dei, & proximorum utilitatem cedit, nam D. Thomas 2. 2. *q. 95. art. 4. ad 1.* post illa verba Bedæ, quæ & ipse refert, ait: *Aliud autem est inquirere aliquid a dæmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter utilitatem aliorum, maximè quando Divina virtute potest compelli ad vera dicenda: Et aliud dæmonem invocare ad cognitionem occultorum inquirendam ab ipso.* In quibus verbis primò docet, quod licet non frequenter, *quandoque* tamen licitum est inquirere a dæmone sponte occurrente aliquid, ad aliorum utilitatem conducens. Secundò docet, quod hoc præcipuè licet *quando Divina virtute potest compelli ad vera dicenda;* Divina autem virtus, qua compelli potest, est virtus in Exorcismis, & Ecclesiæ ministris existens. Tertiò in auctoritate allata contradistinguit S. Doctor, invocare dæmonem ad cognitionem occultorum ab ipso acquirendam, & quærere ab eo sponte occurrente

rente aliquam utilem veritatem: & differentiam docet esse in eo, quod invocatio affert secum pactum explicitum cum dæmone, & ideo est illicita: inquisitio verò veritatis utilis, nullum pactum, seu societatem cum dæmone habet. Sed ad rem nostram redeamus.

VII. Advertendum tamen, quod sicut nomina Sanctorum Angelorum sunt nomina officii, non naturæ, ut docet D. Gregor. homil. 34. *Et cum ad nos aliquod ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina à ministeriis trahunt*; ut exemplificat in nominibus SS. Angelorum Michaelis, & Gabrielis; ita & nomina malorum Angelorum officii, non naturæ esse dicimus. Nomina autem horum, quæ in Divinis Scripturis habentur, cum eorum litterali interpretatione ad majorem Exorcistæ eruditionem hic dabimus, ex Dictionario Sac. Scripturæ à Doctissimo P. D. Augustino Calmet compositò, deprompta.

VIII. *Abadon*, sive *Abaddon*, Apoc. 9. v. 11. Job. 28. 22. interpretatur *abyssus exterminans*, vel *perditio*. *Anamelech*, 4. Reg. 7. v. 31. unum ex Idolis Sepharvaim urbis Assyriorum. *Responsum*, sive *Canticum Regis*, vel *consilii*, ex bona, responsum, & *Melec* Rex, sive *consilium* juxta ætymologiam Caldæam, sive *Rex*. *Asima*, Idolum, 4. Reg. 17. v. 30. *Delictum*, ex *ascham*; *situs* ex *sum*, *ponere*; *Ignis maris*, ex *esch*, & *jam*, *mare*. Nomen est ab hebræo alienum. *Asmodæus*, *Dæmon*, Job. 3. v. 8. *Mensurans ignem*, ex *esch*, & *madad*, *mensurare*. *Crimen abundans* ex *Ascham*, *crimen*, seu potius *Vastator*, *exterminator* ex *Sichamad*. *Astarthen*, *Astaroth*, *Aseroth*, 3. Reg. 11. v. 5. Dea Sidoniorum.

Baal, Idolum Moabitarum, 2. Num. 22. v. 41. *Dominans*, & *subjiciens*. *Herus*, *Dominus*, *vir*. *Baal-Berith*. Idolum Sichimitarum, *Judic.* 9. *v.* 4.

Idolum fœderis; possidens, sive *submittens se fœderi*, *ex Baal*, & *Berith*. *Fœdus*, *pactum*. *Beel-Phegor*, Idolum Moabitarum, Josue 22. v. 17. in hebræo tantum *Phegor*, *Dominus*, *hiatus*, ex *Bel*, *Dominus*, *Deus*, & *pahar*, sive *pagar*, *aperire*. *Beemoth*, Job. 40. v. 20. *Bellua*, vel *Elephas*; ex plurali *beem* animalia utcumque significante. *Bel*, Idolum Babyloniorum, Isai. 46. v. 1. Danielis 14. v. 2. *Vetus*, ex *bala*, *senescere*, *deperire*; *nihil*, ex *beli*, *non*, unde *belima*, *nihil*. *Beelzebub*, Idolum Accaronitarum, 4. Reg. 1. v. 2. *Deus Musca* ex *baal*, & ex *Zebub*, *musca*. *Belial*, 2. Corinth. 6. v. 15. significat *inutilem*, *impatientem jugi*, *impium*, *rebellem*, *contumacem*.

Damon nomen ex Græco *Daimon*, scilicet *Sapiens*, *intelligentia praditas*. *Dagon*, Idolum Philisthinorum, Judic. 16. v. 23. *Frumentum*, *piscis* ex *Dag*, *piscis*. *Diabolus*, 1. Macch. 14. v. 16. *Calumniator*, *accusator*, Græcum est.

Leviathan, Job. 40. v. 20. *Monstrum marinum*, *crocodilus*: Ad litteram, *magnus piscis*, *glutine junctus*; fortè ob squamas durissimas, & impenetrabiles, ex hebræo *than*, *magnus piscis*, & *levi*, *junctus*.

Mammona, Luc. 16. v. 9. Chaldæa vel Syriaca vox, *Divitiæ*. Vera lectio est: *Matmon*, *avaritia*, *cupiditas*, *divitiæ*. *Melchom*, sive *Moloch*, 4. Reg. 23. v. 10. & 13. *Eorum Rex*, ex *Melec*, *Rex*, & pronomine *am*, *eorum*.

Nergel, numen Cuthæorum, 4. Reg. 17. v. 30. *Explorator*, *pedester*, ex *Ragal*: *lumen detectum*, vel *servatum*; ex *ner*, *lumen*, & *galal*, *explicare*: *novalia detecta* ex *nir*, *novale*, & *galal*, *explicare*.

Rempha, Idolum, juxta Septuaginta, Amos 5. v. 26. Vulgata habet, *sidus Dei vestri*. Hebræum est *chiun* uti, & Aquila, & Symmachus: *basis*, *pedamen*, & *præparatio*.

Sa-

Satan, vel *Satanas*, 2. Reg. 19. *Hostis*, *contrarius*. Hæc ex prælaudato P. Calmet.

IX. Hic addenda sunt quædam nomina ignotorum Angelorum, quos Albertus in Oratione a se composita invocabat, ut constat ex fragmento quod in Synodo Romana habita sæculo VIII. sub Zacharia Pontifice, recitatum est: *Precor vos, & conjuro vos, & supplico me ad vos Angele Uriel, Angele Raguel, Angele Tubuel: Angele Michael, Angele Inias, Angele Tubuas, Angele Sabaoch, Angele Simiel.* Quibus de nominibus Romana Synodus dixit: *Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaelis, sed nomina dæmonum sunt, quæ in suis orationibus invocavit, ad præstandum auxilium. Nos autem, ut a vestro Sancto Apostolatu edocemur, & divina tradit auctoritas, non plus quam trium Angelorum nomina cognoscimus, id est Michael, Gabriel, Raphael.* Item Concilium Aurelianense statuit: *Ne falsa Angelorum numina colant, sed ea tantum, quæ prophetica, & Evangelica docet Scriptura, id est Michael, Gabriel, Raphael.* Ex quibus colligi videtur, prædicta nomina, præter nomen Michaelis, malorum Angelorum nomina esse.

X. Verum aliqui credunt *Uriel*, quod interpretatur *lux mea Deus*, esse nomen bonum, his rationum monumentis. Primò, ejus nomen legitur in libro, licet apocripho, Judæorum inscripto: *Oratio Josephi*, in quo Jacob cum Uriele, & Raphaele sermonem miscens inducitur. Secundò, ejus nomen tamquam boni Angeli occurrit in Esdra lib. 4. c. 5. v. 20. *Sicut mandavit mihi Uriel Angelus.* Tertiò, occurrit & apud Ambrosium, lib. 3. de Fide c. 3. *Non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel.* Quartò, *Suriel* sive *Uriel* tamquam bonus Angelus invocatione colitur in Liturgiis Orientalibus, & Eucologiis

Græcorum: *Honoremus Surielem, quartum inter Angelos*; quæ ſunt verba Eucologii Cophtorum. Quintò, nec deſideratur in veteribus Litaniis, iis potiſſimum quas P. Mabillon publici juris fecit *tom. 2. Analect.* atque Carolinas, quod Caroli Magni ætatem referant, appellavit; in quibus non ſolum invocatur *Sancte Oribel, ora*; ſed etiam dicitur, *Sancte Raguel, ora. Sancte Tobibel, ora.* Tandem inventum Romæ ann. 1544. Sepulcrum Mariæ Imperatricis, Honorii Uxoris, refert Surius, in quo lamina aurea inſculpta Græco charactere hæc nomina præferebat: *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel.*

XI. Alii verò, & præcipuè clariſſimus Thierſius in Epiſtola dedicatoria ad S. Lucam Acheryum, libro ſuo *De retinenda voce Paraclitus*, præmiſſa, nomen *Uriel* malum Angelum deſignare contendit, præcipuè ſupra adductis Conciliorum teſtimoniis fretus.

XII. Sed quidquid ſit de hoc diſſidio, certum eſt, non licere alia nomina Angelorum invocare, præter nomina Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis, ex prælaudato Concilio Romano, ſed reliqua nomina ignota, eſſe ſaltem ſuſpecta, nec conſtare nobis num bonorum, vel malorum ſint Angelorum.

XIII. Porrò, ut ad intentum noſtrum redeamus, alia quædam latina nomina, quæ in Divinis Scripturis dæmoni tribuuntur enumerabimus. Dicitur itaque: *Angelus crudelis*, Proverb. 17. v. 11. *Angelus Satanæ*, 2. Corinth. 12. v. 7. *Angelus Abyſſi*, Apoc. 9. v. 11. *Accuſator noſtrorum Fratrum*, Apoc. 12. v. 10. *Adverſarius noſter*, 1. Petri 5. v. 8. *Beſtia habens ſeptem Capita*, Apoc. 13. 14. 16. 17. & 18. *Deus hujus ſæculi, mentes infidelium excæcans*, 2. Corinth. 4. v. 4. *Dii gentium dæmonia*, Pſalm. 95. v. 5. *Dæmonium meridianum*,

Pſalm.

Pſalm. 90. v. 6. *Draco*, Iſajæ 13. v. 34. *Draco magnus*, Apoc. 12. *Draco*, Pſ. 103. v. 26. *Habens mortis imperium*, Ad Hebræos 2. v. 14. *Homicida ab initio, qui in veritate non ſtetit*, c. 8. v. 44. *Habens iram magnam*, Apoc. 12. v. 12. *Inimicus*, Luc. 10. v. 10. *Malus*, Epheſ. 6. *Meretrix Babylonica*, Apoc. 17. *Leo*, Iſa. 13. v. 34. & 1. Petri. *Principatus, Poteſtates, mundi rectores tenebrarum harum, Spiritualia nequitiæ in Cœleſtibus*, Ad Epheſ. 6. v. 12. *Princeps poteſtatis aeris hujus*, ibid. 2. v. 2. *Princeps hujus mundi*. Jo: 14. & 16. *Qui ſeducit univerſum Orbem*, Apoc. 12. v. 9. *Rex ſuper univerſos Filios ſuperbiæ*, Job. 41. v. 25. *Serpens*, Geneſ. 3. *Serpens antiquus*, Apoc. 12. v. 9. *Serpens tortuoſus*, Iſai. 27. v. 1. *Scorpio*, Luc. 10. v. 19. *Spiritus Dei malus*, 1. Reg. 16. v. 15. *Spiritus nequam malus*, Ibid. v. 14 *Peſſimus*, Jud. 9. v. 23. *Spiritus ad vindictam creati*, Eccl. 39. v. 33. *Spiritus vertiginis*, Iſai. 19. v. 14. *Spiritus fornicationum*, Oſeæ 4. v. 12. *Spiritus Divinationis*, Levit. 20. v. 27. *Spiritus mendax*, 3. Reg. 22. v. 22. *Spiritus immundus*, Matth. 10. v. 1. Marci 3. v. 11. Lucæ 9. v. 43, Actor. 5. v. 16. *Spiritus erroris*. 1. ad Timoth. 4. v. 1. *Spiritus iræ*, Job. 4. v. 9. *Tentator*. Matth. 4. v. 13. *Ultor*, Pſalm. 8. v. 3. *Venator, laqueus, timor nocturnus, ſagitta volans in die, peſtis in tenebris graſſans &c.*

XIV. *De quorum diverſitate*, ut loquar cum Caſſiano collat. 7. c. 32. *per longum eſt, ſi volumus omnia Scripturarum volumina, perſcrutantes ſigillatim percurrere, qui per Prophetam onocentauri, qui ſirenæ, qui lamiæ, qui ululæ, qui ſtruthiones, qui ericii deſignantur, qui aſpis, qui baſiliſcus in Pſalmo, qui leo, qui draco, quive ſcorpius in Evangelio nuncupatur, qui Princeps mundi hujus, qui rectores tenebrarum harum, quive ſpiritualia nequitiæ ab Apoſtolo nominentur.*

Quæ vocabula non casu, nec fortuito indita illis debemus accipere; sed significationes istarum ferarum, quæ apud nos vel minus noxiæ, vel magis perniciosæ sunt, illorum ferocitates, rabiesque distingui, & ex similitudine nequitiæ virulentæ, seu principatus, quem istis inter cæteras feras, sive serpentes, quadam excellentia malitiæ suæ confert, illos quoque eorum vocabulis nuncupari, ut scilicet alius quidem, ob vehementiam furoris, & rabiem ferocitatis suæ, Leonis appellationem, alius basiliſci, ob illud mortiferum virus, quod priusquam sentiatur, interimit; alius verò ob temporem malitiæ suæ onocentauri, aut ericii nomen, struthionisve sortitus sit.

XV. Licet autem hæc sint nomina, quæ ex diversitate officiorum sortiuntur dæmones, non tamen ita propria unius esse putes, quin etiam alteri competere possint. Fuit ejusdem Cassiani sententia, dæmones ita inter sese distinctas functiones habere, ut alius uni vitio, alius alteri præsit. *Hoc tamen*, inquit Collat. 7. cap. 17. *nosse debemus, non omnes dæmones universas hominibus inurere passiones, sed unicuique vitio certos spiritus incubare, & alios quidem immunditiis, ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ, furorique peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cenodoxia, superbiaque mulceri, & unumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere.* Quæ opinio tribuitur Origeni, *homil.* 14. *super Josue*, S. Hieronymo *in Comment. ad Ephes.* 6. & D. Gregorio, qui *lib.* 15. *Moral. cap.* 27. hæc habet: *Maligni spiritus certis quibusque vitiis singuli obsequi sunt credendi*; Et infra: *In cujus ergo mentem vitia vitiis succedunt, rectè de eo dicitur: Vadent, & venient super eum horribiles:*

les: quia quot vitiis decedentibus, & succedentibus premitur, tot malignis spiritibus ejus animus, quasi euntibus, ac redeuntibus, devastatur. Hanc secutus est Magister *in 2. dist. 6.* qui hoc ex Scriptura argumentum profert: *Unde dicitur spiritus Superbiæ, spiritus Luxuriæ, & hujusmodi, quia de illo vitio maximè potest homines tentare, a quo dominatur. Inde etiam est, quod nomine dæmonis divitiæ vocantur, scilicet Mammona. Est enim mammon nomen dæmonis.*

XVI. Verum, licet hæc opinio probabilis sit, & facilè defendi possit, ut ait Suarez *de Angelis lib. 8. cap. 21. num. 28.* nec ipse animo impugnandi eam, argumenta sua contraria proferat, tamen opposita communiter a Theologis sustinetur, quia dæmonum quisque per se paratissimus, & cupidissimus est ad tentandum, & solicitandum homines ad quæcumque vitia, & peccata; nec enim eis, ad hoc faciendum peritia, & malitia deest, modo permittantur a Deo. Præterea, idem ipse dæmonum princeps de triplici, aut quadruplici peccato Dominum tentasse legitur in Evangelio *Matthæi cap. 4.* super quod hæc scribit D. Gregor. homil. 16. *Per gulam quippe tentat, cum dicit: Dic ut lapides isti panes fiant. Per vanam gloriam tentat, cum dicit: Si Filius Dei es mitte te deorsum. Per sublimitatis avaritiam tentat, cum regna omnia mundi ostendit, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Nec apparet ratio, cur non & per Angelos suos, etiam singulos, similia faciat.

XVII. Quidquid verò sit de auctoritate Origenis, quæ certè hac in re pluris fieri non debet, cum multa de Angelis tam bonis, quam malis commentus sit, quæ Ecclesia Christi non recipit: ad D. Hieronymum respondeo, ipsum Origenis sententiam lege Commentarii transcripsisse,

se, non approbasse; scribit enim: *aiunt*. Satis per hoc significans alienam se sententiam referre, pro qua certare nolit.

XVIII. Ad D. Gregorii auctoritatem respondere possumus, spiritus, de quibus loquitur, secundum nomina intelligi diversa. Quoniam, enim dæmonibus nomina tribuuntur ex Officio; hinc si mutetur Officium, sive persona sit eadem, sive non, quasi mutato nomine plures atque alios videri, quod & de Angelis contingere potest. Cæterum hanc esse Magni Gregorii mentem colligitur ex ejusdem verbis prolatis *lib. 33. Moral. cap. 38.* ubi uni Leviatham tribuit, quod *humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit: Alias nempè Superbiæ, alias Invidiæ, alias Luxuriæ, alias Avaritiæ facibus inflammat. Superbiæ quippè facem menti Evæ supposuit, cum hanc ad contemnenda verba Dominica jussionis instigavit. Invidiæ quoque flamma Cain animum succendit, cum de accepto Fratris sacrificio doluit, & per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, ut usque ad Idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem sequeretur, Conditoris reverentiæ obliviscereturAvaritiæ quoque igne Achab animum concremavit, cum eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit, & per hoc usque ad reatum homicidii pertraxit.*

XIX. Similis adhibetur solutio ad Scripturas a Magistro relatas, in quibus leguntur hæc nomina: *Spiritus mendacii, spiritus fornicationis, spiritus vertiginis, spiritus zelotypiæ &c.* nam unus, & idem dæmon, quatenus ad diversa vitia sollicitat, variis significari potest nominibus, sicut Spiritus Sanctus, cum sit unicus, vocatur

tur Iſai. 11. v. 2. *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis .... Spiritus timoris Domini.* Neque enim Scriptura dicit, hos ſpiritus eſſe plures, aut inter ſe diſtinctos.

De tempore, quo ingreſſi ſunt.

XX. Hoc Ritualis noſtri monitum ex Chriſti exemplo ſumptum eſt, qui cum ipſi oblatus fuiſſet quidam habens ſpiritum mutum, interrogavit: *Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit?* Marci 9. v. 20. cui reſponſum fuit: *Ab infantia.* Quod Chriſti exemplum ſecuti ſunt Sancti, nam in Vita S. Hermagoræ Epiſcopi Aquilejæ, & Martyris *cap. 2. penes Bollandianos die 12. Julii*, qui paſſus eſt ſub Nerone, legitur, quod cum ad eum reductus fuiſſet puer a dæmonio vexatus, interrogavit: *Quantum tempus eſt, ex quo hæc cauſa ei evenit?* cui reſpondit Pater pueri: *Hodie per triennium non eſt dies, neque nox, in quo potuerit modicum quid a vexatione quieſcere.* Et de S. Parthemio Epiſcopo Lampſaci narratur, quod antequam energumenum liberaret, dæmonem interrogavit: *Eſt ne longum tempus ex quo in eo inhabitas? Dixit dæmon: A pueritia.* Bolland. in ejus Vita ſecunda *cap. 1. die 7. Februarii.* Porrò hæc interrogatio neceſſaria eſt, ut ſciat Exorciſta, quæ media adhibere debeat ad diſponendum vexatos, qui difficilioris ſunt curationis, ſi a multo tempore ſint obſeſſi, non quidem ex parte virtutis nominis Jeſu, ſed ipſius energumeni, dicente D. Clemente lib. 4. Recognitionum: *Igitur dæmones, ... ſi multo tempore permaneant in eis* (ſcilicet corporibus hominum) *per negligentiam ipſorum, quia animæ ſuæ quod eſt utile*

non requirunt ; necessario cogunt eos habitantium in se dæmonum facere voluntates. Quæ tamen ultima verba intelligenda sunt, juxta dicta in Commentario Tituli *num.* 38.

De Causa, & aliis hujusmodi.

XXI. Hanc praxim secuti sunt sancti Exorcistæ, aliique qui huic muneri operam navarunt. In Vita S. Vincentii Ferrerii *cap. 4. penes Continuatores Bollandianos die 5. Aprilis* narratur, sanctum, priusquam puellam energumenam liberaret, de causa interrogasse dæmonem, præcepto in nomine Jesu facto dæmonemque respondisse. „ Septem anni sunt, quod „ ego una cum nonnullis sociis meis domum „ Parentum hujus puellæ media nocte ingressi, „ conati sumus viro suggerere, ut uxorem „ suam dormientem trucidaret; verum longè „ aliter evenit ; ipsa enim uxor ob magnum „ strepitum, quem fecimus, somno excitata, „ munivit se Crucis signaculo, nomenque Christi, & Mariæ Virginis nominavit..... Itaque „ nos cernentes eam munitam tam fortibus „ armis, indignantesque totam domum magnis, „ & terribilibus motibus concussimus : puella „ autem hæc, quæ tunc erat decennis, metuens ne domus ipsa corrueret, sub lectum „ fugit, putans se ibi fore tutiorem...., vidensque me nemini nocere posse, quoniam „ omnes se se signo crucis muniverant, corpus „ hujus puellæ, quæ nihil tale fecit, confestim intravi. „ In Vita S. Domnoli Episcopi Cenomanensis cap. 2. *apud Bollandianos die 16. Maii* legitur : „ quod adducti sunt ad eum duo „ dæmoniaci..... scisciabatur autem ex eis „ S. Antistes, cur id ipsis accidisset, & per eo-

„ rum

„ rum ora reſpondebant immundi ſpiritus, ſe „ torqueri ab ipſo, nec poſſe coram eo celare „ præſtigias ſuas. „ Plura alia ſimilia exempla vide paſſim in hoc Opere noſtro, & præcipuè in Commentario Tit. *num.* 59. 69. & 78.

XXII. Neceſſariam eſſe hanc interrogationem tradunt communiter Doctores, ut nempe cauſa cognita, poſſint eadem tolli, & conſequenter etiam effectus; & ſi ſit aliquod peccatum obſeſſi, eo expiato facilius liberetur energumenus, quidquid in contrarium dicat P. Candidus Brognolus *in Manuali Exorciſtarum parte* 1. *cap.* 3. *art.* 5. *quæſt.* 4. qui tamen prudenter advertit, magnam cautelam eſſe adhibendam in hac interrogatione, quæ fieri non debet, niſi paucis ipſius obſeſſi conſanguineis, vel parentibus præſentibus: nec verbis dæmonum credendum eſt, niſi veritati rei ſint conformia. Hoc ultimum P. Candidi dictum conſonat Documentis V. VII. XIV. & præſenti Ritualis noſtri. Utinam & tale eſſet antecedens ejus dictum.

Cæteras autem dæmonis nugas, riſus, & ineptias Exorciſta cohibat, aut contemnat; circumſtantes, qui pauci eſſe debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipſi interrogent, &c.

XXII. Solet enim dæmon verbis, & factis nugari, & lepidum habemus exemplum in miraculis S. Joannis Gualberti, parte 3. *apud Bollandianos Scriptores die* 12. *Julii*. „ Anus quæ„ dam, ex Milliano monte, quam ridiculus

„ in-

„ invaserat dæmon, a suis ad hoc Virginis Ma-
„ riæ Cœnobium ducta est, jucundum de se,
„ & mirabile spectaculum præbens, ut etiam Re-
„ ligiosis viris gravitate ornatis, risum nonnum-
„ quam concuteret. Dæmon enim & hymnum
„ Angelicum, & Kyrie eleyson, quandoque
„ etiam & Psalmos canens, itaut Sacerdotis
„ alicujus animam putares, haud fieri pote-
„ rat, quin præ insolita re risum præsentibus
„ non daret: interdum verò Sacerdotis jus-
„ su his silentium faciens, ut in rem suam
„ iret, conjurabatur. Cui ille cachinnans in-
„ quit: Concedam alio, si me paululum an-
„ tiphonam, seu Psalmum canere jusseritis,
„ nulli vestrum in psallendo, & rite canendo
„ cedere n: & his finitis, nullum a Sacerdote
„ expectans responsum, dulciter, more solito,
„ divinum aliquid canendo dicere. Cæterum
„ Monachis moram longam in hujusmodi nugis
„ & ridiculis non valentibus perferre, Sacer-
„ doti a Decano imperatum fuit, ut his canti-
„ lenis juberet finem imponi. Quid multis opus
„ est? Tandem dulciter canendo, absque ulla
„ aniculæ læsione, ut fertur, lætitiam osten-
„ dens, abiit. „ Has, & similes nugas cohibe-
„ ri jubet Rituale nostrum, ut prædicti Mo-
nachi fecerunt, & ut etiam cohibuit S. Auxen-
tius Presbyter, & Archimandrita, de quo in
ejus vita *cap.* 4. legitur, quod „ quædam puel-
„ la.... vexata a sævo dæmone, ... scissa ve-
„ ste, cucurrit ad Beatum. Cum autem vidisset
„ Christi athleta ejus cum vexaretur a dæmo-
„ ne nuditatem, magna ira percitus, non sinit
„ eam loqui: sed cum increpasset immundum
„ spiritum, clamans voce magna dixit: egre-
„ dere immunde spiritus ex hac creatura in no-
„ mine Domini nostri Jesu Christi, qui in-

„ car-

„ carnatus fuit de Spiritu Sancto ex Maria Vir-
„ gine. Stridens itaque, & ejulans dæmon, exiit
„ protinus a puella, cum nec ei quidem fuisset
„ omnino permissum nugari per creaturam. „
Apud Bollandum 14. *Februarii*.

XXIV. Rationem hujus saluberrimi moniti dat Angelicus Doctor 1. 2. q. 89. *art.* 4. *ad* 3. ubi docet, quod *Angeli mali.... provocando homines ad risum, & ad alias hujusmodi levitates, ... procurant, ut homines ad sui familiaritatem attrahant, & sic deducant eos in peccatum mortale*. Aliam rationem deducere possumus ex quodam facto S. Eberhardi Archiepiscopi Salisburgensis, *apud Bollandianos Continuatores die* 22. *Junii*. Scribit enim Auctor vitæ „ quædam dæmoniaca adducitur, supra quam
„ cum Exorcismum legeretur, spiritus nequam,
„ qui inerat, variis linguis fabulabatur. Dum
„ verò fit illi comminatio a Clero per Beatum
„ Virgilium, dæmon Clerum subsannat, & in in-
„ ferno reliquisse clamat. Quæritur ergo quis,
„ vel cujus ille Virgilius sit? At ille, Mantua-
„ num Poetam fuisse respondi, Virgilium au-
„ tem, per quem adjurabatur dæmon, erat
„ S. Virgilius Salisburgensis Episcopus, qui co-
„ litur 27. Novembris. Ex quo apparet, dæ-
„ monem nugari non solum ut homines in pec-
„ catum inducat, sed etiam ut justos infamet.

Sed potius humiliter, & enixè Deum pro eo precentur.

XXV. Si enim hæc non observabunt adstantes, sed potius curiositate ducti, functioni intersunt, caveant, ne ipsis accidat quod cuidam evenit, de quo habetur sermo in tolle-

ctio-

ctione miraculorum S. Philippi Presbyteri Agyrienſis, indicata a Bollandianis in Commentario prævio ad Vitam Sancti *die* 12. *Maii*. Legitur enim, quod cum in feſto S. Philippi energumenæ 200. quæ ad feſtum convenerant, fuerint liberatæ „ dæmon ab ipſa (*ſcilicet una dæmoniaca*) mox in ſervum quemdam hæc curioſius inſpicientem..... migravit. „

DOCUMENTUM XI.

EXorciſmos verò faciat, ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide, & humilitate, atque fervore: Et cum viderit ſpiritum valdè torqueri tunc magis inſtet, & urgeat, & quoties viderit obſeſſum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat ſignum Crucis, & aqua benedicta aſpergat, quam exorcizando in promptu habeat.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Exorciſmus.*
2. *Fiat cum imperio, cum inſit in eo magna vis;*

3. *Et*

3. *Et vis Exorcista explicatur, usque ad num. 7.*
8. *Fides Theologica requiritur in Exorcista, usque ad num.* 11.
12. *Quædam difficultas refertur,*
13. *Et solvitur.*
14. *Fiducia, quæ est necessaria Exorcistæ definitur, & explicatur.*
15. *Ejus necessitas ostenditur,*
16. *Et qualis esse debeat.*
17. *Hæc petenda est a Deo.*
18. *De humilitate Exorcistæ, aliqua indicantur remissivè.*
19. *Exponitur vis signi Sanctæ Crucis, & n.* 20.
21. *Ubi faciendum sit hoc signum traditur,*
22. *Et quam frequenter,*
23. *Et qua fiducia.*
24. *Assignantur rationes, quare tanta vis insit signo Crucis, & num.* 25.
26. *Aliæ item rationes adducuntur quare non semper suum producat effectum.*
27. *Vis aquæ Benedictæ,*
28. *Et usus ejus in exorcizando obsessos,*
29. *Et in abigendis dæmonum terriculamentis,*
30. *Et ad Maleficia, & præstigia dissolvenda, & num.* 31.
32. *Quare non semper idem operetur, explicatur.*

COMMENTARIUM.

Exorcismos.

1. EXorcismus, ex D. Isidoro lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 20. *Est sermo increpationis contra immundum spiritum in energumenis, sive Catheeumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus, & invetera-*

rata malitia, vel excursio violenta fugatur. Exorcismi forma tradit Prudentius in Apotheosi contra Judæos his versibus:

- - - - - torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserorum tot verbera linguæ,
Quot laudat Dei resonant miracula Christi.
Intonat Antistes Domini: fuge callide Serpens,
Exue te membris, & spiras solve latentes.
Mancipium Christi fur corruptissime vexas:
Desine, Christus adest, humani corporis ultor:
Non licet ut spolium rapias cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus jubet, exi.
Has inter voces, &c.

Faciat, ac legat cum Imperio, & auctoritate.

II. Sic legimus fecisse Christum, de quo scribitur Matthæi 17. v. 18. *Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium.* Et Marci 9. v. 24. *Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum;* Præterea, maxima vis inest exorcismis, interposito Jesu Nomine: *Divini enim sunt, atque ex divinis scripturis collecti,* inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, *in Præfat. Catecheseon.* Sed audiatur S. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone: *Dei nominis,* inquit, *potentiam dæmones tremunt, & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Jesu Christi Crucifixi sub Pontio Pilato, qui Judææ procuratorem egit, adjurati, nobis parent, ut inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dedisse potentiam, & virtu-*

virtutem, ut & dæmonia nomini ipsius, & passionis ipsius obitæ functioni subjecta sint. Quemadmodum, explicat S. Cyrillus Hierosolymitanus loco citato, *aurifabri per quædam subtilia instrumenta sufflantes ventulum igni, & aurum in fornace conflantes, excitantesque propositam flammam, id quod quærunt reperiunt: sic cum Exorcista per Spiritum sanctum incutiunt timorem, & in corpore, tamquam in fornace, animam accendunt, fugitque tunc inimicus dæmon.* Et Catechesi Mystagogica 2. *Dei invocatio*, ait, *tamquam vehementissima quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit.*

III. Hinc tenendum est, in Exorcismis inesse virtutem ex opere operato, ut colligitur ex D. Thoma *3.p. quæst. 71. art. 3.* inquirens enim: *An ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant;* in corpore articuli sic respondet: *Dicendum, quod quidam dixerunt, ea, quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare: sed hoc patet esse falsum per hoc, quod Ecclesia in exorcismis imperativis verbis utitur ad expellendam dæmonis potestatem; puta cum dicit: Ergo maledicte diabole exi ab eo, &c. Et ideo dicendum est, quod aliquem effectum habet, differenter tamen ab ipso Baptismo.* Idem docet *in 4. dist. 6. q. 2. art. 3. quæstiuncula 2.* Cum autem ejusdem rationis sint Exorcismi, quibus adjuratur baptizandus, ac energumenus liberandus, sequitur, quod si primi semper aliquid operantur in ordine ad dæmonis expulsionem, ita & secundi, & consequenter ex opere operato.

IV. Et quamvis expulsionem dæmonis infallibiliter non consequantur (ut præter experientiam, patet Matth. 17. v. 14. & 15. *Accessit ad*

eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine miserere Filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum) sicut consequuntur Sacramenta, quæ quia gratiam ex opere operato causant, semper causant quantum est ex se, si ex parte subjecti non ponatur obex.

V. Tamen adhuc stat, quod virtutem ex opere operato habeant Exorcismi, ac proindè semper suum causent effectum; dæmonis namque expulsio dupliciter considerari potest; Primò completè, & perfectè: Secundò incompletè, seu inchoatè. Primo modo importat expulsionem totalem dæmonis a corpore obsessi, ita ut nullimodè in eo remaneat: Secundo modo non dicit hanc expulsionem totalem, sed inchoatam, in quantum potestas, & virtus dæmonis, in ordine ad torquendum energumenum, aliquo modo per exorcismos minuitur, & attenuatur; & dicitur expulsio inchoata, quia est via, & principium, quo pervenitur ad ultimam, & perfectam dæmonis expulsionem. Itaque Exorcismi ex opere operato habent virtutem ad expellendos dæmones, vel expulsione perfecta, & completa, vel saltem expulsione imperfecta, & inchoata, ac proinde infallibiliter semper aliquem ex his effectibus obtinent; vel primum, si Deo placet; vel secundum. Hæc Doctrina deducitur ex D. Thoma *loco citato*, ubi concedit Exorcismo, qui fit in Baptismo aliquem infallibilem effectum; quæ ratio militat etiam in aliis exorcismis, cum ejusdem generis sint, ab eademque Ecclesiæ auctoritate dimanent.

VI. Sic intelligenda sunt, quæ diximus in Commentar. Document. I. *num.* 26. quod scilicet forma Sacramentorum nedum est efficax, sed

infal-

infallibilis in ordine ad suum effectum completum, positis omnibus requisitis; in exorcismis verò non sic interdum evenit, etiam positis omnibus conditionibus, loquendo de expulsione completa, non verò de inchoata, cum hæc semper sit infallibilis. Eodem modo intelligendi sunt S. Augustinus, & D. Bernardinus *ibidem* adducti.

VII. Imò tanta est Exorcismorum vis, ut non solum voce prolati, sed & solum scripti dæmones abigant, ut colligitur ex facto quodam S. Philippi Presbyteri Agyrinensis, qui floruit Sæculo IV. nam hic Sanctus a Pontifice Romano Sacerdos creatus, ab eodem accepit librum Exorcismorum, per quem *signo facto, visa est damonum turba instar lapidum volutari ex montis vertice*, (montis scilicet Argyri in Sicilia, qui est è regione Ætnæ) *fugientesque lugubri voce clamabant: Va nobis .... hinc pellimur!* ut legitur in ejus Vita *cap. 2. penes Bollandianos* 12. *Maii.* Vide quæ diximus in Comment. Document. IV. *num.* 3.

VIII. Præter vim Exorcismorum, attendenda etiam est auctoritas ipsius Exorcistæ, de qua Hugo Rothomagensis *lib. 2. contra Hæreticos sui temporis cap. 6.* hæc scribit: *Exorcistas benedictio Pontificalis Imperatores facit, non emolumenti terreni, non potentia carnalis, sed ex virtute Dei, qua Satanam, & omnem nequitiam ab energumenis, & quibusque damoniacis, invocato nomine Jesu, præmissa oratione, facta exsufflatione, propellunt.* His Patrum testimoniis perspectum habet Exorcista, quo imperio, & auctoritate adjurationes legere debeat,

Magna fide.

IX. De fide plura diximus ſupra in Commentario Documenti VIII. *num.* 39. *& ſeqq.* quæ ad inſtructionem tum vexati, tum Exorciſtæ pertinent. Hic ſolum aliqua addemus ſolius Exorciſtæ Officio accomodata. Igitur nomine fidei poteſt hic intelligi fides Theologica, & fides, quæ vocatur fiducia. Si de prima loquamur, in Exorciſta planè requiritur, ut conſtat ex Marci ultimo v. 17. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.* Et ratio eſſe poteſt, quia ſi debent Exorciſtæ expellere dæmonem per invocationem nominis Dei; quomodo invocabunt in quem non credunt? ut loquitur Apoſtolus *ad Rom.* 10. *v.* 14. Hinc Hæretici dæmones ejicere non ſolent ob defectum Theologicæ Fidei, & id audentes illis accidit, quod ſeptem filiis Scevæ, qui Paulum exorcizando imitabantur, de quibus *Actor.* 19. *v.* 13. dicitur: *Tentaverunt autem quidam, & de circumeuntibus Judæis Exartiſtis invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu, dicentes: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Sceva Principis ſacerdotum ſeptem filii, qui hoc faciebant. Reſpondens autem ſpiritus nequam dixit eis: Jeſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Huic ſimile legitur in Vita S. Polycarpi Epiſc. & Martyris *cap.* 3. *apud Bolland.* in actis Sanctorum *tom.* 2. *Januarii die* 24. ubi narratur, quod ſervus cujuſdam Ducis, „ a dæmone arreptus vociferabatur, neque ſui

„ ipſe

„ ipse compos erat..... adfuerunt Judæi incan-
„ tare eum cupientes: Ipse verò unicus cum
„ esset, ii verò multi, ita illos verberibus mul-
„ ctavit, ut parum abfuerit, quin eos interfi-
„ ceret, & dilacerans eorum vestes, nudos, &
„ sanguine conspersos dimisit. „ Nec absimile est illud, quod refert Staphilus in responsione contra Jacobum Schmidelinum: „ Possum ego, in-
„ quit, redigere mihi in memoriam anno 1545.
„ dæmoniacam quamdam puellam è Misniæ di-
„ tione, adductam Wittembergam ad Lutherum
„ ea spe, quod Lutherus puellam illam a malo
„ dæmonio liberaturus esset. Quamvis autem
„ Lutherus ad hoc admirandum, & magni mo-
„ menti opus initio non parum difficilem se
„ ostenderet, ac tandem tamen jussit puellam
„ adduci in Parochianæ Ecclesiæ Wittembergen-
„ sis sacrarium, illicque coram aliis plerisque
„ Doctoribus, & eruditis viris (inter quos ego
„ tum quoque magister Juvenis aderam) dæ-
„ monem cœpit adjurare, & exorcizare; sed
„ id tamen more suo, non eo, qui apud catho-
„ licos receptus, & usitatus est. Cum autem
„ ille diù multumque adjurasset dæmonem, ce-
„ dere ille noluit; sed eas in angustias, sit ve-
„ nia verbo, Lutheri caligas redegit, ut is
„ quamprimum è sacrario se proripere vellet.
„ At quid accidit? Malignus ille dæmon usque
„ adeo fores sacrarii obstruxerat, ut neque fo-
„ rinsecus, neque intrinsecus aperiri possent.
„ Quæ res Lutherum in majores etiam angu-
„ stias adduxit, itaut etiam ad fenestram pro-
„ peraret, sperans per eam se posse effugere,
„ & exilire. Verum obstabant illi cancelli ferrei,
„ sicque compulsus est una nobiscum tantisper
„ inclusus hærere, donec per cancellos ferreos
„ ab æditiuo nobis oblata securis, mihique, ceu

„ Juveni ultro tradita, ut ea fores effringerem, „ quod equidem tum conatus ſum, ut ad effectum perduxi. Interea verò riſu admirandum „ erat, ut Lutherus angoribus correptus, ſurſum, deorſumque curſitaret, atque inſtar „ parturientis, huc, illucque ſe inverteret. „ Hæc Staphilus.

X. Id mirè confirmant ea, quæ ex Surio tradit Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſiaſtic. *tom.* 21. *part.* 2. *ad ann.* 1563. *num.* 225. „ Menſe Martio hujus anni, in ſuburbio Auguſtæ Vindelicorum, apud S. Georgium, Textor quidam „ habuit Filiam annorum viginti a malo dæmone obſeſſam, atque diriſſimè vexatam, adeo „ ut Parentes ejus tantam calamitatem cernere „ amplius non ſuſtinentes, Auguſtanæ Confeſſionis Lutheranos Concionatores ejuſdem urbis (erant enim ipſi quoque Lutherani) conſilii, & opis petendæ cauſa adierunt. Et venerunt quidem nonnulli ex evangelicis illis „ præconibus ad puellam dæmoniacam, arbitrati ſe virtute, & efficacia Lutherici evangelii ſatanam illum expulſuros, ſed ſatanas „ ſatanam non ejicit. Conati ſunt tamen aliqui „ facere, ſed ſecurus eos contempſit teter ſpiritus, quippe qui Lutheri carnale evangelium floccipendat; ne tamen nihil feciſſe putarentur, juſſerunt Parentes diligentem habere „ puellæ curam. Poſſe enim Deum facilè rurſus „ liberare puellam, ſi ejus permiſſu id illi acciderit. Porrò virgo quædam Mathiæ Jurati, „ ejus urbis quondam Chirurgi Filia, Anna „ nomine, cum famula Margarita ex pia quadam Chriſtianæ pietatis commiſeratione ad „ eamdem puellam, inviſendi gratia, in Hypocauſtum venit, perſpectaque ejus miſeria, „ cum exiſtimaret eam non poſſe unum vivere

„ die n

„ diem, ægrè tantum Parentes puellæ permo-
„ vere potuit, ut accersitum mitterent D. Si-
„ monem sacræ Theologiæ Doctorem, & apud
„ D. Mauritium Augustæ Catholicum Ecclesia-
„ stem. Rogatus ille, ut laboranti puellæ suam
„ præsentiam non denegaret, ad iter se accin-
„ xit..... & ad limen domus, ubi ea jacebat,
„ accessit.... Postquam verò Theologus Dei cœ-
„ pit implorare opem, ... simul atque a Theo-
„ logo dictum est: Præcipio tibi &c. aliquanto
„ post respondit: Compellor igitur hinc egredi?
„ Ait Theologus: In nomine Jesu Regis Gloriæ
„ præcipio tibi. Tunc aliqua interjecta mora....
„ puella.... sursum erectis luminibus, Deo lau-
„ des, grateſque agens, ita ait: Jam nunc ego
„ agnosco, & video Deum meum .... liberata
„ sum Dei gratia.... Hanc historiam quisquis
„ sincero perlegit animo, facilè videt, apud
„ Sectarios nullam esse dæmonum expellendo-
„ rum potestatem, eamque apud Catholicos in
„ hanc usque diem permanere; nec erit quis-
„ quam tam impudens, qui rei hujus verita-
„ tem negare ausus sit; cum graves viri eam
„ apud Augustanos compertissimam esse testen-
„ tur. „ Hucusque Surius.

XI. Sed quomodo Hæretici interdum obsessos liberaverint, audiatur a Spondano in Annal. Eccleſiast. *ad ann.* 1562. *num.* 50. qui hæc scribit: „
„ Quo eodem anno (*nempe* 1562.) acta est in
„ Belgio apud Insulanos fabula minimè tacenda,
„ quam idem ipse, qui egit, Matthæus Lau-
„ noy Gallus descripsit in responsione ad Calvi-
„ nistas, ex quorum ministerio ad Catholicam
„ Ecclesiam rediens, causas reditus in publicum
„ ediderat, contra quas Calvinistæ scripserant.
„ Igitur is, cum Tornaci hæresim magno no-
„ mine prædicaret, ac contigisset in Insulis, Ec-

„ clesiæ

„ cleſiæ Catholicæ Miniſterio, dæmon è quodam
„ honorato homine exorciſmis pulſus eſset, mul-
„ tique pariter Rotomaci urbe Flandriæ ſancto-
„ rum precibus curari dæmoniaci dicerentur:
„ ejus ditionis ſeniores hæreticorum multum
„ ſuæ apud homines exiſtimationi deceſsurum
„ rati, ſi quod eſset ab Apoſtolis factitatum, & in
„ Eccleſia Papiſtica, ut vocabant, fieri homines
„ coram intuerentur, id præſtare ſuæ reforma-
„ tionis Antiſtites minus poſsent: cum quodam
„ Ludovico in Pago Queſnoy, & uxore cujuſdam
„ ipſorum Diaconi Perenchei, ejus item ditio-
„ nis Pago commorantibus paciſcuntur, nume-
„ rata pecunia, atque in annos ſingulos certo
„ redditu, ut dæmoniacos ſe ſe profiterentur, cu-
„ rarique ſe a ſuis paterentur. Pactis ſuſceptis,
„ illiſque indecoris motibus, & inconditis ſer-
„ monibus rem mentientibus, rogatur Mat-
„ thæus technæ inſcius, eorum curam ſuſcipe-
„ re; qui diù reluctatus, demum expugnatus
„ ad eos ſeorſim accedens, primo mulierem,
„ deinceps & virum, egregiè ſuas colluſionis
„ partes agentes, poſt multos ludos & repu-
„ gnantias, tandem liberaſse viſus eſt, tamquam
„ vir Divinus, inde ab omnibus cultus. Qui
„ poſt aliquos annos technam edoctus, occaſione
„ litis, quam illi dæmoniaci movere debitori-
„ bus, ob pecunias non præſtitas, obſtupuit
„ ad fraudem, & facinus deteſtatus, publicum
„ illud facere voluit in confuſionem falſæ, &
„ deceptricis religionis, quod etiam Florentius
„ Vanderhaer eodem fine inſerere tractatui ſuo
„ de initiis tumultuum Belgicorum conſenta-
„ neum judicavit. „ Ecce quomodo Sectarii energumenos liberent.

XII. Scio quid referat S. Irenæus *lib. 2. cap. 5.* de Judæorum Exorciſmis his verbis: *Divini nominis*

minis invocationem tremit univerſa creatura, & principatus, & potentia, & omnis ſubjecta virtus. Et propter hoc Judæi uſque nunc hac ipſa advocatione dæmones effugant, quando omnia timeant invocationem ejus, qui fecit omnia: Non me latet quod ſcribit S. Martyr Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo. *Si dæmonia*, inquit, *adjuretis per nomina veſtrorum regum, Prophetarum, Patriarcharum, atque Juſtorum nullum non erit contumax. At ſiquis veſtrum adjuret ea per Deum Abraham, Iſac, & Jacob, fortaſſe obſequentur:* & conſequenter a perfidis Judæis abſque fide olim fuiſſe ejecta dæmonia.

XIII. Verum hæc obſtare minimè videntur; dicerem namque id interdum Deum permiſiſſe Judæis, ut oſtenderet efficaciam ſanctiſſimi ſui nominis, atque etiam per tale medium ad credendum in eum, quem crucifixerunt, induceret. Præterea, id permiſiſſe, ut omnipotentiam ſuam, ac bonitatem apud omne hominum genus manifeſtaret, ac effunderet: cæterum de lege ordinaria hoc non evenire certum eſt tum experientia, tum ex regula Chriſti: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in Nomine meo dæmonia ejicient.* Addo, quod D. Juſtinus dubitanter loquitur; ait enim, *fortaſſe*; imò videtur aſſerere hoc accidiſſe Judæis propter media ſuperſtitioſa, & magica, quæ in invocatione Dei adhibebant: ſtatim enim ſubjungit: *utuntur tamen veſtri Exorciſtæ arte hac, ſicut & Gentes, adhibendo ſuffitus, & alligamenta.*

XIV. Si ſermo ſit de fiducia, quæ ex D. Thoma 2. 2. q. 129. art. 6. *eſt robur ſpei proveniens ex aliqua conſideratione, quæ facit vehementem, & firmam opinionem de bono aſſequendo, credendo verbis alicujus auxilium promittentis,*

eſt

est necessaria in Exorcista, & exprelius definiri potest, quod sit spes firmissima, & robustissima futuri auxilii concepta ex frequentatis actibus fidei Theologicæ, qua quis firmiter credit Deum nedum posse ratione suæ Omnipotentiæ, sed ratione etiam suæ infinitæ bonitatis, benignitatis, ac fidelitatis velle ei concedere quod animæ est salutare.

Fides, & fiducia minimè idem sunt, imò longè differunt. (Ut loquar cum nostro doctissimo Capitonio in explicationibus catholicis *part. 2. explicat. 17.*) „ Primum enim Deum agnoscere, in „ illumque credere, quod est fides, quam in illum „ confidere oportet, sicut 2. *ad Timoth.* 1. de se „ dixit Apostolus: *Scio cui credidi*, en tibi fi„ des, *& certus sum, quia potens est depositum „ meum servare in illum diem*; en fiducia. Ju„ das Christi Discipulus credebat utique in eum, „ sed magno traditionis scelere confiderato, fi„ duciam salutis non habuit.„ Non ergo una res fides, & fiducia. Hucusque Capitonius. Differt insuper fiducia a fide theologica, ut docet Sylvius in 2. 2. *q.* 1. *in initio*; quia fides residet in intellectu, fiducia in voluntate; fides versatur circa bona, & mala, fiducia tantum circa bona; fides omnem dubitationem excludit; fiducia compatitur secum aliquid dubitationis: hoc est, fiducia non requirit certitudinem intellectus de re impetranda, sed solum firmam adhæsionem voluntatis erga bonitatem Dei, a qua sperat homo se impetraturum quod postulat, ut explicat Bellarminus *tom.* 4. *Controversiar. lib.* 3. *de Justificatione cap.* 13. *in responsione ad primum argumentum Buceri*. Bona enim, prosequitur Sylvius, cum fiducia quadam tenemus, de quibus non sumus planè certi, neque omnino firmiter ea existimamus, ut nos obtinuisse

ſe remiſſionem peccatorum, eſſe in ſtatu gratiæ &c.

XV. Ratio autem quare hæc fiducia in Exorciſta requiratur; eſt primò, quia hæc fide, ac ſpe ſolidata, imò fidem, & ſpem perficiens, virtutem habet impetrandi, juxta illud: *fides*, hoc eſt fiducia, *impetrat*. Secundò, quia Chriſtus Dominus cum interrogatus a Diſcipulis fuit, quare ipſi non potuiſſent expellere dæmonem ab illo lunatico, ſicut ejecerant ab aliis obſeſſis: *Quare nos non potuimus ejicere illum*, reſpondit, Matth. 17. v. 19. *Propter incredulitatem veſtram*, ſcilicet propter veſtram modicam fiduciam. Hinc appoſitè Paſchaſius Ratbertus lib. 8. in Evang. Matth. ait: *Ideo quotieſcumque petentes non accipimus, non Salvatoris noſtri eſt impoſſibilitas, ſed culpa deprecantium, dum aut male petunt, aut non cum integra fide petunt.*

XVI. Porrò hæc fiducia talis eſſe debet, ut excludat timorem, vel animi trepidationem; juxta ſupra datam explicationem, nam ut ait D. Thomas 2. 2. *q.* 129. *art.* 6. *ad* 2. Cum fiducia ſit *quoddam robur ſpei, ideo opponitur timori; debet eſſe non trepida, nec tepida, ſed ſit fiducia, id eſt, fides non ficta, ſeu ſpes non infirma*, ut ait Guarricus Abbas Ignacienſis *ſerm.* 2. *de S. Benedicto in Biblioth. PP. tom.* 23. Debet eſſe ſicut granum ſynapis, dicente Chriſto Domino Matth. 17. v. 19. *Si habueritis fidem ſicut granum ſynapis, & dicetis monti huic: Tranſi hinc, & tranſibit.* Super quæ verba ait Chriſtianus Drutmarus, vulgò Grammaticus in cap. 37. Matthæi: *Non ideo fides grano Synapis comparatur, quod parva ſit, ſed quia flagrans eſt, & magna.... Dicetis huic Monti tranſi inde, & tranſibit. Mons hic ipſe diabolus, intelligitur, quia ejectus fuit tunc de*

ho-

homine, & inde dicit monti huic; unde in Apocalypsi dicitur: diabolus tamquam mons magnus missus est in mare; & in alio loco: mons pestifer, qui corrumpit omnem terram.

XVII. Hæc eadem fiducia a Deo petenda est, cum sit donum ejus, ex D. Augustino, *enarrat in Psalm. 88. serm. 1.* dicente: *Deus dat nobis ad eum fiduciam, non meritum nostrum, sed illius misericordiæ.* Hoc tamen non obstat, quin nos gratiæ Dei cooperantes, eam fiduciam excitare in nobis, atque accipere possimus, considerando promissiones Dei, ejus veritatem, fidelitatem &c. ut dictum est in Commentario Documenti VIII. a *num.* 42

Et humilitate, atque fervore.

XVIII. De humilitate similiter videantur, quæ diximus in Commentar. Documenti I. *num.* 36. & de fervore, confer pariter Commentarium Documenti VIII. *num.* 14.

Et quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis.

XIX. *Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum,* inquit Lactantius Institut. Divinar. lib. 4. cap. 27. *sciet, qui viderit quatenus adjurati per Christum de corporibus, quæ obsederint fugiant.... Sectatores ejus* (nempe Christi) *eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine magi-*

stri

siri sui, & signo Passionis excludunt. Rursus D. Athanasius Orat. de Incarnatione Verbi, ejusque corporali ad nos adventu: *Solo*, ait, *Crucis signo utens homo, dolos illorum* (scilicet dæmonum) *a se propellit*; cum prius dixisset: *Signo Crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt*.

XX. Hanc vim agnoscentes Sancti, interdum solo Crucis signo dæmones effugarunt. Sic S. Furseus Confessor " facto Crucis signaculo „ effugavit dæmonium, reddiditque.... salu„ tis remedium" duobus energumenis, ut *cap.* 7. *Miraculorum ejus*, legitur penes Bollandum *die* 16. *Januarii*. Sic S. Gregorius Episc. Lingonien-sis " sine ullo tactu, facto tantum signo Crucis „ è contra, dæmonia discedere imperabat: quod „ illa protinus audientia, corpora quæ sua ne„ quitia divexerant absolvebant." Ut narrat S. Gregorius Turonensis *in Vitis PP. cap.* 7. Sic de S. Hicetio Treverorum Episcopo, narratur pariter *ibidem*, quod " tres energumeni pressi so-pore quiescebant, cernensque eos somno dedi„ tos, fecit signum Crucis è contra, statimque „ expergefacti elevantes in sublime voces, da„ to impetu ad vomitum, emundati sunt." S. Petrus Cluniacensis Abbas *lib.* 2. *de Miraculis cap.* 20. scribit: quod Matthæus Cluniacensis, & Episc. Albanensis " morbo diutino fatigatus, quie„ scentibus sociis, in lecto decumbebat. Et ec„ ce subito velut in perturbatam vocem pro„ rumpens, circumjacentes vocavit: Quibus „ astantibus horribilem malignorum spirituum „ turbam sibi apparuisse, seque valde terruis„ se narravit. Ita, inquit, mihi conspicui fue„ runt, ut mirum mihi sit si vos latere potue„ runt; qui signo quidem Crucis à me facto, „ pavefacti statim disparuerunt." S. Andreas

Cre-

Cretensis *orat. in S. Patapium Monachum Thebanum tom.* 10. *Biblioth. PP.* scribit, quod hic Sanctus energumenum liberavit " digito in aere „ Crucis figuram exprimens. " S. Beda *in vita S. Arnolfi Episcopi*, narrat, quod " oppositio Crucis „ vexillo, liberavit mulierem ab hoste maligno." D. Antoninus 2. *part. hist. tit.* 10. *cap.* 13. §. 1. hæc refert de S. Maurilio Episcopo Andegavensi, quod „ dæmonia in Idolis latentia clamare cœperunt, quid nos Maurilius hic etiam persequeris? .... Signo autem Crucis per ipsum oppo„ sito, repente rugitu magno dæmonia non „ sine immenso fetore fugerunt. „ Tandem, ut plura alia omittam exempla, de S. Melanio Episcopo Rhedonensi in ejus Vita *cap.* 3. narratur: „ „ mox verò ut signum Sanctæ Crucis Sanctus „ Dei Antistes Melanius contra eam (*scilicet* „ *energumenam*) digitis expressit, ab ea protinus „ malignum spiritum expulit, & eam sanam, „ Domino cooperante, reddidit. „ *Penes Bollandum 6. Januarii.*

XXI. In casu a nostro Rituali proposito, faciendum est signum Crucis in parte corporis singulariter a dæmone vexata; at verò extra prædictam hypotesim, potest fieri in aere *contra locum*, ubi adversarius timetur, ut quibusdam relatis exemplis patet. Secundò, in *fronte*. *Non pudeat*, ait S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. *nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur ..... magna hæc est custodia, ... & timor dæmonum.* D. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. contra Julianum: *Ipsum impugnat, eo quod garriat*, Catholicos *Domus, & frontes signo pretiosæ Crucis signare*; & S. Hieronymus Epist. ad Demetriadem: *Cludas*, inquit, *cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam*,

ne

ne exterminator Ægypti in te locum reperiat. Tertiò in *corde*. Aurelius Prudentius in Hymno ante somnum, canit:

Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.

Sic energumenos liberabat S. Frodobertus Abbas Trecensis, signando scilicet eos in fronte, & in pectore; legitur namque in ejus Vita *cap. 2. penes Bollandum die 8. Januarii*. „ In effugandis „ dæmonibus ea virtutis præstantia præpolle- „ bat, ut cuicumque energumeno in fronte, vel „ pectore signum Crucis imprimeret, mox, „ ejus compellente imperio, malignus spiritus „ effugatus abiret.„ Quartò, in *ore*. Martialis *Epistol. ad Burdigalenses cap. 8.* scribit: *Crucem Domini, in quem credidistis Deum verum, & Dei Filium, semper in mente, in ore, in signo tenet. Crux enim Domini armatura vestra invicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & angelicas insidias perversæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens.*

XXII. Quam frequenter autem adhibendum sit hoc salutiferum signum, constat nedum ex Hieronymo supra relato, sed etiam ex Cyrillo Hierosolymitano, qui post prælaudata verba statim subdit: *In aliis omnibus Crux fiat: in panibus comedendis & poculis bibendis, in egressu, & ingressu; ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo.* Et Tertullianus lib. de corona Militis cap. 3. *Ad omnem*, inquit, *progressum, atque promotum: ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia,*

quæcumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Si ergo tam frequens esse debet Christianis omnibus signum S. Crucis; qua frequentia adhibendum erit ab obsessis?

XXIII. Advertendum tamen, quod cum fiducia fiat, ut monet S. Joannes Chrysostomus homil. 55. in Matth. *Quando*, inquit, *te Cruce signas, magna tuam frontem arma fiducia, ... nam si hoc modo cum faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.*

XXIV. Si autem quæras, ex quo proveniat tanta vis signi Crucis adversus dæmones, rationes colligere poteris ex allatis SS. Patribus. Duas tamen potissimas dabo. Prima est, tantam vim oriri ex virtute ipsi signo a Deo impressa, quod contra dæmones vim habet vi sua, seu ex opere, ut ajunt, operato; cum valeat etiamsi ab infidelibus adhibeatur, ut D. August. scribit *lib.* 83. Quæstionum, *quæst.* 79. inquiens: *Nec mirum est, quod hæc signa valeant, cum a bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt: propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.* Hanc S. Doctoris doctrinam mirè probat id, quod refert S. Gregorius Magnus *lib.* 3. *Dialogor. cap.* 7. „ Judæus quidam, *scribit*, ex Cam-
„ paniæ partibus Romam veniens, Appiæ car-
„ pebat iter, qui ad Fundanum clivium per-
„ veniens, cum jam diem vesperasse cerneret,
„ & quo declinare posset minimè reperiret,
„ juxta Apollinis templum fuit, ibique se ad
„ manendum contulit. Qui ipsum loci illius
„ sacrilegium pertimescens, quamvis fi-
„ dem Crucis minimè haberet, signo tamen
„ se Crucis munire curavit. Nocte autem media

ipso

„ ipso solitudinis pavore turbatus, pervigil ja-
„ cebat, & repentè conspiciens, vidit maligno-
„ rum spirituum turbam, quasi in obsequium
„ cujusdam potestatis præire; eum verò, qui
„ cæteris præerat, in ejusdem gremio loci con-
„ sedisse, qui cœpit singulorum spirituum obse-
„ quentium sibi causas, actusque discutere,
„ quatenus unusquisque, quantum nequitiæ
„ egisset, inveniret .... Cumque Judæus, qui
„ advenerat, hoc vigilans cerneret, & magnæ
„ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spi-
„ ritu, qui cunctis illic obsequentibus præe-
„ rat, jussum est, ut requirerent quisnam esset
„ ille, qui jacere in templo eodem præsum-
„ psisset. Quem maligni spiritus pergentes, &
„ subtilius intuentes, Crucis Mysterio signatum
„ viderunt, mirantesque dixerunt: Væ, Væ,
„ vas vacuum, & signatum. Quibus hoc re-
„ nunciantibus cuncta illa malignorum spiri-
„ tuum turba disparuit. Judæus verò, qui
„ hæc viderat, illicò surrexit, &c.

XXV. Secunda ratio desumitur ex apprehensione dæmonum, qui ubi Crucem vident, mox recordantur se Cruce Christi victos, atque superatos fuisse. Hanc rationem dat Origines homil. 6. in Exodum. *Quid timent*, ait, *dæmones? Quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor ergo, & tremor cadent super eos, cum signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum.* Consonat S. Athanasius in Vita S. Antonii: *quia*, inquit, *metuunt illud trophæum, in quo Salvator aereas expolians potestates, eas fecit ostentui.* Nec dissonat D. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 13. ubi postquam dixit, signum Crucis esse timorem dæmonum, addit: *Triumphavis*

phavit enim de illis in hoc ſigno. Oſtenta illud aduncter. Quando enim viderint Crucem, recordantur Crucifixi: metuunt eum, qui contrivit capita draconis.

XXVI. Porrò, ſi iterum petas, quare non ſemper ſuum producat effectum ſignum Crucis, quamvis ex opere operato vim habeat, & illud dæmones ad eo reformident, reſpondet D. Auguſt. loco ſupra citato: *Cum autem non cedunt his ſignis hujuſmodi poteſtates, Deus ipſe prohibet occultis modis, cum id juſtum, atque utile judicat; nam nullo modo ulli ſpiritus audent hæc ſigna contemnere. Contremiſcunt hæ ubicumque illa conſpexerint.* Aliam rationem habes ex D. Chryſoſtomo ſupra relato *num.* 16. ſcilicet quando non fit cum fiducia.

Et aqua benedicta aſpergat, quam exorcizando in promptu habeat.

XXVII. *Nam*, inquit Alexander 1. Epiſtola ad omnes Orthodoxos, apud Gratianum 2. p Decreti, cap. *Aquam* de Conſecr. diſt. 3. *Si cinis vitulæ ſanguine aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat; multo magis aqua ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat. Et ſi ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam, ſterilitas aqua ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacratus, ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, ... & inſidias diaboli avertit, & a phantaſmatum verſutiis homines defendit?*

XXVIII. Ad hanc vim aquæ benedictæ reſpicientes antiqui Patres, præſertim contra dæmones

mones, in ipsam energumenos immergebant pro eorum liberatione. Richerius namque in Historia Abbatiæ Senonensis lib. 1. cap. 19. *apud d' Acherium tom.* 2. *Spicilegii*, scribit: *Habebatur in ipso Oratorio dolium aqua exorcizata plenum, ut energumeni, & alii a dæmoniis obsessi, in ipso mersi sanarentur, quod ita fiebat.* Et Fulcuinus, de gestis Abbatum Lobiensium cap. 34. *penes eumdem d' Acherium, ibidem*, narrat: *Nuper quoque quidam energumenus ad supradictam memoriam* (nempe S. Ursmani) *est delatus, quem Clerici Ecclesiæ ... per se tentant increpare, immissumque in aqua consecrata, Exorcistarum more exorcizavere.* Et tandem Auctor Vitæ S. Norberti *cap.* 8. narrat, quod cum ad Sanctum adducta fuisset quædam puella a dæmone obsessa, *Pater Norbertus consilium duxit, ut in aqua exorcizata eam imponeret, & ita factum est ...., & perfectè sanata apparuit.* Et cap. 11. de alio energumeno scribit: *Ponitur in aqua exorcizata, ... tandem exivit dæmon.*

XXIX. Sed non tantum hæc consuetudo fuit in usu, sed etiam aspersio aquæ, quæ *obsessos* liberavit, dæmones *apparentes* atque terrentes abegit, & insuper eorum *præstigias*, & maleficia dissolvit. De primo plura exempla habemus; nam S. Viventius Presbyter „ aquam con„ ceptis precibus, & signo Crucis consecrat, & „ potandam Cleopatroniæ dat, simul dæmonem „ increpans, ... ut illicò faceſſat. „ Ita legitur in Vita S. Cleopatronæ Virginis *penes Bollandum* 8. *Martii*. S. Parthemius Episcopus Lampsaci duos energumenos liberavit aqua eos aspergens, ut habetur in ejus Vita *cap.* 2. *ibidem die* 7. *Februarii*. S. Ulricus Presbyter Eremita: „ Aqua „ benedicta contra faciem inimici aspergens,

„ ipsum valdè confusum.... effugavit, „ ut narratur in Vita cap. 2. *apud Bollandum* 20. Februarii.

XXX. De secundo plura alia habemus exempla passim in Historia Ecclesiastica; unum vel alterum transcribam. „ Infirmitate carnis urgente, Laicus quidam.... monachico habitu .... indutus, ... ad domum infirmorum delatus, per aliquot dies inter vitæ mortisque confinia laborabat. Nocte itaque obitus sui diem præcedente in lecto jacebat, & velut morti jam proximus, a duobus famulis per vices sibi succedentibus custodiebatur.... Illa igitur noctis vigilia.... vigilantem famulum æger ille vocavit, qui cum ei astans, quid sibi vellet quæsisset, ... Non cernis, ait, tetros homines omne jam hujus domus spatium compleviſse, quorum horrenda species, & rostris longissimis facies exacutæ terrorem mihi non parvum important? Tunc..... famulus intellexit.... non hominum, sed malignorum spirituum hanc esse frequentiam; ... unde vas, quod forte cum aqua benedicta in proximo dependebat, fide plenus, arripit, & sanctificatum elementum huc, illucque confidenter aspergens, omnia illius habitaculi loca infudit. Hoc dum faceret, clamare ille fortiter cœpit: Eia, inquit, eia fac quod facis, insta, perurge adversarios, quoniam ecce velut a facie gladii fugientes, summa cum celeritate exire contendunt; & quia moras patiuntur, in alterutrum impingentes, primos hi, qui sequuntur, violenter impellunt. Quo ille audito, instare acriter, & aqua benedictionis filios maledictionis a domo excludere contendebat, " ut narrat S. Petrus Cluniacensis

Abbas

Abbas *lib. 1. de miraculis cap. 7.* Similiter in Vita S. Bartholomæi Eremitæ Farnensis *cap. 3. apud Bollandianos die 24. Junii* legitur, quod hic Sanctus dum officia charitatis erga Priorem sui Monasterii, in extremis laborantem, exhiberet, „ vidit diabolum in angulo propius assistere.... allata autem Bartholomæus aqua benedicta, locum simul, & bestiam aspersit. „ At illa tactum aquæ declinans resiliit, & „ protinus in angulum rediit. Cumque aliquoties hoc faceret, & aquarii sollicitudinem „ hostis deluderet, sumpto, vir Domini, in „ manibus vase aquæ benedictæ pleno, in faciem ejus projecit, & omni loco rore perfuso, „ diversas tandem in formas paulatim deficiens „ hostis, evanuit. „ Quid simile legitur in Vita S. Philippi Nerii, ab Antonio Gallonio conscripta, *apud eosdem Continuatores tom. 6. Maii die 26.* Cum S. Pater ad invisendum Persianum rosa ægrotantem accessisset, æger „ clamare continuò cœpit: Adjuva me S. Philippe: est hic canis „ colore nigerrimus, qui me lacerare nititur; „ succurre, quæso, succurre quod potes, ne „ devorer. Quibus verbis motus Beatus Pater, „ humi illico.... se se prostravit. Quod cum „ faceret, ecce sibi ille de repente magna voce „ dicere cœpit: Canis recedit, fugit canis: en in „ limine ostii stat. Tunc surgens ab oratione „ Philippus, piacularis aquæ aspersione dæmonem ab eo etiam loco fugavit, magno cum „ solatio morientis. „

XXXI. De tertio verò duo pariter exempla referam. Primum sit illud, quod narrat Palladius in Historia Sanctorum Patrum *cap.* 19. & 20. „ Ægyptius quidam captus amore cujusdam mulieris ingenuæ, quæ viro nupserat, cum „ non posset eam inescare propter pudicitiam, &

„ caſtitatem erga ſuum maritum Parthenicum,
„ convenit improbus præſtigiatorem, dicens: Aut
„ eam incita, ut me amet, aut arte tua effice, ut
„ ejus maritus eam dimittat. Cum ergo præſtigia-
„ tor ſatis ab eo accepiſſet, uſus eſt ſuis præſti-
„ giis, & incantationibus, & cum non poſſet ejus
„ animum movere, ut ei aſſentiretur, efficit,
„ ut videretur iis, qui eam intuebantur, equa.
„ Cum ergo foris veniſſet ejus maritus, aſpexit
„ uxorem ſuam in forma equæ; cumque in ſuo
„ lecto cubuiſſet, alienum ei videbatur, quod
„ in ſuo cubili equa jaceret. Flet ergo mari-
„ tus ejus ..... quæ, cum eſſet adducta ad
„ Macharium, aquam benedixit, in caput ejus
„ nudum effudit, ſtatimque effecit, ut omnibus
„ videntibus, fœmina videretur. „ Secundum
ſit illud, quod refert S. Epiphanius *lib. 1. adverſus hæreſes, hæreſi 30. quæ eſt Ebionitarum, n. 12.*
„ Joſephus Tiberiade Eccleſiam ædificare cœ-
„ pit. Erat in eadem Urbe templum ingens
„ olim extructum, quod Adrianum, niſi fal-
„ lor, appellabant. Quod cum imperfectum
„ hactenus manſiſſet, oppidani publicos in bal-
„ neos commutare ſtudebant. Hoc Joſephus na-
„ ctus, ad id, quod animo conceperat, accom-
„ modare inſtituit. Et ut quadrato lapide qua-
„ ternum cubitorium certam ad altitudinem
„ erectum invenerat, veteri ſtructuræ novam
„ Eccleſiæ molem imponere ſtatuit. Ad id calce
„ viva opus erat, reliquaque omni materia. Igi-
„ tur caminos extra urbem fieri non paucos im-
„ perat, ſeptenos circiter, quos vulgò forna-
„ ces nominant. Sub hæc Judæi ad audenda
„ quælibet projecti, ad uſitata ei genti malefi-
„ cia confugiunt. Etenim magicis carminibus,
„ ac præſtigiis vim ignis impedire egregii ho-
„ mines aggreſſi ſunt: ſed non perpetuò po-

„ tue-

„ tuerunt. At initio tamen cessabat ignis, ni-
„ hilque coquebat, naturæ suæ velut officio
„ destitutus. Tum qui suppeditando igni pa-
„ bulo, virgultis scilicet, ac fructibus erant
„ appositi, cum nihil se proficere animadverte-
„ rent, rem ad Josephum deferunt. Pupugit
„ ea res hominem, statimque cœlesti in Domi-
„ num ardore succensus, extra Urbem advo-
„ lat, aquam postulat: affertur in æneo vase,
„ quod Campsacen vulgò, illic Cacubium vo-
„ cant. Eo coram omnibus accepto, (nam ad
„ hoc spectaculum Judæorum turba convene-
„ rat, ut rei eventum, ac quid tandem Jose-
„ phus ageret, viderent) Crucis signum super
„ illud digito ducit, ac Jesu nomen invocans,
„ magna voce sic loquitur? In Nomine Jesu Na-
„ zareni, quem mei pariter, atque horum
„ omnium, qui hic adstant, majores in Cru-
„ cem egerunt, hæc aqua vim habeto ad ma-
„ gicas artes, maleficiaque omnia restinguen-
„ da, quæ isti compararunt, ab eademque vis
„ igni sua restituatur, quo Domini domus
„ absolvi possit. His dictis, fornacibus singulis
„ aquam aspergit. Ita dissolutis præstigiis co-
„ ram omnibus ignis afferbuit, quo miraculo
„ commota turba magnis vocibus exclamavit:
„ unus est Deus, qui Christianos adjuvat. Ita-
„ que discessit." His omnibus clarum fit, quàm merito Rituale nostrum dicat: *Et aqua benedicta aspergat &c.*

XXXII. Advertendum tamen, quod si aliquando aqua benedicta aspersa suum, & optatum non habeat effectum, hoc non provenit ex sui imbecillitate, sed ex vexati obice, quod clare colligitur ex alio exemplo, quod loco prælaudato *c.* 6. narrat idem S. Petrus Cluniacensis, scilicet quemdam Monachum a diabolo in for-

ma

ma equi vexatum non potuisse a vexatione liberari aqua benedicta propter peccatum: *Sed ne miretur aliquis*, statim subjungit, *benedicta aqua aspersione dæmonem non fugatum; agnoscat, tabe interius latente, unguenta exterius adhibita nihil proficere posse.... Sic ager iste, & aqua salutari potuit aspergi, & tamen propter occultam, ut post apparuit, peccati labem, non potuit a dæmone liberari.*

DOCUMENTUM XII.

OBservet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat, & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo, ac si videat se proficere in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

SUMMARIUM.

1. DÆmones magis torqueri per quædam verba potius, quam per alia remissivè ostenditur.

2. Item

2. *Item remissivè alio de vi Exorcismorum indicantur.*

3. *Quomodo intelligendasint ultima verba hujus Documenti, explicatur.*

COMMENTARIUM.

Observet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat.

I. VIde, quæ diximus in Commentario Documenti IV. *num.* 3. 4. & 5.

Et quando pervenit ad comminationem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo.

II. Sic enim magis magisque vires dæmonis debilitantur, & confringuntur. Vide, quæ diximus de vi Exorcismorum supra, in Commentario Documenti XI. *num.* 2.

Et si viderit se proficere, in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

III. Quæ intelligenda videntur de objurgatione,

ne, quæ est operationum dæmonis reprehensio, quæque ejus superbiam coercet, & impedit, ne actu ita acriter vexatum tentet, & affligat; vel intelligenda sunt de præcepto, quod vocant lenitivum, per quod scilicet tolluntur actuali energumeni vexationes, & coincidit cum objurgatione; vel tandem de præcepto instructivo, quod scilicet ad ostendendam vexato dæmonis obedientiam ei imponitur: nam præceptum expulsivum nunquam fieri debet, nisi cum obsessus ad suam liberationem perfectè dispositus fuerit, atque probatus; in hoc enim casu non tanto labore opus erit Exorcistæ, sicut requiritur ad disponendum, sed fermè statim victoriam consequetur.

DOCUMENTUM XIII.

CAveat proinde Exorcista, ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat; sed hanc curam medicis relinquat.

SUMMARIUM.

1. *NUlla res corporea vim habere potest in dæmones.*
2. *Tres objectiones referuntur.*
3. *Quibus luculenter fit satis; ad num. 8.*
9. *Ex doctrina tradita oritur difficultas in specie gravis.*
10. *Quidam naturalibus remediis indirectam vim in dæmones tribuunt;*

11. *Alii*

11. *Alii etiam hanc negant.*
12. *Quæ sententia magis arridet.*
13. *Ex qua, sicut ex aliis rationibus, conciliatur cum Rituali Romano nostra doctrina, & difficultas num. 9. indicata solvitur; & num. 14.*

COMMENTARIUM.

Caveat proinde Exorcista, ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat.

1. CUI enim bono id ageret Exorcista? nam, ut loquitur S. Th. de Potentia q. 6. art. 10. *Non est potestas super terram qua ei possit comparari, scilicet diabolo: major autem potestas non cogitur à minori; ergo per nihil terrenum dæmones cogi possunt.* Cui consonat Henricus noster quodl. 18. quæst. 35. *Vis diaboli naturaliter omnem corpoream creaturam excedit; nec est aliqua vis in lapidibus, aut herbis, quæ ipsum cogere potest, vel fugare ullo modo.* Quæ Doctoris Angelici, & solemnis ratio sumpta est ex illo Job. 41. v. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Aliam adducit rationem Liranus in 1. Reg. cap. 17. *Nulla*, inquiens, *res sensibilis, aut virtus corporalis potest in eis aliquid agere directè, vel indirectè, cum sint omninò spirituales substantiæ, per quod possint ad aliquid compelli, nec per consequens ab obsessis corporibus expelli.* Quod idem docet ex nostris Capitonius Avenionis Archiepiscopus Explicat. Catholicar. *part. 1. explicatione* 54. his verbis: „ dæmones „ nequeunt aliqua re sensibili, præter eorum „ voluntatem compelli.... quod verò plerum-

„ que

„ que accidit ſive minis, ſive herbis, aut lapi-
„ dibus, aut verbis incognitis tamquam fugatos
„ dæmones videri, a corporibus obſeſſis ejici, eſt,
„ quod ſe projectos, & compulſos ſimulent:
„ quo decepti homines Idololatriam, ſuperſti-
„ tiones, & pacta cum illis ſequantur.„ Hinc rejiciendi omninò ſunt Exorciſtæ illi, (non quidem pauci) qui varia medicamenta tum ſimplicia, tum compoſita aſſignant tradenda obſeſſis, ut ſeu ſimpliciter, ſeu facilius liberentur, dæmoneſque fugentur.

II. Verum tria huic doctrinæ opponi videntur. Primum eſt illud, quod legitur *Tobiæ 6. v. 8.* ubi dicitur, quod Tobiæ juniori interroganti, quam virtutem haberent ea, quæ ſervata erant ex piſce, Angelus reſpondit: *Cordis ejus particulam, ſi ſuper Carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, ſive a viro, ſive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* Secundum eſt id, quod habetur 1. Reg. cap. 16. v. 23. *Quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & levius habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Tertium eſt id, quod ſcripſit Joſephus *Antiquitatum* lib. 8. cap. 2. *Vidi etenim*, inquit, *quemdam Eleazarum de gente noſtra, præſente Veſpaſiano, & ejus filiis, & Tribunis, alioque ſimul Exercitu curantem eos, qui a dæmonibus vexabantur, dæmoniaci naribus admoto annulo, habente ſub ſignaculo radicem a Salomone monſtratam: deinde per nares odorantis dæmonium abſtraxit, & repente cecidit homo. Poſtea id adjuravit, ne amplius rediret.* Et lib. 7. de bello Judaico cap. 25. de quadam radice, ait: *Nam quæ vocantur dæmonia, peſſimo-*

rum

rum hominum spiritus, vivis immersa, eosque necantia, quibus subventum non fuerit: hæc cito, etiamsi tantummodo admoveatur ægrotantibus, abigit.

III. Sed ad primum dico cum Lirano, loco supra citato: *Quod fumus illius jecoris non expulit dæmonem, sed meritum orationis Tobiæ, quod per fumi odorem designabatur; & hoc patet per illud, quod ibidem dicitur, quod Angelus Raphael apprehendit dæmonem, & religavit eum in superioribus Ægypti. Ex quo patet, quod non ex virtute fumi jecoris, sed virtute S. Angeli voluntatem Divinam exequentis fuit ille dæmon expulsus.* In hac eadem sententia est Capitonus noster supra laudatus *part. 1. explicat.* 54. Quare autem voluerit Raphael cremari jecur piscis, cum ipse solus virtute sua dæmonem expulerit; dici potest hoc feciſse, ut se occultaret; nam cum esset Angelus, & in forma viri se repræsentaret: dixerat enim cap. 5. v. 18. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius*, nolletque se manifestare, usquequò omnia completa essent, ut legitur *cap.* 12. *v.* 15. tacuit se velle religare dæmonem in deserto, ne se Angelum patefaceret, & dixit, fumum jecoris illius piscis, cæsilidis scilicet, dæmones effugare. Nec per hoc mendacium protulit; usurpavit namque (ut sæpe fieri solet) signum pro signato: fumus enim ille ex Dei, & Angeli beneplacito assumptus fuit ad significandam vim, quæ inerat non in corde piscis, sed in oratione Tobiæ ex corde prosilientis.

IV. Aliam responsionem allegorico innixam sensui tradit D. Prosper, sive alius, qui sit Auctor libri de Prædictionibus, & Promissionibus Dei; vim scilicet illam cordis ei fuisse insitam,

ob

ob relationem ad Christum Dominum, qui & Magdalenam a dæmonibus, a quibus possessa erat, & nos a tyrannide diaboli liberavit: sic enim loquitur part. 2. cap. 39. *Mysticum verò actionis hujus hoc est, quod ex interioribus piscis & damon fugatus est, & Tobias illuminatus. Hoc agit piscis magnus, ex passione sua, Christus, purgans Mariam, aqua expulit septem damonia: anima sic capta desperationem tollens, quam septem spiritus nequiores, dum vexaverint, purgari, sanarique etiam talem necesse est per jecinora nostri piscis, si pœnitens reversa intelligat, quia ex illa spiritus maligni fugentur, eosque caveat inimicos. ἰχθὺς namque latinè piscem sacris litteris majores nostri hoc interpretati sunt, ex sybillinis versibus colligentes, quod Jesus Christus filius Dei Salvator, piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & pascimur.* Quod fortè desumpsit *ex lib.* 18. *de Civit. Dei* D. Augustini *cap.* 23. ubi colligit ex verbis Sibillæ Erythrææ, sive, ut quidam magis credunt, Cumææ, quod Christus dicatur piscis. *Piscis*, ait, *in quo nomine mysticè intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abyssо, velut in aquarum profunditate vivus, hoc est sine peccato esse potuit.*

V. Ad secundum responderi potest primò, quod Josephus *lib.* 6. *antiquit. cap.* 9. censet correptum fuisse Saulem violenta morbi vi a dæmone causati, qui sanè morbus adeo hominem suffocabat, ut nullum aptius remedium succurreret medicis, quam ex cantare miserum, vel pulsu. Suavium instrumentorum muliere. In ea enim persuasione fuit Josephus, eo morbi genere laborasse Saulem, quod veteres pelli censebant ex cantationibus, & musica, ut ali-

quibus

quibus adductis, probat eruditissimus P. Calmet *Comment. in 1. lib. Reg. cap. 16. v. 14.*

Secundò responderi potest cum Judæis Doctoribus, aliisque Christianis Scriptoribus, hunc Saulis morbum ab atra bili, & mania potius, quam a dæmone profluisse, ut allatis horum congruentiis indicat idem clarissimus Scriptor ibidem. Quare si prima, vel hæc secunda sententia amplectatur, difficultas prorsus evanescit.

Verum quia communior Patrum, & Scriptorum sententia est, Sauli dæmonem revera insedisse, respondeo in primis cum prælaudato Nicolao de Lira ibidem: *Quod per melodiam virtute naturali Saul levius poterat ferre, sed per eam, ut sic dæmon non recedebat, sed magis virtute Divina immediatè, videlicet mediantibus Angelis Sanctis, ex merito David, qui laudes Divinas in cithara canebat pro salute Saulis, sicut per orationes Sanctorum frequenter leguntur dæmones expulsi a corporibus obsessis. Melodia etiam ad hoc aliquo modo faciebat, non agendo in dæmonem, sed in quantum devotionem David excitabat;* cui adhæret Illustris. Capitonius Explic. Cathol. *explic. 54. par. 1.* Et revera, quod David laudes Divinas in cithara caneret, colligitur ex ipso textu, in quo eodem capite *v. 15. & seqq.* habetur: *Dixerunt que servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Jubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & levius feras.... Misit ergo Saul nuntios ad Isai dicens: Mitte ad me David Filium tuum.* Ecce, quod David nedum citharam percutiebat, sed & psallebat. Porrò *Psalmus*, inquit D. Basilius in proœmio Psalmorum, est *pro fligandis dæmonibus, ac de-*

pellendis quoddam amuletum. Et D. Ambrosius Præfat. in Psalm. *Psalmus*, inquit, *iracundiam mitigat, sollicitudinem abdicat, mœrorem allevat*. Quod verò devotionem in David excitaret, ejusque orationem Deo gratiorem redderet, hoc facile intelligi potest, cum iste sit unus ex præcipuis musicæ sacræ effectibus, quos in se expertus fuit D. Augustinus, ut lib. 9. Confessionum cap. 6. testatur: *Quantum flevi*, inquit, *in hymnis, & canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.*

VI. Respondeo secundò, fugatum dæmonem pulsu citharæ, sed in virtute, ac merito Crucis Christi, cujus figura illa cithara fuit. Hunc allegoricum sensum similiter nobis exhibet D. Prosper *loco citato parte* 2. *cap.* 25. ubi postquam dixit Davidem signare Pastorem unctum Christum Dominum: *Suavi*, inquit, *sono citharizans David, non tantum animalium mulcebat auditus, quantum etiam in ipso Saule vexationem mali spiritus temperabat. Si nostri temporis manu fortis Christi Domini citharam respicias personantem, quam ligno Crucis carnis membrorumque suorum aptatam plectro dum tangit Sancti Spiritus, omne animal replens benedictione ipsum quoque diabolum fugavit de cordibus inimicorum.*

VII. Ad tertium tandem respondeo cum prælaudato Lirano ibidem: *Quod hoc arte magica faciebat* (Eleazarus) *per pacta cum dæmonibus inita tacita vel expressa, quibus se expelli fingunt, ut homines in errore teneant, & in sua servitute.* Quæ responsio fit manifesta, si attendantur ea,

quæ

quæ habet idem Josephus locis citatis. In libro enim Antiquitatum, post relata verba, ait: *Postea id adjuravit, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans. Volens autem satisfacere, ac probare præsentibus Eleazarus hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem, aut pelvim aqua plenum, & dæmonio imperabat, ut ab homine egressum ea averteret, ut videntibus præberet indicium, quod hominem reliquisset. Quo facto sapientia Salomonis omnibus innotuit.* Hoc profecto superstitionem sapit, cum Eleazarus iste, & Salomonis mentionem faceret, & *incantationes* ab illo inventas recitaret. Nec mirum sit alia de Salomone Flavius Josephus proloquatur, & nos ipsi assentiamur; siquidem alii doctissimi viri hoc idem sentiunt. Audiatur D. Thomas de potentia q. 6. art. 10. ad 3. *Si Salomon Exorcismo suos eo tempore fecit, quando erat in statu salutis, potuit esse in illis exorcismis vix cogendi dæmones ex virtute Divina. Si autem tempore illo, quo Idola adoravit, ut intelligatur eum per magicas artes feciſſe, non fuit in illis Exorcismis vis cogendi dæmones, nisi modo prædicto, scilicet, non rebus corporalibus propter se ipsas.... sed in quantum homines per eas in peccatum adducuntur, & inde est, quod alliciuntur mendaciis, & his, quæ homines in errorem, vel peccatum inducere possunt.* Cui consonat Liranus *loco memorato*; Joannes Gerson, *de erroribus circa artem magicam dicto* 3. & omnes penè Theologi.

VIII. Porrò ad id, quod attinet ad radicem, de qua agit Josephus *lib. 7. de bello Judaico cap.* 25. sufficit, quod vel leviter inspiciamus modum evellendi talem radicem, ut cognoscamus totam rem a superstitione, seu pacto cum dæmone pen-

dere. Subjiciamus ergo eruditi Lectoris oculis Flavii verba: *Quidam*, inquit, *locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem assimilis est colore, circa vesperam verò velut jubare fulgurans, accedentibus, eamque evellere cupientibus facilis non est, sed tandiù refugit, nec prius manet, quam si quis urinam muliebrem*, (nota Lector) *vel menstruum sanguinem super eam fuderit; quia etiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu* (iterum adverte) *pendentem. Capitur autem alio quoque modo sine periculo, qui talis est. Totam enim circumfodiunt ita ut minimum ex radice terra sit conditum, deinde ab ea religant canem*, (rursus reflecte) *illoque sequi eum, a quo religatus est, capiente, radix quidem facile evellitur, canis verò continuo moritur tamquam ejus vice, a quo herba tollenda erat, traditus; nullum enim postea accipientibus metus est. Tantis autem periculis propter unam vim capiendam operæ pretium est. Nam quæ vocantur dæmonia &c.*

IX. Sed quod majorem gignit difficultatem, est Rituale nostrum, quod postquam interdixit Exorcistis, ne obsessis medicamenta præbeant, statim subjungit: *Sed hanc curam medicis relinquat*; si enim res naturales nihil in dæmones possunt, quare ad medicos provocat? At solutio difficultatis ex sequenti Commentario mox patebit. Igitur

Hanc curam medicis relinquat.

X. Communiter naturalibus medicamentis secundariam, & indirectam vim tantum tribuunt in dæmones Theologi, & Medici, quos usque ad vigintiquatuor enumerat P. Candidus Brogno-

gnolus *tom.*2. *Alexicacon disput.*2.*art.*2.*num.*378. In explicanda autem hac indirecta, & mediata vi, fere omnes conveniunt, quod dæmon, ut plurimum, homines vexare consuevit prius per aliquam rem sensibilem, causando dispositionem in corpore humano, per quam fit aptum ad suscipiendam dæmonis actionem. Excitetur v. g. a dæmone in homine humor melancolicus, quo maleficiatus, vel obsessus affligatur, & continuis teneatur angustiis, ut sæpissimè evenire solet; nonne poterit medicus suis pharmacis saltem compescere humorem? Sicque ablata causa, per quam afflictio causatur, fugabitur dæmon, qui per talem humorem afflictionem inducit.

XI. Sed P. Brognolus *loco citato*, contendens, quod nec indirectè res sensibiles in dæmones agere possint, insurgit, & arguit, & ut puto non inefficaciter. Licet aliqui a dæmone vexentur quandoque per prævias dispositiones ab eo in corpore inductas, exinde tamen non sequitur, quod per medicamina purgato tali humore, cesset dæmon vexare hominem obsessum, vel maleficiatum. Nam cum dæmon sit causa libera, non necessaria, a corpore humano non dependens, qui se occultè in illud potest intromittere, adhuc iterum, & iterum potest illicò novos excitare humores, novasque dispositiones inducere, & fovere, quibus continuos causet dolores, imò sine hujusmodi prævіis dispositionibus acerbissimas valet excitare torsiones.

XII. Quare cum Lirano in 1.Reg. cap. 16. dico: *Nulla* res *sensibilis*, *aut virtus corporalis potest in eis* (dæmonibus scilicet) *aliquid agere directè*, *vel indirectè*.... *Videtur tamen rationabiliter concedendum*, *quod per sensibilia possunt afflicti a damonibus afflictionem levius ferre*. *Uno modo*,

quia actus activorum sunt in patiente praedisposito, ut dicitur 2. de anima. *Daemones autem non possunt materiam corporalem, secundum suam voluntatem transmutare, sed hoc faciunt mediantibus activis corporalibus, propter quod in suis actibus homines affligendo, aliquando considerant dispositionem materiae corporalis, unde & dicuntur aliqui lunatici, ut habetur* Matth. 4. & 17. *quia secundum variam dispositionem luna affliguntur a daemonibus ex divina permissione, quia Luna habet dominium super humida, & secundum hoc cerebrum hominis, quod inter omnes partes corporis est magis humidum, magis est actum ad suscipiendum actionem daemonis uno tempore, quam alio secundum varium motum Lunę; & eodem modo ad contrarium per aliquam rem sensibilem potest causari dispositio in corpore humano, per quam minus subjicitur actioni daemonum, & sic afflictio ab eis causata diminuitur, & alleviatur. Alio modo potest hoc contingere, quia ad afflictionem requiritur perceptio. Delectatio enim est conjunctio convenientis cum convenienti cum perceptione ejusdem, ita quod ubi nulla est perceptio, nulla est delectatio. Et eodem modo est de tristitia, seu afflictione, quae est de praesenti malo, seu conjunctio cum perceptione ejusdem, & ideo illud, quod diminuit perceptionem hujusmodi, diminuit, & alleviat afflictionem. Melodia vero* (loquitur de cithara David, quæ Saulem alleviabat) *extrahit ad semet attentionem, & per consequens ab alio retrahit, & sic potest alleviare afflictionem a daemone causatam in homine, in quantum attrahit ad se attentionem, & retrahit ab afflictionis perceptione, sed daemonem affligentem non potest expellere.*

XIII. Est & alia ratio, quare ad medicos remittat

mittat Rituale noſtrum; quia, ſi infirmitates a dæmone inductæ per res naturales, exempli gratia per venena, venenataſque potiones, vel id generis in corpore immiſſas, a medico agnoſcantur, nec dæmon amplius malefaciendo aſſiſtat, ſed ſponte, vel coacte per Exorciſmos, vel alia remedia ſpiritualia ab ægroto totaliter receſſerit, poterit medicus remediis naturalibus morbos curare; quæ enim mediantibus cauſis naturalibus proveniunt, mediantibus contrariis ejuſdem ordinis tolli poſſunt.

XIV. En quare Rituale noſtrum ad medicos provocet, quia licet nullum medicamentum, nec quælibet alia res ſenſibilis vim habeat ſive directam, ſive indirectam in dæmones, tamen per res ſenſibiles poteſt morbus cauſatus a dæmone mitigari, & alleviari, pro modico ſaltem tempore, ſecundum Lirani doctrinam, vel in totum tolli, ſi relinquatur poſt expulſionem dæmonis. Unde in hoc ſenſu inquit: *Sed hanc curam medicis relinquat.*

DOCUMENTUM XIV.

MUlierem exorcizans, ſemper ſecum habeat honeſtas perſonas, quæ obſeſſam teneant, dum exagitatur a dæmonio, quæ quidem perſonæ ſint patienti, ſi fieri poteſt, cognatione proximæ, atque honeſtatis memor Exorciſta, caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod ſibi, aut aliis occaſio eſſet poſſit pravæ cogitationis.

SUMMARIUM.

1. *IN hoc unico paragrapho Exorciſta ſuadetur pluribus ad morum gravitatem, modeſtiam, & ſanctitatem in muliere exorcizanda adhibendam.*

COMMENTARIUM.

I. IN tota hac ſaluberrima ſanctione nihil eſt, quod addam, niſi quod conforme huic monito ſcribit S. Paulus ad Romanos *cap.* 12. *v.* 17. monens eos ut provideant *bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Et 2. *ad Corint.* 8. *v.* 20. *&* 21. teſtatur, ſe cum ſuis ſervare hanc regulam in miniſte-

nisterio Apostolatus, *devitantes*, inquit, *hoc; ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Quod expressius in simili scriptum reliquit D. Hieronymus ad Nepotianum, de vita Clericorum, inquiens: *Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris .... solus cum sola, secreto, & absque arbitro, vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum: habet nutricem major domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, ut nullam præter te habeat, cui se audeat credere. Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante de vita.* Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. statuit: *Non remotis tamen arbitris,* (loquitur de Exorcista) *sed præsentibus viris honestis, atque ætate gravibus, in iisque uno saltem, vel duobus Ecclesiasticis hominibus. Mulieri autem energumenæ cum exorcismum adhibet, id præstet duobus ætate, vitaque probatis viris, tum fœminis itidem probatis præsentibus, iisque omnibus, si fieri potest, energumenæ consanguineis, vel affinibus. Mares, aut alios præsentes adesse ne omninò patiatur, nisi unum Ecclesiastici ordinis hominem.* Et S. Philippus Nerius sapienter discipulos monebat, *sibi ipsis caverent, ne energumenas fœminas, nisi astantibus multis, adjurare præsumerent;* ut refert P. Antonius Gallonius in ejus Vita *cap. 8. penes Bollandianos Continuatores tom. 6. Maii die 26.*

DO-

DOCUMENTUM XV.

DUm exorcizat, utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam ſuis, aut alienis. Jubeatque dæmonem dicere an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat: vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur. Moneatur etiam obſeſſus, ut tentationes ſuas omnes Exorciſtæ patefaciat.

SUMMARIUM.

1. *Vis verborum S. Scripturæ adverſus dæmones oſtenditur.*
2. *Explicatur quomodo dæmon detineatur aliquando in corpore hominis per operationem magicam.*
3. *Signa maleficii non ſunt cauſæ phyſicæ, ſed morales dæmoniacæ vexationis, quibus dæmon delectatur Deum emulando; & num.* 4.
5. *Signa hæc interdum vere ſunt interna,*

6. *Quæ*

6. *Quæ pluribus modis in corpus humanum immitti possunt.*
7. *Aliquando enim ab homine videntur, sed solum apparenter.*
8. *Licitum est absolutè signa externa maleficii destruere.*
9. *An verò id licitum sit spe cessationis nocumenti, hinc inde ab Auctoribus disputatur.*
10. *Sententia Henrici affirmativa statuitur.*
11. *Ejusque ratio expenditur, & tota res confirmatur ad num. 13.*
14. *Objectiones proponuntur, & solvuntur, ad num. 19.*
20. *Talis curatio moralis dicenda est.*
21. *Non tamen est necessarium signa maleficii destruere pro sanitate obtinenda, ad num. 24.*
25. *Licitum est jubere, non tamen petere, ut dæmon signa maleficii revelet.*
26. *Utilissimum erit obsesso omnes suas tentationes Exorcistæ patefacere.*

COMMENTARIUM.

Dum exorcizat utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam suis.

1. ET recte, nam *omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se*, ut legitur *Prov. 30. v. 5.* & S. Justus Orgelitanus *in Cantic.* ad illud: *Mille clypei pendent*, ait: *In Sancta Scriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra diabolum, vel contra ministros ejus fortiter repugnatur. Nam, & ipse Dominus, cum in deserto a diabolo tentaretur, ex hac turri arma produxit, cum eum, prolatis ex Sacra Scriptura testimoniis, usque-*

qua-

quaque devicit. Hinc S. Rabulas Abbas Sacræ Scripturæ verbis utebatur ad dæmones coercendos, ut legitur in ejus Vitâ *apud Bollandum die 19. Februarii*. *Quando vero improbus diabolus in eum irruebat, multis injuriis lacessendo, tunc munitus Scripturis Sacris è vetere, & novo testamento petitis, eum pari pondere repressit, operibusque ipsis in fugam conjecit*: Sic S. Abramius a se dæmonia pluries repulit, ut narrat in ejus Vita S. Ephræm Syrus: „ orante eo noc„ tu, *scribit*, tenens securim satanas cœpit „ Cellam ejus evertere, cumque jam eam vide„ retur perforasse, magna exclamavit voce, di„ cens: Festinate celeriter, o Amici mei, fe„ stinate, & introeuntes citò eum suffocate. „ Beatus autem vir Dei, contra illum: *Omnes*, „ inquit, *Gentes circumderunt me, & in nomi„ ne Domini ultus sum in eos*. Ille verò pro„ tinus hac voce audita, evanuit.... Iterum„ que, paucis inter labentibus diebus aliis, dum „ media nocte Psalmodiæ vacaret, conspiciens „ stoream, super quam Psallens consistebat, vehe„ menti flamma comburi, ignem intrepidus con„ culcans, ajebat: *Super aspidem, & basiliscum „ ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*, „ omnemque potentiam inimici in Nomine Do„ mini nostri Jesu Christi mihi auxiliantis su„ perabo: diffugiens autem satanas, &c. „

Jubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta.

II. Interdum detentio dæmonis in corpore pendet

det ab arte ipſa Magiæ, & ſolent aliquando magi, ſeu malefici ſigna quædam conficere externa, vel interna, quibus durantibus durat effectus maleficii, & illis deſtructis ceſſat. Sic aliquando ſigna externa maleficii ſunt capilli ligati, ſtatuæ cereæ, acus, paleæ, plumæ, oſſa &c. His enim, & ſimilibus inſtrumentis ſolent veluti firmari pacta inter maleficum, & dæmonem, ut, quamdiu ſignum permanet, teneatur dæmon malefacere ex vi pacti: deſtructo autem ſigno, vel ceſſet obligatio, vel etiam teneatur dæmon a malefaciendo ceſſare. Rituale noſtrum jubet interrogare an per hujuſmodi ſigna detineatur dæmon in corpore. Hinc audiendus non eſt P. Brognolus in Manuali Exorciſtarum *part.* 1. *c.* 3. *a.* 5. *quæſt.* 10. *pag. mihi* 126. qui apertis verbis ait: *Ad quid quærere, ut dicat, an ſit alligatus? Nonne hæc eſt mera fatuitas?* Ipſe tamen non ſibi conſtat; cum *ibid. cap.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 4. §. 2. *pag. mihi* 134. de ſe ipſo narret: *At tandem cum illi* (nempe dæmoni) *præcepiſſem, ut diceret, an ingreſſus eſſet miſſus ab aliqua ſaga opere maleficii? Reſpondit, &c.*

III. Advertendum tamen, quod hujuſmodi ſigna non ſunt cauſæ phyſicæ, quia virtutem non habent ex ſe producendi tales effectus, quales dæmon, & malefici intendunt; ſed merè morales, & quidem latè uſurpatæ, ſeu puræ conditiones, quia ſigna ſunt, & ſymbola externa, quibus poſitis, maleficus dæmonem invocat, & dæmon ad malefici placitum operatur, ut docet noſter ſolemnis Doctor Henricus *quodlib.* 5. *quæſt.* 33. inquiens: *Maleficia virtutem, aut efficaciam non habent ex natura propria, ſed cuncta, qua apparent fieri compoſitis maleficiis, immediatè fiunt libera voluntate a dæmonibus, ut*

eis sibi homines associent, & associatos decipiant, à vero Deo avertentes, secundum quod dicit Augustinus, loquens de talibus factis super Psalm. 38. Exurge in adjutoruim mihi: nihil maxime suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus inimicis, nisi quia Deus non est adjutor; ut requirentes aliena adjutoria, inveniamur invalidi, & ab inimicis ipsis capiamur. Ut enim dicit lib. 2. de Doctr. Christiana, *quæcumque fiunt in maleficiis sunt ex institutione superstitiosa, & pactione quadam dæmonum*. Cum enim Deum in hominibus studeat dæmon æmulari, sicut Deus in sacramentis colitur, ita signis mirificè delectatur. Quod D. August. *lib. 21. de Civit. Dei cap. 6.* apertè docet: *Dæmones*, inquit, *alliciuntur per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, in quantum scilicet, hæc eis exhibentur in signum divini honoris, cujus ipsi sunt cupidi.* Quod longè prius clarissimè docuerat Tertullianus de Præscriptionibus cap. 40. *Diaboli*, inquit, *sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum in Idolorum mysteriis æmulatur. Tinguit & ipse quosdam utique credentes, & fideles suos expiationem delavacro re promittit, & sic adhuc initiat mithræ: signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid? quod & summum Pontificem in unis nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes? Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia insignia, & privilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè*

dia-

diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est? qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectavit exprimere, in negotiis idolatriæ utique, & idem, & eodem ingenio gestiit, & potuit instrumenta quoque divinarum rerum, & sanctorum Christianorum sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanæ & æmulæ fidei attemperare.

IV. Id manifestè apparet, si attendamus explicationem datam signis cujusdam maleficii a S. Andrea Salo, ut narratur in ejus Vita a Coævo conscripta *apud Continuatores Bollandian. tom. 6. Maii die* 28. Porrò signa erant elychnium, oleum, lampas, ignis, & zona nodis quatuor in ea formatis, quarum rerum significatio ita exposita fuit a prælaudato S. Andrea. „ Jussit (magus nempè) parari lampadem, oleum, elychnium, „ zonam, & ignem, quo sacri baptismi, gratia „ mulierem exueret. Lampas quippè pro sacra „ baptismali concha, aqua pro aqua illius sancta; „ oleum pro sacro Oleo: elychnium, & ignis pro „ cereis accensis: zona pro illa, qua in Baptisma- „ te cincta fuerant deposcebantur.... Imò, & „ in Imaginibus.... clam illas obtinendo, are- „ facto stercore, & in lampadem conjiciendo: „ atque ita opus suum, uti oblationem in sa- „ crificium offerens, pessimo dæmoni consecra- „ vit. Ad quaternos, quod attinet, zonæ no- „ dos, vinctus iis adstringebatur satanas (*intel- „ lige moraliter ex pacto*) nec poterat abire, ni- „ si combusta Zona: præceperat enim mulieri „ magus, illam intra vestes gestandam, quo „ scilicet ad lumbos circumferret dæmonem „ Hæc S. Andreas. Sed ut totum melius intelligatur, legenda est integra Historia, quam infra refero, *num.* 13. Quare manifestum est

dæ-

dæmonem hujuſmodi ſuis ſignis Deum æmulari.

Quæ ſi Obſeſſus ore ſumpſerit, evomat.

V. Interdum enim ſigna maleficii interna ſunt, ut pluribus exemplis indubiè colligitur. In miraculis namque S. Dympnæ Virginis, & Martyris *cap. 4. penes Bollandianos die 15. Maii*, legintur, ad ejus ſepulcrum liberatum energumenum „ qui expoſitus exorciſmis, ejecit uncos „ acicularum, fragmenta vitrorum, partes ſe„ricorum, & capillorum, & ſimilia.„ Ibidem in Vita ſecunda S. Bernardi Senenſis *cap. 6.* refertur, liberatam obſeſſam ad ejus ſepulcrum, quæ „ evomuit carbonem quemdam extin„ctum, ita vehementer calidum, ut manum „ recolligentis eum non aliter, quam ſi ignis „ feret, ſupercalefaciebat. „ Item carbones ejecti leguntur in Vita B. Franciſci Fabrianenſis *cap. 3. in additionibus ad tom. 3. Aprilis*, apud eoſdem eruditiſſimos Scriptores. In ſupplemento Actorum B. Joannis Tauſſiani, Epiſcopi Ferrarienſis §. 6. die 24. Julii narratur de quadam muliere energumena, quod „ cum ſe magno „ ſtomachi dolore opprimi ſentiret, a Fr. Hie„ronymo de Bononia cum annulo Epiſcopali „ benedicta, ferrum ex ore projecit, ideſt Cla„vum equinum, & illum magnis viribus evo„muit, & alium majorem clavum de pectore „ traxit, ac ſtatim incolumis meritis Beatiſſimi „ Epiſcopi, evaſit. „ Similiter in miraculis S. Joannis Gualberti *part. 13. penes Bollandianos eoſdem Continuatores die 12. Junii* legitur, quemdam obſeſſum ad Monaſterium Vallis-Umbroſæ addu-

adductum „ qui quosdam nigerrimos carbones „ paulatim evomens, Deo gratias, Deo gratias, „ inquit, convalui. Ad hæc videnda sociorum, „ aliorumque fit concursus: nequibant satis „ mirari unde illi carbones, præsertim cum se „ numquam comedisse fateretur. „ Præterea in actis S. Franciscæ Romanæ *cap. 3. apud Bollandum die 9. Martii* legitur, quod „ quidam Hungarus obsessus a malignis spiritibus, ductus violenter ad corpus B. Franciscæ, expuit coram „ omnibus tres carbones, & recessit liberatus. „ Insuper scriptor Vitæ S. Isidori Episc. Hispalensis *die 4. Aprilis, apud Bollandianos*, refert, plures energumenos ad ejus sepulcrum fuisse liberatos, inter quos fuit adolescentula quædam, quæ in actu liberationis expulit „ nummum. Nummus autem, *inquit*, apud nos „ ad ejus confusionem diligenter habetur repositus. „ Tandem in Vita S. Hugonis Monachi, & Prioris Enziacensis *cap. 3. die 20. Aprilis*, quædam dæmoniaca „ evomuit in modum „ scarabeorum tria reptilia. „ Et similiter altera „ reptile quoddam oestro consimilem vivum, & repens evomuit „ ut narratur in Vita S. Eutropii *cap. 3. penes Antuerpienses Soeios 30. Aprilis*. Lege exemplum, quod ex D. Antonino supra retulimus in Commentario Documenti V. *num. 26.*

VI. Tribus autem modis res solidæ, & quantitativæ in corpus humanum immitti possunt, juxta Doctores. Primò per extensionem, & occlusionem pororum, qui ita dilatantur a dæmone, ut hæc durioſa inseri possint, rursumque iis insertis ita clauduntur, ut hujusmodi hiatus nullum postea vestigium remaneat. Sic fulminis radius poros vaginæ penetrat ferrum, & ensem liquat sine ejusdem vaginæ

læsione. Secundò per divisionem eorum, quæ ingerenda sunt; dæmon enim res solidissimas dividit, & comminuit in partes minutissimas, etiam instar pulveris, tum illas sensim immissas, & ingestas iterum unit & compingit, atque in pristinam molem restituit, idque tam citò, & subtiliter, ut adstantium oculi talem operationem ob nimiam ejus subtilitatem & celeritatem advertere nequeant: & hoc ex imperio, quod, Deo permittente, in naturam, & res naturales exercet. Tertiò per carnis vulnus citissimè apertum, & consolidatum, per quod materia dura introducitur: dæmon enim sua subtilitate scientiæ, & potentiæ virtute homini somnum profundissimum immittere potest, ut soporatus dolorem non sentiat, tum sopore immisso,&adempto doloris sensu,scissione carnem dividere, & post materiam duram, & solidam immittere, deinde aliis naturalibus, & efficacibus remediis brevissimo tempore vulnus consolidare, itaut nulla cicatrix vel vestigium incisionis relinquatur. Ex his tribus dicendi modis, elige quem vis, ac vide si lubet Martinum Delrio *Disquisit. magic. lib. 3. par. 1. quæst. 3. sect. 6.*

VII. Advertendum tamen, quod aliquando instrumenta illa, quæ evomuntur a maleficio affectis, non verè, & realiter in corpora immittuntur, nec è corporibus ejiciuntur, sed aliundè citò accipiuntur, & statim supponuntur. Sic in Vita S. Isidori Hispalensis Episcopi *loco supra laudato* legitur, quod dum ad ejus sepulcrum a quadam energumena egrederentur dæmones „ unus illorum dæmonum per os Mulierculæ „ projecit nummum, & alius lapillum, quem „ de pelago Salmantino se eodem momento as„ seruit extraxisse: tertius autem plumbum....

„ quod

„ quod eadem mulier in ſummitate vittæ col-
„ ligatum circumferebat. „ Aliquando res, quæ evomuntur nec ſuppoſitæ, nec reales ſunt, ſed tantum apparentes, oculos adſtantium perſtringendo, adeo ut cum vomitione & excrementis educta eſſe videantur. Sic in Vita B. Joannis Tauſiniani Epiſcopi Ferrarienſis *cap.* 2. *loco ſupra relato* narratur, quod „ Vir Dei Joannes cum ſe-
„ mel ad viſitandum quamdam mulierem .... a
„ dæmone vexatam, nec non maleficiis diaboli-
„ cis pene conſumptam, veniſſet .... non mul-
„ to poſt ſacerdos ad Infirmam cum Dominico
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti corpore venit, tum
„ ut eam communicaret, tum ut ſpiritum eam
„ vexantem ab eo corpore exire conjurationibus
„ compelleret. Sacerdos cum vix intra cubiculum
„ cum ſacramento Dominici corporis veniſſet,
„ illa mulier ſtatim clavos, acus, æriſque fruſta
„ ad vomitum converſa evomere videbatur.
„ Qui huic aderant ſpectaculo omnes ſtupe-
„ bant, & unus, qui vas evomitionis ad os mu-
„ lieris tenebat, cum B. Joanne contendere cœ-
„ pit, an quæ evomuerat hæc mulier eſſent ve-
„ ra, & ea vera fore aſſerebat; ſed in contrari-
„ um Vir Dei veritatem eſſe aſſeverabat, nam
„ clavos, acus, & æris fruſta non vera, ſed dia-
„ bolico præſtigio ita videri, & hoc diabolo ocu-
„ los aſtantium præſtigiante; at ille pertinaci
„ fronte Beato viro reſiſtens, manum in catino
„ apponens, clavos, acus, & æris fruſta ſua
„ manu elevabat, & Epiſcopo ut videret por-
„ rigebat, quæ aſtantibus omnibus cernenda o-
„ ſtendebat. Sed vir Dei eorum cœcitatem videns,
„ immundo ſpiritui ex illo mulieris corpore exi-
„ re præcepit. Hoc imperato, cum fetore ma-
„ ximo immundus ſpiritus ex illo exivit corpo-
„ re, & quæ prius in clavos, & acus, & æris

„ fruſta cernebantur, modò non niſi in flegma, „ ſicut juxta veritatem prius erant, conſpici- „ unt. Tunc Vir Dei diaboli præſtigium ape- „ ruit, & aſtantium cœcitatem propulſavit, aſ- „ ſerens talia non clavos, non acus, non æris „ fruſta fore, ſed flegma.„ Pariter in Vita S. Catharinæ Svecicæ legitur quamdam Mulierem obſeſſam, ad tumulum ſanctæ Birgittæ liberatam evomuiſſe diverſis vicibus„ tres ſerpentes, qui „ erant ſecundum mulieris æſtimationem in lon- „ gitudinem duplicis ulnæ.... & ſecundo evo- „ muit materiam horribilem, quaſi globum, „ vel modum..... Quidam Peregrinus cœpit „ movere materiam, & apparuerunt ibi pluſ- „ quam viginti capita „ *penes Bollandum 24. Martii.*

Vel ſi alia extra corpus fuerint ea revelet, & inventa comburantur.

VIII. Henricus noſter Gandavenſis quodlib. 5. quæſt. 33. hoc docet his verbis: *Licitum eſt maleficium deponere ſimpliciter, quemadmodum licitum eſt idolothytum in cloacam projicere.* Idolothytum porrò ex communi Patrum, & Doctorum propriè ad cibos Idolis immolatos pertinet, licet Tertullianus accipiat pro omni eo, quod Idolis ſacratum eſt, ut obſervat Jacobus Pamelius *in lib. Tertulliani de Idolatria c.* 13. ſicut ergo licitum eſt Idolothyta in cloacam projicere, eadem profectò ratione licitum, imò *catholicum* erit, inquit Doctor ſolemnis *deſtruere opus ſuperſtitioſum dæmonis, & in hoc ei contrariari*, quale eſt ſignum maleficii a malefico poſitum.

IX. Sed

IX. Sed major difficultas est an liceat signa maleficii removere, vel comburere spe cessationis nocumenti, & pristinæ valetudinis recuperandæ. Hanc quæstionem primus omnium ex professo instituit Henricus noster *quodlibeto supra citato*, quem postea communiter secuti sunt Theologi, quos supra 47. enumerat Brognolus *in Alexicacon. tom. 2. disp. 3. §. 5.* quibus tamen non adhærent Joannes Hessels a Lovanio in prælectione *lib. 4. Sent.* Estius *in 4. dist. 34. §. 8.* Franciscus Sylvius *in 2. 2. q. 96. art. 4.* qui tamen ut probabilem admittit Henrici sententiam: & Pignatellus novissimarum Consultationum *tom. 1. consult. 59.*

X. Henricus itaque quodlib. 5. quæst. 33. ait: *Licet autem perniciosum est operibus superstitiosis communicare, aut facere talia, qualia faciunt superstitiosi, communicando operibus dæmonum: Catholicum tamen est destruere opus superstitiosum dæmonis, & in hoc ei contrariari. Et sic dico, quod licitum est maleficium deponere simpliciter, quemadmodum licitum est Idolothytum in cloacam projicere: & etiam ut curetur infirmus maleficiatus non credendo, quod virtute illius maleficii morbus ille contingat; hoc enim infidelitatis esset... Sed credendo contrarium, & quod fiat sola dæmonum actione ex divina permissione; qui non consueverunt secundum pactionem suam maleficiatum vexare, nisi stante illo maleficio.* Quæ sententia conformis videtur his, quæ habet D. Joannes Epist. 1. cap. 3. *Christus venit in mundum, ut destruat opera diaboli.* Igitur Christi imitato erit, qui maleficiorum signa, quæ diaboli sunt opera destruit.

XI. Expendamus modo Henrici rationem, quæ est hujusmodi: *Quod genere suo non est malum, & potest fieri intentione bona, licitum est;*

deponere autem maleficium .... ex genere ſuo non eſt malum, & ſit bona intentione quando ſit ad movendum malum, quod eſt in proximo, ergo &c. Porrò in deſtructione maleficii nulla eſt ſocietas cum dæmone, neque ulla honoratio ejus; nam actio illa potius tendit ad deſtruenda vincula impietatis, & diſſolvendum pactum, & conſequenter, quantum in ſe eſt, ad tollendam ſocietatem cum dæmone. Præterea illa deſtructio eſt involuntaria ipſi dæmoni; nam ſaltem ex ſe, invito illo fit, & independenter a voluntate ejus. Inſuper, per illam ablationem, nihil per ſe poſtulatur a dæmone, ſed tollitur efficaciter id, unde ſolet dæmon moveri ad operandum, & faciendum malum. Tandem in deſtructione illius ſigni non intervenit uſus alicujus vani ſigni per modum cauſæ ad faciendum aliquid, ad quod tale ſignum eſt inutile, & in hoc conſiſtit ratio ſuperſtitionis cum pacto implicito, nam illa deſtructio vani ſigni eſt potius deſtructio vani ſigni non ut cauſæ, ut advertit Henricus, ſed ut ſigni, quia ut ſignum ſolet movere dæmonem. Hæc autem omnia per ſe non ſunt mala, ſed laudabilia.

XII. Quod verò fiat bona intentione, declaratur; nam in primis ſi loquamur de intentione finis remoti illa eſt intrinſeca, quia eſt intentio operantis, non operis, quæ poteſt eſſe bona, cum intendat liberare proximum ab illa vexatione corporis, quod ad miſericordiam pertinet. Item tollere proximo occaſionem cadendi ſpiritualiter continuando pactum cum dæmone, & alteri proximo amplius nocendi, & ſimilia. Quod ſi contingat intentionem eſſe malam, aut vanam, tunc poterit per accidens actio eſſe mala, tamen non proinde erit ſuperſtitio. Loquendo verò de intentione finis intrinſeci

ſeci, & operis, etiam hæc per ſe bona eſt, quia non eſt, nec eſſe debet intentio obligandi dæmonem ad aliquid agendum, nam in hoc miſceretur ſuperſtitio; ſed intentio eſt deſtruendi incentivum dæmonis, ad tale maleficium committendum. Nec enim dubitari poteſt, quin dæmones his ſignis excitentur, & inducantur ad nocendum, & quod ceſſare ſoleant his deſtructis; nam hoc experientia notum eſt, & nos ſupra oſtendimus *num.* 2. Unde hoc credere nulla eſt ſuperſtitio, quia non a dæmone hoc diſcitur, ut a docente, vel teſtificante, ſed ex operibus ſuis malignis, & longa conſuetudine hoc per experientiam cognoſcitur; & conſequenter ratione conſtat moveri dæmonem illis rebus, non ut res ſunt, ſed ut ſigna ſunt ab eis data, adeoque licitè, & prudenter creditur dæmonem habere talem conſuetudinem, ſicque optima intentio ad deſtruendum talia ſigna, eſt tollere incentivum dæmonis ad malefaciendum, deſtruendo illud non per artem, vel benevolentiam ejus, ſed per propriam hominis poteſtatem, ipſo etiam invito. Sic fere in terminis rationem noſtri Henrici expendit eximius P. Suarez *tom.* 1. *de Religione lib.* 2. *de Superſtitione cap.* 17.

XIII. Sed confirmet hoc totum, factum quoddam quod legitur in Vita S. Andreæ Sali, qui ſæculo X. vixit *cap.* 17. *apud Continuatores Bollandianos tom.* 6. *Maii die* 28. nec pigeat totam narrationem legere. Legitur, inquam, quamdam mulierem viro decoctori, & adultero junctam ad magum velut ad virum Sanctum adductam fuiſſe, quæ cum eidem ſua infortunia, & mariti ſcelera expoſuiſſet, ab eo auxilium petiit, cui magus reſpondit "Concupiſcentiam in illo omnem „ ſic extinguam, ut mulieris cujuſvis concubi-

tum deicenps appetiturus non ſit. Reſpondit mulier: Aliud nihil in votis mihi eſt, mi Do„ mine, quam ut conjux meus a prava alia„ rum conſuetudine averſus, in me ſolam omnem „ amorem ſuum transferat. Cui alter: ut pe„ tiiſti effectum dabo.... tum ita pergit: Va„ de in domum tuam, & para mihi elychnium, „ & oleum, & lampadem, & zonam, & ignem; „ quarto poſt die namque veniam, quæ deſide„ras tibi præſtiturus. Et verò adfuit die quar„ to, acceptoque oleo, neſcio quid immurmu„rans, atque invocans, in lampade illud in„fudit, rurſumque attracto elychnio acce„ptam lampadem accendit, & collocavit eo„dem, quo mulieris Imagines (*nempè Sancto„rum*) ſervabantur loco: deinde accepit quo„que zonam, & nefariæ artis ſuæ arcana quæ„dam verba proferens, in eaque nodos quatuor „ innectens, mulieri tradidit dicens: Intra veſtes „ corpori tuo illam adſtringe, & mihi tremiſ„ſem (*nempè tertiam partem aurei*) porrige pau„peribus diſtribuendum pro ſalute animæ tuæ. „ Porrexitque illa.... Ecce autem maritus ejus „ odiſſe, ac deteſtari cœpit, quæ prius cupi„dè operabatur, ſolamque uxorem ſuam amo„re proſequens, in curanda re familiari totus „ verſabatur. „ At poſt id mulier dormiens dæmonum amplexibus tenebatur, & variis exinde illuſionibus obnoxiam, Sacras Imagines, quas domi habebat, conſpurcatas vidit, & ex Angelo verò ipſi apparente didicit, quod magus id fecerit. Quare rem totam aperuit Epiphanio, qui erat S. Andreæ Sali diſcipulus, & familiaris, vir præclara inſtructus pietate, qui poſtea monachus factus mutato nomine Conſtantinopolitanam Sedem tenuit. " Quibus auditis, altum ingemi„ ſcens, lacrymaſque ubertim profundens (*Epi-*

„ *phanius*)

„ *phanius*) maledictus ſis, exclamabat, nequam
„ diabole, qui non ceſſas filios hominum inſidiis
„ impetere. Deinde conſilio ſecum inito: ad
„ mulierem vade, inquit, ac zonam illam flam-
„ mis trade, elychnium verò, & lampadem
„ contere, & imagines ad me affer." Executa mulier ſic liberata eſt, dixitque poſtea Epiphanio." Nunc ſcio verè contriviſſe Dominum per te
„ omnes inimicos meos. Cui Epiphanius: Præ-
„ clara fides tua hæc tibi bona apportavit. Nos
„ enim miſelli peccatores ſumus, divinæ miſe-
„ rationis ſemper indigni." Unde non eſt novum, quod maleficii inſtrumenta comburantur, ac diſſipentur ſpe ceſſationis nocumenti, cum videamus hanc regulam a Sanctis antiquis viris obſervatam, atque approbatam; hoc enim factum non improbatum legimus a S. Andrea de hac re ab Epiphanio monito, *ut ibidem narratur*. Aliud ſimile lege de S. Irene in Commentario Documenti V. *num.* 22.

XIV. Nec obſtat primò, quod diabolus nunquam ſponte ceſſabit a nocumento corporali niſi ut gravius noceat in anima, cum ſit hoſtis noſter præcipuus ſemper cupiens quam maximè nocere, juxta D. Leonis ſententiam *ſerm.* 19. *de Paſſione*, ubi de dæmonibus loquens: *Cum*, inquit, *eis nihil in quemquam amplius liceat, quam juſtitia Divina permiſerit .... agunt tamen verſutiſſimam arte fallacia ut ex arbitrio propriæ poteſtatis aut lædere videantur, aut parcere; & multis quod dolendum eſt, ita per nequitiam ſimulationis illudunt, ut quidem illos, & timeant pati infenſos, & velint habere placatos, cum beneficia dæmonum omnibus ſint nocentiora vulneribus, quia tutius eſt homini inimicitiam diaboli meruiſſe quam pacem*, & conſequenter per ceſſationem nocumenti, quæ fit amoto ſigno,

gra-

gravius infert nocumentum vel amoventi, vel maleficiato, vel utrique.

XV. Non inquam obstat, quia cessatio a nocendo, beneficium non est Diaboli, sed Dei, & hominis tollentis signum; sicut non est beneficium proditoris, quando ablato signo desistit a proditione peragenda; neque qui tollit, ullo modo dici potest, hoc beneficium a proditore expectare; hinc parum aptè ad rem nostram adducitur auctoritas Magni Leonis.

XVI. Nec officit secundò id quod Dominus in Evangelio dixit: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione, & jejunio*. Non enim sensus est, non aliter rectè ejici posse; nam in primis plus probat argumentum, quam opus sit; si enim valeret, nec exorcismis ejici licitè posse probaret, sed tantum jejunio, & oratione. Sensus ergo verborum Christi non est non aliter ejici, sed non aliter recte ejici posse efficaciter; nam Apostoli non quærebantur se usos malis mediis, sed se ejicere non potuisse; conatus enim Apostolorum non fuerat illicitus, sed irritus, & hoc scire volebant, cur efficax non fuisset in hoc Energumeno, quemadmodum solebat esse in cæteris. Responsum illis est, id accidisse, quod orationem, & jejunium non adhibuissent, quæ talium dæmoniorum pessimorum, quorum erat inveterata possessio, generi expellendo necessaria ipsis erant.

XVII. Nec tandem obstat testimonium D. Hieronymi in Vita S. Hilarionis, ubi refert, quod cum quædam virgo a dæmone obsessa ad Hilarionem liberanda delata esset, dæmon respondit: *Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor; non ex eo nisi me adolescens, qui tenet dimiserit.* (utique ablatis signis) addit verò Hieronymus: *Noluit autem sanctus antequam purgaret vir-*

virginem, vel adoleſcentem, ſigna jubere perquiri, ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni ejus accommodaſſe fidem. Ubi Hieronymus duo mala ſignificat eſſe in auferendis iſtis ſignis; unum, quia pertinet ad uſum incantationum; aliud quia datur fides dæmoni.

XVIII. Confirmo hoc totum ex hiſtoria, quam notavi dum acta Sanctorum Bollandiana percurrerem, quæque legitur in Vita S. Joannis Gualberti *par. 2. Miraculorum die 12. Julii.* " Petrus „ Bernardi de Arena Civis Florentinus... huc „ veniens, miris modis funibus undique ſeptus „ horribilitatem quamdam præſeferens, ut multorum naſos, & aures mordicus attentare „ præſumeret..... Cum autem ex more in ſacrarium..... traheretur, coactus tandem poſt „ multas in eum orationes, conjurationeſque „ habitas, hæc retulit: ſe cujuſdam maligni viri „ carminibus, & incantationibus illis tam aſtricTum, & ligatum teneri, ut nullo pacto, „ nulla etiam vi ſe inde abſtrahi poſſe fateretur, ni prius faſcinationes, & incantationes „ illæ de ſub oſtii limine domus ſuæ amoverentur. Cæterum cum Monachi & meritis Chriſti Jeſu, & B. Hilarionis exemplo ducti, parum, vel nihil fidei adhiberent, eo quia in „ aliis ſæpè mentitus eſſet; inſtare orationibus, „ inſuper Sacerdos jugiter torquere, ſibique ex „ virtute Dei exitium imminere dicebat: E contra ille vultu truci, ardentibuſque oculis in hæc „ prorupit verba: O cruces! O tormenta! quid „ patior? quid opus eſt, ò peſſimi Fratres, ut „ hinc abeam per tot orationes? Cur incaſſum „ hos Hymnos, verbaque hæc Divina effunditis? Quid fruſtra tantum laboris perfertis? „ Sat eſt hoc ex me potuiſſe audire, in oſtii li-

„ mine

„ mine incantationes relinqui, quod mihi plu-
„ rimum nociturum non dubito. Optantibus
„ nonnullis ex his, qui cum ipso venerant, ut-
„ que dæmon ajebat, lamina, & linum, & cæ-
„ tera inquirerentur, & a loco amoverentur,
„ prohibuere monachi, ne aut solutis incanta-
„ tionibus recessisse dæmon, aut ipsi suis ser-
„ monibus accomodasse fidem videri possent,
„ asserentes, semper fallaces esse dæmones, &
„ ad simulandum callidos. Orantibus itaque
„ & Virginem Mariam, sanctumque Joannem
„ jugiter religiosis viris deprecantibus... ipsum
„ miserum prius diu discerpens & lanians, de-
„ mum discessit. „

XIX. Non, inquam, obstat; nam in primis Hieronymus ibi non dicit S. Hilarionem noluisse investigare signa, quia id malum esset, sed simpliciter noluisse: unde potius in tali absoluta locutione indicat, non ex necessitate, sed perfectiori virtute ita se gessisse, ac subinde non id omisisse, quia esset malum, sed quia plus de Deo confidebat. Erat enim dignum tali viro, ut altiori virtute, & modo dæmonis opera destrueret, & ideo de quærendis signis non curavit. Deinde fortasse timuit S. Hilarion aliquod scandalum, ut significant illa verba: *Ne solitis incantationibus recessisse videretur*; idest, ne astantes id putarent, & aliquod scandalum sumerent: facile enim crederent, non potuisse dæmonem expelli a viro Sancto invitum, & non ablatis signis. Tunc ergo sine dubio non expediebat tali viro, & in tali occasione uti illo medio, esto illud per se, & natura sua malum non sit. Idem dic ad confirmationem.

XX. Advertendum tamen, hujusmodi curationem non esse supernaturalem; supernaturalis enim procedit a causa supernaturali, ab

Exor-

Exorciſmis ſcilicet, oratione, confeſſione, jejunio &c. independenter a remotione ſignorum, ſed eſſe curationem moralem, ſicut enim ipſa ſigna ſunt quaſi cauſæ morales vexationis dæmonis, ita ablatio eorumdem eſt veluti moralis ablatio talis vexationis.

XXI. Inſuper advertendum eſt poſſe maleficiatum liberari ſola ſupernaturali curatione, nec ſimpliciter neceſſarium eſt ſigna maleficii deſtruere, ut patet ex factis ſupra relatis, quia dæmonis alligatio illis ſignis non eſt naturalis, nec coacta, ſeu violenta, ſed libera, & voluntaria, ut dictum eſt ſupra *numero* 3. Igitur cogi poteſt dæmon ab Exorciſta per præcepta illi facta in nomine Jeſu, ut ceſſet homini nocere, & nihil impedimenti poterunt afferre illa ſigna, quin maleficiatus liberetur; ſicut enim poſito maleficio, poſitis ſignis, poſito dæmone operante nocere non poſſunt iis, qui firma fide in Deum confidunt: ita poſito dæmone operante, poſitis ſignis maleficii, & poſito maleficio, ut dæmon a malefica operatione ob ſupernaturalia remedia deſiſtat, cogi poteſt.

XXII. Hoc aſſertum præter dicta, manifeſtum fit in S. Ambroſio, ut refert Paulinus in ejus Vita *operibus S. Præſulis inſerta*. „ Quidam haruſpex Innocentius nomine.... miſiſſe ſe etiam, & dæmones, qui illum (*nempe Ambroſium*) necarent, fatebatur; ſed dæmones renuntiaſſe ſe non ſolum ad ipſum appropinquare minimè poſſe, verum etiam nec ad fores domus in qua manebat Epiſcopus, quia ignis inſuperabilis, omne illud ædificium communiret, ut etiam longè poſiti urerentur, atque ita ceſſare artes ſuas, quibus adverſus Domini Sacerdotem ſe aliquid poſſe arbitrabatur. „ Similiter cla-

clarum fit in S. Theodoro Siceota Epiſcopo Anaſtaſionopolitano; legitur namque in ejus Vita *cap. 5. penes Bollandianos die 22. Aprilis*, quemdam magum immiſiſſe dæmones „ ut Sanctum „ tentarent, & ad mortem uſque affligerent... „ ſed Divina virtute, quæ illum protegebat, „ fugabantur.... Quare cum idem ſæpius fruſtra, imò verò cum detrimento ſuo tentaſſent, ad eum a quo miſſi fuerunt, confuſi reverterunt...., & reſpondebant.... in cibo, „ & potu (*en ſigna maleficii*) vim noſtram miſcuimus, ſed eam ipſe utens benedictione inutilem reddit.„ Ulterius manifeſtatur ex his, quæ habet S. Epiphanius adverſus hæreſes, *hæreſi 30. quæ eſt Ebionitarum*, ubi hæc narrat *num. 7. & 8.*„ Erat in Balneis ingenua mulier „ eximia corporis venuſtate, ac ſpecie, quam „ Adoleſcens inveteratæ libidinis aculeo percitus „ adamavit, ac per balnearum ſolium ambulans, „ latus ſuum ad mulieris latum affricuit. Illa „ in nomine Chriſti ſemet obſignat; nam Chriſtiana erat, quominus peccare eam, aut lavare cum viris attinebat.... Verum ut ſua „ Deus miracula demonſtraret, omnibus ſuis „ conatibus adoleſcens excidit, cum & ad eam „ miſiſſet, & muneribus ſollicitaſſet; illa verò „ & internuncios contumeliosè a ſe dimiſiſſet, „ nec impudici amatoris artibus ceſſiſſet. Igitur ſocii comperto Juvenis mœrore.... potentiores quaſdam præſtigias adornant. Cum nihil venefici iſti promoviſſent, ac ſe mulier „ & Chriſti ſigno, & fidei præſidio defenderet, „ cognitum eſt Adoleſcentem tres integras noctes illius alliciendæ gratia ſubſtitiſſe, ac demum ſpe ſua fruſtratum, cum impoſtoribus „ jurgio contendiſſe.... Hoc documentum Chriſtianæ Religionis.... quo nihil adverſus Chri-

„ ſti

„ ſti nomen Cruciſve ſignum valere maleficia „ comperimus. „ De S. Cypriano Martyre, prius dæmonum cultore, hæc narrat S. Gregorius Nazianzenus *orat. in laudem ejuſdem Martyris:* „ Virgo quædam erat patritio genere nata, ho„ neſtiſque moribus prædita. Virgo hæc forma „ erat perquam liberali, & egregia. Hujus „ amore magus Cyprianus captus eſt..... nec „ tantum captus eſt, ſed ejus quoque pudici„ tiam attentabat.... Solicitabat ergo eam Cy„ prianus, atque ad hujuſmodi lenocinium „ non aniculam quamdam ad hos uſus accom„ modatam, ſed dæmonem quemdam libidinis, „ ac voluptatis amantem aſciſcit..... At puel„ la ſimul atque vim mali præſentit, atque „ inſidias intellexit..... deploratis omnibus a„ liis remediis ad Deum confugit, ... Virgi„ nemque Mariam ſupplex obſecrans, ut peri„ clitanti Virgini auxilium ferret, jejuniis, atque „ humi cubationis pharmaco ſe ſe communit.... „ Virgo ſuperat, dæmon ſuperatur. Ad aman„ tem accedit tentator, victum ſe recepſiſſe in„ dicat, ... atque a Virgine quidem, non ſe„ cus ac tormentaria quædam Machina a firmo, „ & valido muro repellitur, precibus nimi„ rum, & oratione fuſus ac fugatus. „ Tandem Joannes XXII. conqueritur, Joannem de Amanto medicum, Barbitonſorem, & plures aulæ Pontificiæ Clericos magicis artibus conatos fuiſſe, & nonnullos Cardinales morte afficere, ſed fruſtra, divina eos protegente gratia. Inter alia hæc habet prædictus Pontifex *Tom.* 1. *Epiſt. ſecret.* 374. apud Odoricum Raynaldum in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1317. *Non attento, quod leges humanæ atrocius judicant hominem veneno extinguere, quam gladio trucidare, potiones, & venena mortifera præparari fecerunt;*

ut

ut ex illorum propinatione nos, & aliquos ex iisdem Fratribus noſtris extinguerent. Et ne deficerent in ſui mali executione propoſiti propinationis habilitate negata, imagines cereas fecerunt ſub noſtro, & ipſorum Fratrum nominibus confici, ut magicis artibus incantationibus vetitis ac dæmonum invocationibus reprobandis adhibitis, vitam labefactarent inſontium per punctionem imaginum prædictarum. Porrò licet hujuſmodi perfidi proditores conceperint dolum hujuſmodi, & ut iniquitatem parerent opportunitates quærere, ſuoſque frequenter curaverunt pro viribus exercere conatus; ille tamen, in cujus poteſtate hominis & mors, & vita conſiſtit, miſericorditer reſiſtentia manum oppoſuit, & a nocere nitentibus innoxiis noceri non ſinens, potiones, & tres ex imaginibus antedictis ab inſperato in manus noſtras devenire conceſſit &c. Dat. Kal. Maii 1317.

XXIII. Sed nedum propria ſanctitas, verum & aliorum orationes, ac in Deum fiducia impediunt quo minus maleficia noceant. Sic maleficium in alium impedivit precibus ſuis S. Berachius Abbas, ut legitur in ejus Vita *c. 2. penes Bollan. die 15. Feb.* Hæc enim habet Scriptor: " Quodam tempore „ uxor regis Lageniæ maligno eam excitante ſpi„ ritu, eumdem Regis Filium arte Magica, ut „ perfida noverca, interimere voluit; timuit „ enim, quod Proli ſuæ prævaleret, ac eam con„ temneret ſi poſt obitum regis regnaret. Aſcen„ dit ergo cum aliis concinnatricibus magicæ „ artis peritis, cujuſdam collis ſummitatem, „ ut adorando dæmones ab eis impetrarent, vel „ Filii Regis mortem, vel mutilationem. Sed „ deſiderium peccatricis Reginæ periit, quia „ Spiritui ſancto, qui in ſancto ſuo (*Brachio*) „ operabatur, contraire non valuit; Dei enim

virtu-

„ virtute instigante, vir Dei ad videndum
„ pecora Monasterii eumdem locum ascen-
„ dit, ac Deo sibi revelante, quænam regi-
„ na ibi ageret didicit; quamobrem vir Dei
„ ad orationis præsidia convolans, Deum Cœli
„ devotissimè rogavit, ne malignantium mu-
„ lierum incantationes puero innocenti præ-
„ valerent; & exaudivit Dominus sanctum su-
„ um puerum innocentem defendendo, ne ma-
„ gica ars ei prævaleret „.

XXIV. Quare si dæmones maleficio jubente, nequeunt interdum malefacere, non poterunt dæmones a malefaciendo desistere, etiam si magus nollet, & signa perseverent? Licet tamen Rituale nostrum signorum ablationem, & destructionem proponat, solam proponit ut medium licitum, non necessarium.

XXV. Tandem advertendum est quod aliud est *petere*, aliud *jubere*, ut dæmon signa maleficii revelet; primum enim illicitum est, ut vidimus in Commentar. Tituli *num.* 9. secundum admittitur a nostro Rituali.

Moneatur etiam Obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

XXVI. Hujus moniti utilitatem eruo ex iis, quæ habet Cassianus *collat.* 2. *cap.* 10. ubi scribit: *Tum Moyses: vera, inquit, discretio nonnisi vera humilitate acquiritur. Cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa non solum, quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat,*

& quid bonum, vel malum debeat judicare, eorum traditione cognoscat. Quæ institutio non solum per veram discretionis viam juvenem recto tramite docebit incedere, verum etiam cunctis fraudibus & insidiis inimici servabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit quisque si non suo judicio, sed majorum vivit exemplo; nec valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes, pernicioſa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico namque ut patefacta fuerit, cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut a tenebroso, ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tandiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde. Similia ad rem nostram habet S. Franciscus Salesius Episcopus Genevensis *in Introductione ad vitam devotam parte 4. cap. 7.*

XXVII. Sed magis appositè Ven. Beda lib. 3. in Lucam cap. 8. *Sed*, inquit, *& nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt, solent dicere patientes non aliter valent curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus visu, auditu, gustu, tactu, & alio quolibet corporis, vel animi sensu vigilantes, dormientesve pertulerint, confitendo patenter exponant .... Quæ mendacio simillima res, sed adeo vera, & plurimorum est attestatione notissima, ut quidam vicinus mihi Presbyter retulerit, se quamdam sanctimonialem fœminam a dæmonio curare cœpisse, sed quandiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse. Confessa autem, quo molestabatur phan-*

tas-

tasmate, mox & ipsum orationibus, cæterisque, quæ oportebat purificationum generibus effugasse, & ejusdem fœminæ corpus ab ulceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio adjuncto sale benedicto, curasse.

DOCUMENTUM XVI.

SI verò obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus.

SUMMARIUM.

1. *Dignitas totius documenti ostenditur.*
2. *Obsessus semel liberatus, debet cavere a peccatis.*
3. *Idque exemplis suadetur.*
4. *Insuper debet se ornare virtutibus, & præsertim se exercere in actibus virtutum Theologicarum.*

COMMENTARIUM.

I. TOtum istud documentum fundatur in verbis Christi Domini, quæ leguntur Lucæ 11. v. 24. & Matthæi 12. v. 43. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine ambulat*

per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Quæ verba appositè explicat Euthymius Zigabenus Comment. in 4. Evangel. cap. 23. inquiens: *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat loca arentia, quærens requiem, & non invenit. Arentia loca dicit deserta. Significat autem Sanctorum Animas nullum affectionis humorem habentes, quæ etiam desertæ sunt nec ullius vitii fœcundæ. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Domum suam vocat hominem a quo egressus, est non volens, sed jussu divino; & cum venerit invenit eam vacantem scopis purgatam, & ornatam. Deliberatis a dæmone hoc dixit, quiob segnitiem, ac negligentiam facilè rursus a dæmone invaduntur, & capiuntur. Invenit, inquit, priorem domum suam vacantem, & vacuam Spiritu sancto, seu virtute. Prætera scopis purgatam, & mundatam, hoc est instructam ad ipsius susceptionem; insuper, & ornatam sive delectabilem sibi. Tunc vadit, & assumit secum alios septem spiritus sceleratiores se, & ingressi habitant ibi. Sceleratiores, hoc est, fortiores ad malefaciendum. Timuit enim ingredi, ne forte tamquam solus, ac imbecillis rursus ejiceretur. Septem verò Hebræi simpliciter, pro multis, accipiunt. Et fiunt novissima hominis illius pejora primis. Prius enim ab uno dæmone torquebatur, postmodum verò a multis.*

II. Duo itaque præstare debet obsessus semel liberatus; primum cavere a peccatis, secundum se ornare virtutibus. Sicut enim dæmon inter-

interdum propter peccatum primò ingreditur in hominem, ipsumque obsidet, ut colligitur ex iis, quæ scribit Tertullianus *de spectaculis* cap. 26. referens, *quod in Exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi: constanter, & justissimè quidem* (inquit) *feci, in meo eam inveni;* & ex iis quæ tradidimus supra in Commentario Tituli a *num.* 52. Ita ob peccata revertitur, quod clarissimè docet Christianus Grammaticus, seu Drutmarus cap. 37. *Comment. in Matthæum* super illa verba: *Et exivit ab eo dæmonium*, inquiens: *Alius Evangelista dicit, quod præcepit ei, ut non amplius in eum introiret, quia solet diabolus voluntariè locum habitationis suæ repetere, nisi is, qui liberatus est, se a peccatis custodiat.* Hinc S. Rumoldus Episcop. & Martyr postquam dæmoniacum liberavit, ipsi dixit: *Abi sanus, neque sceleribus amplius te commacules; at cura, ut post hac resipiscas;* ut legitur cap. 4. *suæ vitæ penes Bollandianos Scriptores die* 1. *Julii*. Et S. Euthimius magnus Abbas, post mortem apparuit cuidam Monacho, qui invasus fuerat a dæmone ob furtum sacrilegum, ob ebrietatem, & ob admissas turpes cogitationes, & postea liberatus, cui dixit: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, sed attende tibi ipsi ne quid contingat deterius*. Ita in ejus Vita legitur. *cap.* 24. *apud Bollandum die* 20. *Januarii*. Et plures alii sancti id præstiterunt.

III. Et revera dæmonis regressum ob peccata plures in suam perniciem experti sunt; unum vel alterum adducam exemplum ex prædictis sacris Scriptoribus excerptum. In gloria posthuma S. Ubaldi Episcopi Eugubini *cap.* 4. *die* 16. *Maii* narratur, quod quædam puella, de qua locuti fuimus in Comment. Docum. VIII.

num. 26. post liberationem à dæmone obsidente, iterum ab eodem invasa fuit, cum ad idem peccatum misellarevertisset, quæ tamen rursus liberata, serio monita est, ut cautius ageret. In Vita S. Hypatii Abbatis *cap.* 7. *die* 17. *Junii* legitur energumenum quemdam sanatum, sed „ iterumque ad juveniles sæculi ineptias de„ flexit, quapropter in ipsum iterum reversus „ est dæmon, ideoque rursus ligantes eum ad„ duxerunt Sancto, quem Deus sanavit per „ intercessionem Sancti. Hoc verò factum est „ semel, bis, ter, & quater. „

IV. Secundum, quod agere debet liberatus a dæmone, est se ornare virtutibus, & præcipuè se exercere in actibus fidei, spei, & charitatis, maximè verò fiduciæ in Deum: id enim colligit Victor Antiochenus *ad cap.* 9. *Evangelii Marci* exponens illa verba Christi Domini: *Exi ab eo; & amplius ne introeas in eum. Indicium facit*, inquit, *facile altera rursum vice dæmonem in illum, qui fide satis munitus non erat, ingredi potuisse, nisi Domini præceptum, ne id fieret impediviſſet*. Et Euthymius Zigabenus eodem sensu eumdem locum explicat *cap.* 26. *in Evangelium Marci*, dicens: *Hoc dixit*, nempe Salvator *prævidens, quod futurum erat, ut dignus esset propter suam incredulitatem, ut rursum ad eum reverteretur*. Vide que sparsim diximus de Sacramentorum frequentia, de Oratione, jejunio, fiducia, sacramentalibus &c. Omnia enim hæc cum vim habeant ad dæmonem a corporibus propellendum, vim etiam habent ad præservandum ne revertatur.

DOCU-

DOCUMENTUM XVII.

ITaque Sacerdos, sive alius Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commodè fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea, cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se, & astantes communiat signo Crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis aliis respondentibus, dicat Litanias, usque ad Preces exclusivè.

SUMMARIUM.

1. *Quare rubrica ad normam documentorum Commentariis illustretur, ratio affertur.*

2. *Quædam remissivè indicantur de Exorcista.*
3. *Qui debet esse in statu gratiæ, dum ministerio suo fungitur.*
4. *Alias mortaliter peccaret, ad num. 6.*
7. *Missa est ab eodem prius celebranda, si sit Sacerdos, & num. 8.*
9. *Quædam de Oratione remissivè indicantur.*
10. *Superpelliceum, & stola plurimum torquent dæmones.*
11. *Stola usi sunt Sancti in hoc ministerio.*
12. *Ad Obsessi collum utiliter circumponitur.*
13. *De signo Crucis aliqua remissivè.*
14. *Mos genua flectendi dum preces funduntur, antiquus est, & efficax ad impetrandum.*
15. *Litania quid sit.*
16. *Mos recitandi Litanias super obsessum, antiquus est, & quam devotè sint recitandæ ostenditur.*
17. *Quæ Litaniæ debeant recitari.*
18. *Exorcista servare debet ea, quæ a Rituali Romano præscribuntur, nec quidquam immutare, vel addere licitum est.*
19. *Refellitur P. Brognolus, ad num. 23.*
24. *Alii refelluntur.*
25. *Aereæ tempestates quomodo sint adjurandæ, & repellendæ.*

COMMENTARIUM.

1. HÆc sicut & sequentia, quæ per modum rubricæ a Rituali indicantur, nos in Ducumenta, juxta nostram methodum, distinximus, cum plura contineant utilia, quæ pariter Commentario illustrantur.

Sacer-

Sacerdos, ſive alius Exorciſta.

II. Vide quæ diximus in Commentario Documenti I. num. 1. 4. & ſeqq.

Ritè confeſſus, aut ſaltem corde peccata ſua deteſtans.

III. Exigit Rituale noſtrum in miniſtro Exorciſtatus ſtatum gratiæ; non tamen ita, ut ſimpliciter ſit neceſſarius; nam ſufficit poteſtas Ordinis, & præceptum dæmoni factum divino interpoſito nomine. Matthæi namque 7. v. 22. dixit Jeſus: *Multi dicent mihi in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos: diſcedite a me qui operamini iniquitatem:* Ex quo apparet aliquem poſſe dæmonia ejicere, & tamen in peccato eſſe: quapropter D. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ circa medium: *Prophetare*, inquit, *& dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, ſublimis utique, & admirabilis res eſt, non tamen regnum cœleſte conſequitur, quiſquis in his omnibus invenitur, niſi recti, & juſti itineris obſervatione gradiatur. Denunciat Dominus & dicit: Multi mihi dicent in illo die &c.* Vide dicta in Commentar. Document. ..... num. ..... Quod innui etiam videtur a D. Gregorio Nazianzeno in Apologetico primo. *Dæmones*, inquit, *ad Chriſti nomen cohorreſcunt, nec ſcelerum noſtrorum gravitate vis hujus nominis obliterata, & extincta eſt.* Præterea in miniſtro Sacramentorum ſtatus gratiæ non requiritur; *non merita*, inquit S. Ambro-

brosius, lib. de Mysteriis cap. 5. *Personarum considera, sed officia Sacerdotum*. S. Joannes Chrysostomus hom. 11. in Epist. ad Thessalon. *Gratia Dei*, ait, *per indignos operatur, non propter ipsos, sed propter eos quibus opitulandum est*. Et D. August. lib. 2. contra litteras Petiliani c. 47. *Memento*, ait, *Sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus Sancta sint; sed ipsis malis hominibus, ut habeant ad testimonium damnationis, non ad adjutorium sanitatis*. Quod egregiè explicat S. Gregorius Nazianzenus *Orat. Panegyr. in sanct. Baptisma*. Similitudine comparans, nempè bonum, vel malum ministrum sigillo aureo, vel ferreo, quod eumdem habet effectum, sive aureum sit, sive ferreum. Aliam adducit Nicolaus I. in responsis ad Consulta Bulgarorum: *Mali*, inquit, *bona ministrando, se tantummodo ladunt, ut cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat; alii verò lumen in tenebris administrat, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet*. Idem in casu nostro dicendum est.

IV. Solum ergo statum exigit gratiæ Rituale nostrum in adjurante, ut dignè, tutò, & efficaciter suas valeat partes adimplere. Si enim requiritur in eo fiducia, ut dictum est in Commentar. Documenti XI. *num. 7. & seqq.* requiritur etiam conscientia munda, de qua fervorem viresque sumit ipsa fiducia, dicente Joanne Epist. 1. cap. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad eum, & quidquid petimus accipiemus abeo*. Ex qua forte doctrina scripsit Cassianus collat. 9. cap. 33. *Hæc fiducia de conscientiæ puritate creditur emanare*.

V. Ad rem nostram S. Carolus Borromæus in Con-

Concil. IV. Mediolanensi: hæc statuit: *In hujus muneris functione, graviter, piè, & religiosè in primis se gerat* (Exorcista videlicet) *quamobrem pridie illius diei, quo alicui Exorcismum adhibere incœperit, se jejunio, & Oratione præparare studeat. Tum confessus, conscientia ab omni culpa pura, ac munda magna cum humilitate, ac fide memor potestatis, quam a Domino accepit expellendi dæmones ad id munus obeundum accedat.* Vide quæ scripsimus in Commentar. Document. I. num. 32.

VI. Quonam verò peccato peccaret exorcizans in mortali, docet D. Thomas *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiuncul. 5.* his verbis: *Quidquid homo, quod sibi competit ex ordine facit indignè, quod justum est injustè exequitur, ac propterea mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat: unde patet, quod mortaliter peccat.* Et ibidem in responsione ad 4. *Quandocumque*, inquit, *exhibet se in aliquo actu, ut Ecclesiæ ministrum, mortaliter peccat, quoties hujusmodi actum facit, quia*, ut dicit D. Dionysius cap. 1. Cœlestis Hierarchiæ: *Immundis nec symbola*, (idest sacramentalia signa) *tangere fas est.*

Peracto si commodè fieri potest, sanctissimo Missæ Sacrificio.

VII. Consonat huic monito Concilium Mediolanense IV. sub sancto Carolo statuens de Exorcista: *Si sacerdos autem est, antequam Exorcismum inchoet, Missæ sacrum faciat, si id commodè præstare potest.* Nec novus est hujusmodi ritus: siquidem fuisse observatum invenimus a S. Stephano

phano Sabaitarum Thaumaturgo, cui, cum deducta fuisset puella decennis ab immundis spiritibus vexata vir Dei „ sacrosancti sacrificii sy„ naxim instituit. Divina verò Liturgia peracta „ Puellam oleo simul, & aqua lustrali inunxit„ & liberata est, ut legitur in ejus Vita *cap.* 3. Item a S. Wolfgango Episcopo Ratisbonensi, ut refert auctor Vitæ ejus apud Jodoccum Coccium *in Thesauro Catholico Tom. 2. lib. 6. de Eucharistia art.* 8. Sancto namque „ dæmoniaca obla„ ta est.... ipse Missam celebravit. Peracto sa„ crificio.... post brevem orationem cœpit egre„ di de templo. Tum illa dæmoniaca suo more „ debacchans, ei se oppositit. At ille Domino „ confidens tamquam percussurus eam, brachium „ extendit, clam interim dicens: Exi nequis„ sime. Mox.... intollerabilis extit fœtor, & „ mulier confestim liberata cecidit, & Deo gra„ tias egit. „

VIII. Sed non solum Sacrificium peragi solitum erat ante exorcismum ad expellendos a corporibus hominum dæmones, sed etiam ad illos eliminandos a locis ab ipsis infestis, ut colligitur ex facto quod refert Theodorus Lector *lib. 2. Collectaniorum in Biblioth. PP. tom.* 26. „ Castrum „ quoddam (*inquit*) est inter Persas & Indos no„ mine Izundadeero. Cum Rex Coades multas „ in illo pecunias, & lapides pretiosos asservari „ audisset, volebat ejus rei veritatem cognosce„ re; verum dæmones locum illum inhabitan„ tes Coadem ab eo, quod quærebat, impedie„ bant. Cunctam itaque magiam suam magi „ illius impenderunt, sed frustra. Adhibita est „ & Judæorum magia; neque sic tamen voti „ compos evasit. Cogitavit per Christianos amo„ liri dæmones illos. Episcopus itaque Christia„ norum in Persia peracta super ea re synaxi,

„ &

„ & acceptis divinis mysteriis, & in Christianos,
„ qui aderant dispensatis signo Crucis dæmones
„ profligavit, & castrum Coadi sine ulla mole-
„ stia tradidit.

Divinoque auxilio piis precibus implorato.

IX. Recole dicta in Commentariis Documenti VI. *num.* 1. & 2. & Docum. VIII. *num.* 1. *& seqq.*

Superpelliceo, & Stola violacea.

X. Hæ enim Sacræ Vestes plurimum dæmones torquent; nam superpelliceum ex Durando, *in Rationali Divinorum Officiorum lib.* 3. *cap.* 1. passionem Domini figurat, & ideo in modum Crucis formatur. Similiter Stola, seu Orarium repræsentat funem, quo Christus columnæ alligatus, aut in calvariæ montem cum onere Crucis tractus est, ex eodem *lib.* 2. *cap.* 5. & ex Gabriele Biel *lect.* 11. *in Can. Missæ* dicente: *Zona, manipulus, stola, tria ligamina, quibus in captione, in flagellatione, in Crucis bajulatione Dominus ligatus legitur.* Quare a nostro Rituali appositè in Exorcismi munere præscribuntur.

XI. Præterea usitatissimus fuit mos apud Sanctos Patres stola uti dum exorcismos agerent. Sic S. Norbertus „ stola.... indutus exorcismum „ agere aggressus est „ ut legitur in ejus Vita cap. 8. Sic S. Pius V. „ non recusavit quo minus „ (*energumenæ*) capiti stolam sibi de collo pen- „ dentem imponeret, mulieremque signo Cru- „ cis afficeret: mox compertum est ægrotam „ illam ad pristinam sanitatem rediisse „ ut lib. 6. cap. 7. ejus Vitæ *apud Bollandianos* legitur die 5. Maii.

Maii. Sic Monachi Valumbrosani, ut legitur in miraculis S. Joannis Gualberti *part.* 13. *die* 12. *Julii*, stolam adhibebant, & „ res mira! quoties „ stola cingebatur, toties dæmon inferiores par- „ tes, vel intestina petere nonnumqam pedum, „ vel manuum extrema adire ubi ea admoveba- „ tur „ mox gulam repetere &c.

Cujus extrema pars ad Obsessi collum circumponatur.

XII. Hoc modo diabolum vicit S. Contestus Episcopus Bajocensis, ut legitur in ejus Vita apud Bollandum *tom.* 2. *Januarii in addendis ad diem* 19. Auctoris verba hæc sunt: „ Qui Pro- „ toplastos parentes etiam intra Paradisi clau- „ stra, ipsumque Dominum in vasto solitudi- „ nis deserto tentare ausus est, magis, ac magis „ viro Dei invidens, subque gigantina specie ap- „ parens, illum in Luxuriæ nefandum scelus „ impellere tentavit, & stimulos carnis vene- „ reos, ipsiusque satanæ Angelos inflamman- „ do concitare enixus est. Cui quidem vene- „ no Sanctus Dei orationis scutum opposuit, „ quo munitus ad Deum O. M. castitatis aucto- „ rem, & amatorem, tamquam ad lydium la- „ pidem recurrit: unde protinus palmam pu- „ dicitiæ adeptus est, atque stola collo gigan- „ tis injecta; salutis humanæ adversarium „ per urbis vicos, & plateas tamquam canem „ post se trahit, & victoriæ triumphum du- „ cens, illum palam divinæ adjurationis Sacra- „ mento constrinxit, ut quis esset profitere- „ tur: se esse Satanam æterni carceris mini- „ strum, & carnificem, atque impiorum, & „ infidelium tortorem asseruit; unde tali mira-

„ culo

„ culo infideles concitati ſanctum Baptiſma „ efflagitaverunt unum Deum, unam fidem, „ & unum ovile complectentes.„ Aliud ſimile factum legitur de S. Leone Epiſcopo Catanenſi, qui orario, ſeu ſtola magum quemdam Heliodorum nomine domuit; ſic refertur in ejus Vita *apud Bollandum die* 20. *Februarii*: „ B. Leo „ genibus ad aram advolutus, precibuſque peractis, ad Heliodorum feſtinat eique orarium ſuum in collum innectit, dicens: Per „ Chriſtum Dominum meum nihil hic valebunt magicæ artes tuæ: deduxitque ad locum, cui nomen Achilleus, ibique flammis „ adurendum dedit; nec manum ſuam, quæ „ illæſa cum Orario manſit, ante ſubduxit, „ quam miſer ille in cineres redigeretur.„

Eum, ſe, & aſtantes communiat ſigno Crucis, & aſpergat aqua benedicta.

XIII. Vide, quæ diximus ſupra de ſigno Crucis in Commentar. Documenti XI. a *num.* 12. & de aqua benedicta ibidem a *num.* 20.

Et genibus flexis.

XIV. Antiquiſſimum eſſe morem genua flectendi, dum preces funduntur, liquido conſtat; legimus enim in Actibus Apoſtolorum *cap.7. v.*59. quod S. Stephanus: *Poſitis genibus clamavit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quod Sanctus Petrus *ponens genua oravit cap.* 9. *v.*40. Quod D. Paulus, *poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis; ibidem cap.*20. *v.*36. & de ſe ipſo ejuſque comi-

comitatu *cap.* 21. *v.* 5. ait: *& positis genibus in littore oravimus*; idemque asseruerat ad *Ephes.* 3. *v.* 14. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*; & de S. Jacobo Apostolo narrat D. Hieronymus in Catalogo Scriptor. Ecclesiasticor. *Quod flexis genibus pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur*. Sic Marci Aurelii Cæsaris tempore milites Christiani Legionis Melitinæ, ut pluviam, ne ulterius exercitus siti premeretur, impetrarent; *flexis in terram genibus .... preces ad Deum fudisse perhibetur*; ut narrat Eusebius *Hist. Ecclesiast. lib.* 5. *cap.* 5. qui addit: *ut nostris orantibus mos est*. Hoc idem prius narraverat Tertullianus *lib. ad Scapulam cap.* 4. addens, *quando non geniculationibus, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* Tandem S. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo, ait: *Quis enim vestrum ignorat precationem eam maximè flectere Deum, quæ ad commiserationem movendam lacrymis est comparata ab eo, qui pronus decumbit, aut in genua procumbit?* Ex quibus duo colliguntur; primum, quam vetustus sit mos genuflectendi; secundum, quam efficax sit ad impetrandum, & consequenter quam appositè a nostro Rituali præscribatur, ut Exorcista *flexis genibus* ....

Dicat Litanias.

XV. *Litania* Græce, Latine *rogatio* dicitur, & inde *Rogationes*. Dupliciter sumi Litanias animadvertit Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 28. *Notandum autem*, inquit, *Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur in-*

fir-

firmitatis humanæ, sed etiam cuncta, quæ in supplicationibus fiunt, orationes (al. rogationes) *appellari*. Porrò in primo sensu a Rituali nostro hic sumuntur.

XVI. Sed caveat Exorcista, ut devotè, & attentè Litanias, sicut & cæteras preces dicat, ne ipsi accidat, quod sibi accidisse narrat Falcuinus de gestis Abbatum Lobiensium *cap. 33. apud d'Acherium to. 2. Spicilegii*. Ait enim: „ „ Mulier quædám plena dæmonio a Parentibus „ ad S. Ursmari sepulcrum attracta est.... „ Audires interdum canem latrantem, sibilum „ serpentinum, taurorum mugitum, ut quasi „ uno cubili essent diversa ferarum monstra.... „ Fratres condolentes illi Ecclesiam S. Ursmari „ petunt pro ejus ereptione Dominum deprecaturi. Proposuerunt Leitaniam agere, cujus recitatio mihi injuncta est. Ubi ergo „ post recitationem Sanctorum omnium ad locum perventum est, quo potius dicere deberem: *Per adventum tuum, libera nos Domine*; vocibus ejus perterritus anticipavi dicere: *Per nativitatem tuam*. Tunc illa, imò „ ille, quo misera illa torquebatur: *Mentiris*, „ inquit, *& præposterè loqueris*. Expavi fateor, & „ penè extra me effectus sum: at ubi me recepi, „ Litaniam sum prosecutus. „

Ordinarias.

XVII. Nempe illas dicat, quæ nuncupantur Litaniæ Sanctorum, quæque apponuntur in Breviario, tum in Rituali Romano post septem Psalmos Pœnitentiales. Hinc advertat Exorcista ne alias ab his audeat recitare, nam contra edentes, vel utentes aliis Litaniis, quam approbatis, vel a Sacra Rituum Congregatione approbandis extat Decretum Clementis VIII.

die 6. Septembris 1601. editum, & in Bullario Romano *tom.* 3. relatum, quod est hujusmodi: *SS.D.N. Clemens Papa VIII..... præcipit, & mandat, ut retentis antiquissimis, & communibus Litaniis, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, nec non Litaniis de B. Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent; quicumque alias Litanias edere, vel jam editis, in Ecclesiis, sive Oratoriis, sive Processionibus uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, & si opus fuerit, corrigendas mittere teneatur, neque sine licentia, & approbatione præd. Congregationis, eas in publicum edere, aut publicè recitare præsumat sub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii, & Inquisitoris severè infligendis.*

Usque ad preces exclusivè.

XVIII. Hic advertat Exorcista adamussim omnia, quæ a Rituali traduntur observanda esse, nec ipsi licitum esse aliam formulam precum, vel Exorcismorum adhibere, nisi a nostro Rituali præscriptam, quæ infra ex eodem de verbo ad verbum transumpta exhibetur. Bituricense namque Concilium anno 1584. celebratum *tit.* 40. *can.* 3. Episcopos invigilare jubet: *Ne prætextu pietatis ulli Exorcismi fiant, nisi qui ab Ecclesia probati sint.* Quam cautionem pro sua Ambrosiani ritus Ecclesia adhibuit S. Carolus Borromæus, dum in Concilio IV. Mediolanensi statuit: *Ne aliis exorcismis, precibus, ritibusque ad id munus (scilicet Exorcista) utatur, nisi ad libri Episcopi judicio comprobati rationem præscriptam. Cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.* Sed audiatur Paulus V. in suis litteris Apostolicis--*Apostolicæ Sedi, sub die* 17. *Junii*

1614.

1614. *expeditis*, Ritualique Romano præfixis, qui hæc fatur: *Quapropter hortamur in Domino Ven. Fratres, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos Filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos universos, ubique locorum existentes, & alios ad quos spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiæ Romanæ Filii ejusdem Ecclesiæ omnium Matris, & magistræ auctoritate constitutò Rituali in sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatos usus antiquitatis statuit, inviolatè observent.*

XIX. Audiatur insuper Concilium Romanum anno 1725. celebratum sub Benedicto XIII. tit. 15. cap. 1. *Pastoralis nostri muneris curam ad hoc intendimus, & ab omnibus ista fieri volumus, & mandamus, ut in sacramentorum videlicet administratione, in Missis, & divinis officiis celebrandis, aliisque Ecclesiasticis functionibus obeundis non pro libito inventi, & irrationabiliter inducti, sed recepti, & approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in minimis etiam, sine peccato negligi, omitti, vel mutari haud possunt, peculiari studio, ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districtè præcipimus, ut contraria omnia, quæ in Ecclesiis .... contra præscriptum .... Ritualis, irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus, & corruptelas prohibeant, & omninò studeant removere.*

XX. Quare audiendus non est P. Candidus Brognolus, qui *tom. 2. Alexicacon. disput. 3. §. 4.* ait, non omnia, quæ in Rituali Romano continentur cadere sub præcepto observanda, sed tantum ea, quæ ad Ecclesiæ sacramentorum pertinent administrationem, cum legatur in Apostolicis litteris supra indicatis Pauli V. *Præcipuè verò, quæ pertinent ad Ecclesiæ Dei sacra-*

mentorum administrationem, in qua religiosè observari Apostolicis traditionibus, & sanctorum Patrum decretis constitutos ritus, & cæremonias pro nostri officii debito curare omnino tenemur. Non verò, quæ ad visitationem, & curam infirmorum, animæ commendationem, obsessorum, ac maleficiatorum exorcizationem pertinent, præcipit Pontifex, sed observare consuluvit, & hortatur, ad arbitrium prudentis, & docti Ministri Ecclesiastici relinquens alias etiam formulas orationum adhibere, vel illis ex parte, vel in toto uti, vel omittere, vel augere, vel minuere pro ut expediens judicaverit.

XXI. Non inquam audiendus est hic auctor, nam in iisdem Apostolicis litteris legitur: *Restabat & uno etiam volumine comprehensi, sacri, & sinceri Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent, ab iis, qui curam animarum gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent*. Et propè finem: *Rituali in Sacris functionibus utantur*, hocque *inviolatè observent*. Non ergo loquitur Pontifex de sola Sacramentorum administratione, sed de aliis Ecclesiasticis, & Sacris functionibus, quarum nomine venit etiam exorcizatio vexatorum a dæmone, & pro quibus monita, & ritus ab eodem Rituali præscribuntur.

XXII. Nec obstat, quod Rituale *de visitatione, & cura infirmorum* in rubrica dicat: *Sequentes preces omnes, vel ex parte pro ut tempus, & ægrotorum conditio ferret, arbitrio Sacerdotis dici, vel omitti possunt*. Et paulò post: *qui sequuntur Psalmi, & Evangelia cum precibus pro temporis etiam opportunitate, & ægrotantium pio desiderio Sacerdotis arbitrio, dici poterunt*. Et infra, *quæ omnia etiam poterunt, arbitrio*

Sacer-

Sacerdotis breviora fieri; Et conſequenter hoc ipſum erit prorſus fatendum (infert prædictus P. Brognolus) de Exorcizatione Obſeſſorum.

XXIII. Non, inquam, obſtat; nam circa infirmos attendendæ ſunt circumſtantiæ *temporis, ægrotorum conditio, vel pium deſiderium, & opportunitas*, quæ circumſtantiæ non occurrunt in adjuratione dæmonum. Præterea cum Rituale Romanum Sacerdotis arbitrio relinquit aliquid omittendum vel mutandum, hoc apertè præſcribit, ut conſtat ex verbis Rubricæ allatæ. Circa verò monita, ritus, exorciſmos, cæteraque ad liberationem energumenorum ſpectantia, nec verbum quidem facit. Solum quoſdam Pſalmos ſuper obſeſſum legendos arbitrio Exorciſtæ relinquere videtur his verbis: *Juvabit præterea plurimum hæc, quæ infra notantur, ſuper obſeſſum devotè dicere, ſæpeque repetere.* Non ſic loquitur de Obſervantia monitorum, & de Exorciſmis.

XXIV. Hinc amandandi ſunt Exorciſmi a P. Zaccharia Vicecomite in ſuo Complemento artis Exorciſticæ collecti, aliique a diverſis auctoribus, & ab ipſo P. Brognolo in Manuali Exorciſtarum concinnati. Inſuper amandandæ ſunt conjurationes ad expellendas, & fugandas aereas tempeſtates a dæmonibus excitatas, quæ legebantur neſcio quo jure inſertæ in fine Ritualis Romani, auctore Petro Locatello, & ab eodem Rituali modo expunctæ, imò proſcriptæ per Decretum Sacr. Indicis Congregationis *ſub die* 11. *Januarii, anno* 1725.

XXV. Et revera talem methodum nunquam legi in uſu fuiſſe apud Sanctos Patres, ſed valde diverſam; nam S. Theodorus Siceota Epiſcopus Anaſtaſionopolitanus, ut narratur in ejus

Vita *cap. 7. penes Bollandianos 22. Aprilis*. Sacramentalia adhibuit: „In loco, qui Reace nuncupatur, *inquit Hiſtoricus*, ſæva quædam nubes ſtatutis temporibus regionem occupabat, „ & maturos vitum fructus, grandine dejiciebat. *Beatus* conſtituta ſupplicatione regionem „ luſtravit, & Cruces quatuor ad regionis fines conſtituit .... ex quo factum eſt, ut ſæva illa nubes nunquam amplius regionem „ invaſerit. „ Et S. Vincentius Ferrerius, cum in Villa Cataloniæ, quæ vocatur Borbaſter „ prædicare vellet die ſolemnitatis Petri, & „ Pauli, antequam ſacras veſtes deponeret, „ quibus ex more Miſſam celebraverat, ſubito „ mota in aere nubium multitudo, tantus tonitruorum terribilium fragor, tam continua, horribiliſque fulgurum apparitio apparuit, ut ipſi Cœli ruinam minari viderentur. Quas ob res cuncti, qui aderant „ arbitrabantur, ſe penitus eſſe perituros. At „ Vincentius, quamvis tam grandem tempeſtatem motam adverteret, nihil tamen diffidens, Miſſarum ſolemnia peregit, moxque ad „ multitudinem converſus eam adhortatus eſt, „ ne dubitarent, ſed totam ſpem eorum in Domino Jeſu Chriſto ponerent. Itaque contra tempeſtatem aquam benedictam aſperſit, deinde „ fecit ſignum Crucis, nec mora illicò ceſſavit „ tempeſtas, & ſtatim fiebat mira aeris ſerenitas „ ubi obſervo, quod iſti Sancti non imperaverint nubibus, nec adjuraverunt Deum, ut eas divideret, *annihilaret*, *confunderet*, nec eas adjurarunt, *per ſeptuaginta nomina Domini noſtri Jeſu Chriſti, Hebraicè, Græcè, & Latinè, nec Verſiculos ex Pſalmis ob hoc concinnarunt*, ut fecit Petrus Locatellus contra mentem Eccleſiæ, & adjurationis regulas. Quare tutius erit ad

Deum

Deum confugere in his necessitatibus, precesque proprias a nostro Rituali præscriptas sub Titulo *de Processionibus* devotè recitare.

DOCUMENTUM XVIII.

DEinde muniens se, & obsessum signo Crucis, circumposita parte stolæ ad collum ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur.

SUMMARIUM.

1. *ALiqua jam Commentariis illustrata indicantur.*
2. *Quadruplex manus impositio explicatur.*
3. *Illa, quæ Exorcistæ præscribitur, & Sacris Canonibus commendatur.*
4. *Semper fuit in usu.*
5. *Nihil addendum est Rituali Romano.*
6. *Conclusio operis.*

COMMENTARIUM.

1. IN toto hoc Documento nihil ferme est, quod supra non fuerit pluribus in locis Commentariis illustratum; quare solum illustranda remanent sequentia verba.

Et dextera manu ſua capiti ejus impoſita.

II. Multiplex antiquitus in uſu erat manuum impoſitio, ſed maximè quadruplex, nempè *ordinativa*, *reconciliativa*, *confirmativa*, & *curativa*. Prima ea eſt, qua ſacrorum miniſtri conſtituuntur, & de qua S. Paulus 1. *ad Timoth.* 4. *v.* 14. inquit: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi.....cum impoſitione manuum Presbyterii*. Et iterum cap. 5. v. 22. *Manus*, ait, *cito nemini impoſueris*. Secunda, cujus frequens eſt mentio apud veteres, erat *reconciliativa*, qua pœnitentes ad gratiam abſolutionis admittebantur. Hujus meminit Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 78. Agathenſe *can.* 15. Arauxicanum I. *cap.* 3. ubi loquens de pœnitentibus infirmis abſolvendis, ait: *Quod ſi ſupervixerint ſtent in ordine pœnitentium, & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, Legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Tertia erat *confirmativa*, qua ſpiritus Sancti plenitudinem Apoſtoli largiebantur, juxta illud Actor. 8. v. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum*. Quarta nempè *curativa* erat ad fugandos corporis morbos, & exercendam ſalutiferam illam virtutem, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis, ac in eum credentibus repromiſit his verbis, Marci ultimo v. 18. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*.

III. Sub hac poſtrema comprehenditur manus impoſitio a noſtro Rituali præſcripta cohærenter ad ſacros canones: Cum enim ordinatur Exorciſta, ipſi datur poteſtas manus imponendi ſuper

per energumenos, ut legitur in Concilio Carthaginenſi IV. cap. 7. relato in 1. parte Decreti diſt. 23. cap. 17. *Exorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſive baptizatum, ſive cathecumenum.* Et ibid. diſt. 25. cap. 1. dicitur ex Iſidoro Hiſpalenſi Ep. ad Ludifredum, ſeu Lantfredum: *Ad Exorciſtam pertinet exorciſmos memoriter retinere, manuſque ſuper energumenos, & cathecumenos in exorcizando imponere.* Et tandem de Conſecr. *diſt.* 5. *c.* 11. ex prælaudato Concilio Carthaginenſi IV. cap. 90. *omni die Exorciſtæ energumenis manus imponant.*

IV. Hanc praxim ſecuti ſunt ſancti Patres, qui huic miniſterio operam navarunt. De S. Ephræm Syro *cap.* 3. ejus Vitæ *apud Bollandum die* 1. *Februarii* legitur,, manuum ſanctarum „ impoſitione, & precibus, hominem protinus „ ab illa affectione (*dæmoniaca nempè*) liberavit, „ & priſtinæ ſanitati reſtituit. „ De S. Hypatio Abbate *cap.* 7. *ejus Vitæ die* 17. *Junii penes Bollandianos Continuatores* narratur, quod obſeſſam liberavit „ Deo ipſi ſanitatem præſtante „ per impoſitionem manuum S. Hypatii. „ De S. Deſiderato Epiſcopo Bituricenſi, ibidem die 8. Maii refertur quod „ Oratione præmiſſa, ob- „ ſeſſæ mulieris caput ſacratis manibus fortiter „ ſtrinxit, donec hoſte fugato eam penitus libe- „ ram, & optimè valentem dimiſit. „ De S. Hucberto Monacho *apud eoſdem die* 30. *Maii cap.* 3. *ejus Vitæ*, dicitur, quod „ ſimul ac dæmonia- „ cum Crucis ſignaculo colluſtraviſſet, adjun- „ cta manuum impoſitione, confeſtim nefarius „ dæmon auſugit. „ De S. Germano Epiſcopo Pariſienſi pariter legitur *ibidem die* 28. *Maii*, quod „

quod „ admota ejus dextera, dæmones de obsessis „ corporibus passim vertebantur in fugam. „ De S. Nicetio Lugdunensi Episcopo narrat D. Gregorius Turonensis *in Vitis PP. cap.* 8. quod „ „ impositis Sanctus Diacono *energumeno* manibus, ejecto dæmone, personam restituit integræ menti; „ *& ibidem* refert, quod S. Patroclus Diaconus, & Abbas „ multos energumenos manu imposita per signum Crucis effugatis dæmonibus, mente integra reddidit; „ *& cap.* 15. legitur: S. Senoch Abbatem Turonensem „ nonnullos obsessos dæmonis sævi livore, „ ut manus imposuit, extemplo fugatis dæmonibus mentem energia turbatam ad integritatem restituisse. „ At penè infinitus essem, si exempla, quæ hac in re in historia Ecclesiastica occurrunt, omnia referre vellem; quare cæteris omissis, claudamus hunc paragraphum cum Venantio Fortunato, qui in Vita S. Martini de hoc Præsule canit:

Imposita ergo manu Puero, fera larva recedit;

Et mala jucundum Pastorem bestia fugit:

quod idem refert Sulpitius Severus *in Vita ejusdem Sancti cap.* 16.

V. Sed tandem his Commentariis finem imponat, simulque Ritualis Romani exactam observantiam commendet Sacræ Indicis Congregationis decretum *die* 11. *Januarii* anno 1725. emanatum, quod in fine ejusdem Ritualis nuperæ editionis per extensum præfixum legitur: *Ejusdem sacræ Congregationis Decreto prohibentur omnes additationes factæ, & forsan faciendæ Rituali Romano post reformationem s. m. Pauli V. sine approbatione sacræ Congregationis Rituum.*

VI. *Quæ autem dixi*, sunt verba S. Bernardi

Epi-

Epistola 174. ad Canonic. Lugdunen. *absque præjudicio sane dicta sint, sanius sapientis Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc sicut & cætera.... universa reservo: ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. Hucusque ergo,* ut concludam cum S. Nilo, tract. morali cap. 4. in Bibliotheca PP. tom. 27. *sermoni finem imponamus, gratias agentes Domino in omnibus ipsius Donis, quibus nos dignos muneratur ejus misericordia. Ipsi gloria, & honor in sæcula. Amen.*

MODUS

MODUS
præscriptus a Rituali Romano;
De Exorcizandis obsessis a dæmonio, quibusdam adjectis brevibus Notis.

I. SAcerdos, seu quivis alius legitimus Ecclesiæ minister, vexatos a dæmone exorcizaturus, ea qua par est pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debet; qui non sua, sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus tam pium opus ex charitate constanter, & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

II. Ut igitur suo munere rectè fungatur, cum alia multa sibi utilia Documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis auctoribus, & ex usu nosse studeat, tum hæc pauca magis necessaria diligenter observabit.

III. In primis ne facile credat aliquem a dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atrabile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis dæmonis sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere: distantia, & occulta patefacere: vires supra ætatis, seu conditionis naturam ostendere, & id genus alia, quæ cum plurimum concurrunt, majora sunt indicia.

IV. Hæc autem ut magis cognoscat, post unum, aut alterum exorcismum interroget obsessum,

sum, quid senserit in animo, vel in corpore, ut sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

V. Advertat quibus artibus, ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimum fallaciter respondere, & difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia ut infirmus putet se omninò esse liberatus, sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcumque possunt impedimenta, ne infirmus se subjiciat exorcismis, vel conatur persuadere infirmitatem esse naturalem; interdum in medio Exorcismi faciunt dormire infirmum, & ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui ostendunt factum maleficium, & a quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum: sed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quiescere, & suscipere Sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur. Denique innumerabiles sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

VI. Quare sit memor Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, quod non ejicitur nisi per orationem, & jejunium. *Matth.17.* Hæc duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exem-

plo

plo Sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.

VII. In Ecclesiam si commodè fieri potest, vel in alium religiosum, & honestum locum seorsum a multitudine perductus energumenus exorcizetur; sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de causa, in domo privata exorcizari poterit.

VIII. Admoneatur obsessus, si mente, & corpore valet, ut pro se oret Deum, ac jejunet, & sacra Confessione & Communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat, & dum exorcizatur totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter sustineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conspectu Crucifixum. Reliquiæ quoque Sanctorum ubi haberi possint, decenter, ac tutò colligatæ, & coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur. Sed caveatur ne res Sacræ indignè tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiæ periculum.

IX. Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris, & occultis ad suum munus non pertinentibus. Sed jubeat immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere, neque ei credatur si dæmon simularet, se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

X. Necessariæ verò interrogationes sunt, ut de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, & aliis hujusmodi; cæteras autem dæmonis nugas, risus,

sus, & ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, & circumstantes, qui pauci esse debent admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum: sed potius humiliter, & enixè Deum pro eo precentur.

XI. Exorcismos verò faciat, ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide, & humilitate, atque fervore: & cum viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet, & urgeat: quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum Crucis, & aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

XII. Observet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat, & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo, ac si videat se proficere, in ipsa perseveret, per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam consequatur.

XIII. Caveat proinde Exorcista ne ullam medicinam infirmo, vel obsesso præbeat, aut suadeat, sed hanc curam medicis relinquat.

XIV. Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur a dæmonio; quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ: atque honestatis memor Exorcista, caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis.

XV. Dum exorcizat, utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam suis, aut alienis. Jubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta; quæ si obsessus ore sumpserit, evomat: vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur.

tur. Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

XVI. Si verò obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illius pejora prioribus.

XVII. *Itaque Sacerdos, sive alius Exorcista ritè confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commode fieri potest, Sanctissimo Missæ Sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea; cujus extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum; eum se, & astantes communiat signo Crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis, aliis respondentibus, dicat Litanias ordinarias usque ad preces exclusivè.*

LITANIÆ.*

KYrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison. Christe audi nos. Christe exaudi nos. Pater de Cœlis Deus. Miserere nobis.

Fili

* Antiquam esse Litaniarum institutionem observat Vvalafridus Strabo, qui Libro *de rebus Ecclesiasticis cap.*28. hæc scribit: *Litaniæ autem Sanctorum nominum postea creditur in usum assumptæ, quam Hieronymus Martyrologium secutus Eusebium Cæsariensem per anni circulum conscripsit, ea occasione ab Episcopis Chromatio, & Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodosius religiosus Imperator in Concilio Episcoporum laudavit Gregorium Cordubensem Episcopum, quod omni die Missas expleans, eorum Martyrum, quorum natalia essent, nomina plura commemoraret.* Antiquam pariter esse in Ecclesia Litaniarum recitationem in expulsione dæmonis ab obsessorum corporibus, colligo ego ex historia, quam supra retuli in Comment. Documenti XVII. num. 14. Siquidem hic mos invaluerat temporibus Fulcuini Lobiensis Abbatis, qui obiit anno 990.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, orate.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate.
Omnes Sancti Beatorum spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ, orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.

Sancti Fabiane, & Sebaſtiane, orate.
Sancti Joannes, & Paule, orate.
Sancti Coſma, & Damiane, orate,
Sancti Gervaſi, & Protaſi, orate.
Omnes Sancti Martyres, orate.
Sancte Silveſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confeſſores, orate.
Omnes Sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A ſubitanea, & improviſa morte, libera.
Ab inſidiis diaboli, libera.

Ab ira

Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure, & tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per Mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per Adventum tuum, libera.
Per Nativitatem tuam, libera.
Per Baptismum, & sanctum jejunium tuum, libera.
Per Crucem, & passionem tuam, libera.
Per Mortem, & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.
Per adventum Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die Judicii, libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris, Te rogamus.
Ut domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus.
Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te rog.
Ut cuncto Populo Christiano pacem, & unitatem largiri digneris, Te rogamus.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, & conservare digneris, Te rogamus.
Ut mentes nostras ad Cœlestia desideria erigas, Te rogamus.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus.

Ut animas noſtras, fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus.
Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris, Te rogamus.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus.
Fili Dei, Te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Antiphona. Ne reminiſcaris, Domine, delicta noſtra, vel Parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.
Pater noſter &c. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 53.

DEus in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.
Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris meis.
Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.
Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.
Averte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Volun-

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, &c.

℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: ut hunc famulum, *vel* hanc famulam tuam, quem, *vel* quam delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Oratio.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam gehennæ ignibus deputasti; quique unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret: velociter attende; accelera, ut eripias hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum, a ruina, & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat, sicut in Pharaone, qui jam dixit: Deum non novi, nec Israel dimitto. Urgeat illum dextera tua potens, discedere a famulo tuo N. *vel* a famula tua N. ✠ ne diutius præsumat ca-

ptivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti. Qui tecum vivit, & regnat &c. ℟. Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum.

PRæcipio tibi, quicunque es, Spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum obsidentibus, ut per mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, per missionem Spiritus Sancti, & per adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum aliquo signo; & ut mihi Dei ministro, licet indigno, prorsus in omnibus obedias: neque hanc creaturam Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum. *

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Hæc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore, & pectore. *Jo: cap.* 1.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat Lux hominum: & Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen

---

* Sic S. Norbertus Ordinis Præmonstratensis Fundator, & Archiepiscopus Magdeburgensis, ut puellam a dæmonio obsessam liberaret, jussit inter alia, quod super eam Evangelium legeretur: *Plurima*, inquit Scriptor ejus Vitæ c. 8. *Evangelia super caput ejus lecta sunt .... & perfectè sanata apparuit.* Floruit S. Præsul sæculo Christi duodecimo; sciebat enim, quod *diabolus nihil tantum, quantum Evangelium odit*, ut loquitur Durandus *in Rationali lib. 3. cap. 24. num. 21.*

men erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de Lumine. Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum. *Mar.* 16.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis; serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *Luc.* 10.

IN illo tempore: Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes ad Jesum: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit: Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *Luc.* 11.

IN illo tempore: Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia: & alii tentantes signum de Cœlo, quærebant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi Judices vestri erunt. Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus, & Dominus universæ Creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis 1 dedisti potestatem calcandi super serpentes, & scor-

---

* Hæc oratio usque ad illa verba: *Per te Jesu Christe &c.* habetur in Exorcismo S. Ambrosio tributo, & invento in Vaticano codice annorum 600. locis tantum nonnullis immutatis, ut hic exhibemus.

1 *Potestatem dedisti* 2 *Est* 3 *Victus* 4 *deficit sanctum* 5 *supplex precor* 6 *deest servo tuo* 7 *sicut, & meorum* 8 *confidentiam, & possibilitatem donare dignetur.* 9 *Draconem* 10 deest *Sancti* 11 *fideliter.*

scorpiones; qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es 2 dicere: Dæmones effugate; cujus virtute 3 motus tamquam fulgur de cœlo satanas cecidit: tuum 4 sanctum nomen cum timore, & tremore 5 suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi 6 servo tuo, data venia omnium delictorum 7 meorum, 8 constantem fidem, & potestatem donare digneris: ut hunc crudelem 9 dæmonem, brachii tui 10 sancti munitus potentia fidenter, 11 & securus aggrediar, per te Jesu Christe, Domine Deus noster, qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

XVIII. *Deinde muniens se, & obsessum signo Crucis circumposita parte stolæ ad collum ejus, & dextera manu sua capiti ejus imposita, constanter, & magna cum fide dicat, ea quæ sequuntur.*

℣. * Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ.
℟. Vicit Leo de tribu Juda, radix David.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEus, & Pater Domini nostri Jesu Christi invoco nomen Sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco: ut adversus hunc, & omnem immundum spiritum, qui vexat hoc plasma, mihi auxilium præstare digneris. Per eumdem Dominum nostrum &c.

Exorcismus.

EXorcizo te immundissime spiritus, omnis incursio adversarii, omne phantasma, omnis legio in nomine Domini nostri Jesu Christi, ✠ era-

* Vide Comment. in Document. V. num. 48.

eradicare, & effugare ab hoc pſalmate Dei, ✠ & ipſe tibi imperat, qui de ſupernis Cœlorum in inferiora Terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis, & tempeſtatibus imperavit. Audi ergo, & time ſatana, inimice Fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, juſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum. Quid ſtas, & reſiſtis, cum ſcias Chriſtum Dominum vires tuas perdere? Illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venundatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit. *Sequentes Cruces fiant in fronte obſeſſi.* Recede ergo in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ſancti: ✠ da locum Spiritui Sancto, per hoc ſignum ✠ Crucis Jeſu Chriſti Domini noſtri. Qui cum Patre, & eodem Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

DEus, conditor, & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formaſti, reſpice ſuper hunc famulum tuum N. *vel* hanc famulam tuam N. qui, *vel* quæ dolis immundi ſpiritus appetitur, quem vetus adverſarius, antiquus hoſtis terræ, formidinis horror, circumvolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallaceſque ejus inſidias amove: procul impius tentator aufugiat: ſit Nominis tui ſigno ✠ (*in fronte*) famulus tuus munitus, &

in

in anima tutus, & corpore. *Tres cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci.* Tu pectoris ✠ hujus interna custodias. Tu viscera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes: in Anima adversatricis potestatis tentamenta evanescant. Da Domine ad hanc invocationem Sanctissimi nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat, tibique possit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente sincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit &c. ℟. Amen.

Exorcismus. *

ADjuro te serpens antique per Judicem vivorum, & mortuorum, per factorem tuum, per factorem Mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te iterum ✠ (*in fronte*) non mea infirmitate, sed virtute Spiritus Sancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te urget potestas, qui te Cruci suæ subjugavit. Illius brachium contremisce, qui de-

* Hic Exorcismus antiquissimus est; de eo enim mentio habetur ab Adelhelmo Episcopo Sagiensi in Vita S. Opportunæ Abbatissæ Monasterioli, qui sæculo nono eam scripsit. Ibi itaque de quadam obsessa hæc scribit: „ Infusa ipsa fœmina benedictæ aquæ asperſione, & signata signo Crucis Dominicæ, cum legerentur super eam orationes huic „ operi congruentes, & perventum fuisset ad locum illum, ubi dicitur: *Adjuro te draco in nomine Agni, qui ambulat super aspidem, & basiliscum, qui conculcat leonem, & draconem* liberata est, quibus apertissimè hic noster Exorcismus indicatur.

devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, ✠ (*in pectore*) sit tibi formido imago Dei ✠ (*in fronte.*) Non resistas, nec moreris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus. ✠ Imperat tibi majestas Christi. ✠ Imperat tibi Deus Pater. ✠ Imperat tibi Deus Filius. ✠ Imperat tibi Deus Spiritus Sanctus. ✠ Imperat tibi Sacramentum Crucis. ✠ Imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & cæterorum Sanctorum. ✠ Imperat tibi Martyrum Sanguis. ✠ Imperat tibi continentia Confessorum. ✠ Imperat tibi pia Sanctorum, & Sanctarum omnium intercessio. ✠ Imperat tibi Christianæ fidei mysteriorum virtus. ✠ Exi ergo transgressor. Exi seductor plene omni dolo, & fallacia, virtutis inimice, innocentium persecutor. Da locum diriſſime; da locum impiissime; da locum Christo, in quo nihil inveniſti de operibus tuis; qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua diripuit; qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus; sed quid truculente retineris? Quid temerariè detrectas? Reus es Omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus est. Reus es Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis venenum propinasti. Adjuro ergo te, draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati, qui ambulavit super aspidem, & basiliscum, qui conculcavit Leonem, & Draconem, ut discedas ab hoc homine ✠ (*fiat in fronte*) discedas ab Ecclesia Dei ✠

(*fiat*

(*fiat signum Crucis super circumstantes.*) Contremisce, & effuge, invocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui virtutes Cœlorum, & Potestates, & Dominationes subjectæ sunt, quem Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: Imperat tibi Verbum ✠ Caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgine. Imperat tibi Jesus ✠ Nazarenus, qui te cum discipulos ejus contemneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine, quo præsente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumebas. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ✠ ejus ab homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere. ✠ Durum tibi contra stimulum calcitrare. ✠ Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi supplicium crescit; quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur vivorum, & mortuorum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus Cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator Cœli, & Terræ, qui verus Rex es, & cujus Regni non erit finis: humiliter majestati gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum, *vel* hanc famulam tuam de immundis spiritibus liberare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exor-

Exorciſmus. *

ADjuro 1 ergo te omnis immundiſſime ſpiritus, omne phantaſma, omnis incurſio ſatanæ in 2 nomine Jeſu Chriſti ✠ Nazareni, qui poſt lavacrum Jordanis in deſertum ductus eſt, & 3 te in tuis ſedibus vicit: ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ ſuæ formavit, tu deſinas impugnare, & in homine miſerabili non humanam fragilitatem, ſed 4 imaginem omnipotentis Dei contremiſcas. Cede ergo Deo, ✠ qui 5 te, & 6 malitiam tuam in Pharaone & in exercitu ejus per Moyſen ſervum ſuum, in 7 abyſſum demerſit. 8 Cede Deo, ✠ qui te per fideliſſimum 9 ſervum ſuum David 10 de Rege Saule 11 ſpiritualibus canticis pulſum fugavit. Cede Deo, ✠ qui te in Juda 12 Iſcariote proditore damnavit. Ille enim te 13 divinis ✠ verberibus 14 ta[illegible]git, in cujus conſpectu cum tuis legionibus tremens, & 15 clamans dixiſti: Quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei 16 Altiſſimi? veniſti 17 huc ante tempus torquere nos? Ille te 18 perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus eſt impiis: 19 Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus

* Hic eſt Exorciſmus ſupra indicatus, qui in Codice Vaticano Ambroſium auctorem præfert, relatus a Patribus S. Mauri *tom. 2. operum ejuſdem S. Patris in fine appendicis*. Lectio tamen eſt varians, ut ex collatione hic adnotamus, advertentes in primis, quod deficiunt ✠ ✠ 1 *Te ergo* 2 *In virtute Nominis Chriſti; qui &c.* 3 *& in tuis te ſedibus vicit* 4 *omnipotentis Dei Imaginem contremiſcas* 5 deeſt *in humiliato famulo tuo Job in ſervitutem redegit* 6 *militiam* 7 *demerſit in abyſſum* 8 *cede Deo, qui te per Danielem puerum ſuum in Beel perdidit, & in draconе proſtravit* 9 *deficit ſervum* 10 *de Saule rege* 11 *ſpiritalibus* 12 deficit *Iſcariote*, & legit *traditore* 13 *nunc* 14 *agit* 15 *clamabas; quid &c.* 16 *David veniſti, &c.*

tus est diabolo, & Angelis ejus. Tibi enim impie, & Angelis tuis 20 vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, & Angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps 21 maledicti homicidii, tu auctor 22 incæstus, tu 23 sacrilegiorum caput, tu actionum pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, 24 tu totius obscœnitatis inventor. Exi ergo ✣ impie, exi ✣ scelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse 25 voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? 26 Da honorem Deo Patri Omnipotenti, ✣ cui omne 27 genuflectitur. Da locum 28 Domino Jesu Christo, ✣ qui pro homine 29 Sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✣ Sancto qui per 30 beatum Apostolum suum Petrum 31 te manifestè 32 stravit in Simone mago: qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira condemnavit, qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percussit: qui te in 33 mago Elima per Apostolum suum Paulum, cœcitatis caligine perdidit, 34 & per eumdem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit. Discede ergo nunc: ✣ discede seductor; Tibi eremus

17 deest *huc* 18 *flammis perpetuis* 19 *Ite maledicti in ignem æternum quem præparavit Pater meus diabolo, &c.* 20 *vermis qui nunquam moritur* 21 *maledicte homicidii princeps* 22 *incæsti* 23 *sacrilegorum* 24 *artium* 25 voluit esse 26 deest *hic?* 27 *flectitur genu* 28 *da locum Christo Jesu* 29 *suum Sanguinem* fudit 30 *te* 31 hic deest *te*, cum sit anteposita talis particula 32 *manifestavit in Simone*, & deest *mago* 33 *in pessimo Mago per Apostolum &c.* 34 perfudit 35 *tibi enim* 36 deficit, & 37 sic legit: *Ecce enim Dominator Dominus proximat, cito ignis ante ipsum ardebit, & inflammabit &c.* 38 *fallis Dominum non potes inidere* 39 *æternam præparavit* 40 *exit* 41 *bis acutus* 42 *in Spiritu Sancto judicare sæculum per ignem*.

mus 35 ſedes eſt. Tibi habitatio ſerpens eſt: humiliare, 36 & proſternare. Jam non eſt differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus 37 proximat citò, & ignis ardebit ante ipſum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, 38 Deum non poteris irridere. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum eſt. Ille te expellit, cujus virtuti univerſa ſubjecta ſunt. Ille te excludit, qui tibi, & Angelis tuis præparavit 39 æternam gehennam: de cujus ore 40 exibit gladius 41 acutus; qui venturus eſt 42 judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti poſſunt, donec obſeſſus ſit omninò liberatus.

Juvabit præterea plurimum hæc quæ infra notantur, ſuper obſeſſum devotè dicere, ſæpeque repetere.

Pater noſter &c. Ave Maria &c. Credo &c.

Canticum B. M. V. * Luc. 1.

MAgnificat anima mea Dominum.
Et exultavit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo.

Quia

* Per hoc Canticum dæmon reminiſcitur victoriæ ſuper ipſum a Chriſto reportatæ, & præcipuè per illum verſiculum. *Fecit potentiam in Brachio ſuo*, quem ſic explicat S. Gregorius Thaumaturgus *ſerm. 2. Encomii in Annunciatione B. M. V. apud Biblioth. PP.* tom. 3. *fecit potentiam in Brachio ſuo, pro nobis adverſus mortem, & diabolum, & cunctos ei militantes dæmones.* Cui conſonat S. Cyrillus relatus in Catena aurea D. Thomæ in cap. 1. Lucæ: *Fecit potentiam &c. magis autem propriè de dæmonum hoſtili caterva intelligenda ſunt hæc: hos enim ſævientes in Terra diſſipavit adveniens Dominus, & compeditos ab eis obedientiæ ſuæ reſtituit.* Quare ſcite a Rituali noſtro hoc Canticum recitandum, hoc loco proponitur.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula. Gloria Patri &c.

Canticum Zachariæ. * Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.

* Nec minus apposite Zachariæ Canticum legendum præscribit Rituale Romanum super obsessum, cum præcipuè versiculum illum: *Salutem ex inimicis nostris*, de dæmonibus interpretetur Glossa, & ante ipsam Origenes relatus a Divo Thoma in Catena aurea in cap. 1. Lucæ: *Non autem putemus*, ait Origenes, *nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritualibus. Venit enim Dominus Jesus fortis in prælio destruere omnes inimicos nostros, ut nos de eorum insidiis, & tentationibus liberos faceret.*

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

In sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Gloria Patri &c.

Symbolum S. Athanasii. *

QUicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem catholica hæc est: ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increa-

---

* Hujus Symboli recitatione S. Agnes de Monte Politiano energumenum liberavit: sic enim legitur in ejus Vita *cap. 7. penes Bollandianos die* 20. *Aprilis*. „ Statim ei Sancta virgo appropians, signumque Crucis frontiejus imprimens, fidem catholicam per Canticum illud: *Quicunque &c.* devotissimè depromens, furibundum illum dæmonem divina virtute ab homine expulit. „

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum, ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere catholica Religione prohibemur.

Pater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre, & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate, nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum

est, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse: ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem: ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur: quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus, & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus; perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos, & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fide-

fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Gloria Patri &c.

Psalmus 90. *

QUi habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.

Scapulis suis obumbravit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno.

* Quam meritò etiam aliqui præscribantur Psalmi a Rituali nostro super obsessos legendi, apertè colligitur ex iis, quæ de Psalmis scripserunt Patres; inter alia namque encomia, Psalmus a D. Joanne Chrysostomo in Psalm. 14. dicitur: *acutissimum telum adversus dæmones:* & subjungit: *nec cervi ita tela fugiunt ut psalmos David dæmones:* Et D. Basilius in proœmio Psalmorum: *Psalmus*, inquit, *dæmones fugat, Angelos advocat..... est profligandis dæmonibus, ac depellendis quoddam amuletum.* Sed ut fere omnes Psalmos hic extensos complectamur, audiatur S. Remigius Antisiodorensis in præambulis in Psalmos, penes Biblioth. PP. tom. 16. *Canticum Psalmorum*, ait, *animas decorat, invitat Angelos in adjutorium, effugat dæmones.... parit fidem.... diabolum offendit..... certamen bonorum est..... si vis orare dic, Deus in adjutorium. Deus in nomine tuo. Si vis Deum laudare, dic Psalmos, quorum initium est, Confitemini. Si in tribulationibus humanis, vel spiritualibus afflictus sis tentationibus, & tibi videris a Deo, derelictus, canta: Deus Deus meus respice in me. Usquequo Domine. In te Domine speravi &c.* Cum porro obsessus indigeat dæmonem effugare fidem parere, Deum orare, laudare in sua tribulatione, invocare, appositè nostri Psalmi præscribuntur.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.

Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Gloria Patri &c.

Psalmus 67. *

EXurgat Deus, & dissipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et

---

* De singulari virtute huius Psalmi adversus daemones pulchre haec habet D. Athanasius *ad Antiochum quæst.* 14. quærit namque: *qualem Orationem, aut quod verbum ex omnibus orationibus, atque verbis plus timent daemones, a diabolus?* & respondet: *Narraverunt nobis spirituum studiosi homines fide digni, quod aspectu ipso, & de facie aliquando apparuerit eis diabolus, & quæsitus haud ab ipsis quæstionem responderit his verbis, Non extitit in toto tam veteri,*

Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu eis: turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransires in deserto.

Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai: a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata est, tu vero perfeciti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: paraisti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœlestis Reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?

quam novo testamento verbum terribilius, atque magis nostram disperdens potestatem, quam initium sexagesimi septimi Psalmi. Quam primum enim verbo dicto: Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, mox ululans evanescit, & disparet diabolus, factis ostendens hujus Orationis virtutem, & operationem.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cœpisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus: Ex Basam convertam: convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei: qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent Reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipas gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: Æthiopia prævenient manus ejus Deo.

Re-

Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Gloria Patri &c. *Psalmus 69.*

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge, euge

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus, & pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Gloria Patri &c.

Psalmus 53.

Deus in nomine tuo. *Ut supra pag. 452.*

Psalmus 117.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc, qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

Do-

Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum est sperare in Domino: quam sperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.

Circumdantes, circumdederunt me: & in nomine Domini, qui ultus sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

Impulsus eversus sum ut caderem: & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Dñi.

Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me; & factus es mihi in salutem.

Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare: benedictus, qui venit in nomine Domini.

Benedixiimus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Gloria Patri &c. *Psalmus 34.*

JUdica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma, & scutum: & exurge in adjutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Confundantur, & revereantur, quærentes animam meam.

Avertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacuè exprobaverunt animam meam.

Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.

Omnia

Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum, & pauperem a diripientibus eum.

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur.

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens, & contristatus sic humiliabar.

Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoravi.

Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

Domine, quando respicies? Restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.

Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo gravi laudabo te.

Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilataverunt super me os suum: dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri.

Vidisti, Domine, ne sileas: Domine ne discedas a me.

Exurge, & intende judicio meo: Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

Judica

Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

Non dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ: nec dicant, Devoravimus eum.

Erubescant, & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione, & reverentia, qui magna loquuntur super me.

Exultent, & lætentur, qui volunt justitiam meam: & dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam: tota die laudem tuam. Gloria Patri &c.

Psalmus 30.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam; accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates, supervacuè.

Ego autem in Domino speravi: exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde: & timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me: oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.

Factus sum tamquam vas perditum; quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me; accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum; & a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua: Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, & in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo

Ideo exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Gloria Patri &c.

Psalmus 21.

DEus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & liberasti eos.

Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens, & rugiens.

Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Fa-

Factum est cor meum tamquam cera liquescens, in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea: & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium maligantium obsedit me.

Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi verò consideraverunt, & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: & cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur, & convertentur ad Dominum, universi fines Terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus, universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.

Man-

Manducaverunt, & adoraverunt omnes pinguis terræ: in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: & semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascerunt, quem fecit Dominus. Gloria Patri &c.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine, susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus susceptit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri &c. *Psalmus 10.*

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra: ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quæ perfeciti, destruxerunt: justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, & impium: qui

autem diligit iniquitatem, odit animam suam:
Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.
Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus. Gloria Patri &c.

Psalmus 12. *

USquequò Domine oblivisceris me in finem? usquequò avertis faciem tuam a me?
Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem;
Usquequò exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me Domine Dus meus.
Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.
Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speravi.
Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi. Gloria Patri &c.

Oratio post liberationem.

ORamus te, Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N. *vel* famula tua N. sed ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum, *vel* in eam, Domine te jubente, bonitas, & pax Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timeamus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

LAUS DEO.

* Ad hunc Psalmum recursum habuit ad demonum terriculamenta abjicienda B. Alcuinus Abbas, ut legitur in ejus vita *cap.* 1. *penes Bollandianos socios die* 19. *Maii*; „ Crucis se muniens Alcuinus velociter signo, Psalmumque decantans, duodecimum „ effectu, omni malorum subito disparuit turba.

INDEX

INDEX.

A

Aaron, quomodo verterit virgam in serpentes, &c. Pag. 222. & 225
Acedia. V. *Peccata.*
Actus socialis cum dæmone alius perfectus, alius imperfectus. 317
Actum socialem cum dęmone non habuit P. Jo: Baptista Mezzettus, nec ejus discipulus Jacobus Martinus Modanesius. 318
Adjuratio quid, & quotuplex sit. 4. Adjurandi modus quotuplex sit. *ibid.* Et erga quæ quilibet eorum sit adhibendus, *ibid.* & 5. Tres Adjuratio conditiones requirit, *ibid.* & 6. Adjurari potest irrationalis creatura, non tamen per terminos judicarios, 8. & 9. sed solum Aqua lustrali, Reliquiis Sanctorum, & Exorcismis. 10
Ætas Exorcistæ debet esse matura. 108
Agni Dei cerei virtus contra dæmones. 312
Amuleta sacra licita sunt, & eorum usus piissimus. 195
Angeli assumunt corpora ex aere efformata. 23 Nec Angelus bonus, nec malus possunt cognoscere cordis secreta. 123. Angelus Tobiæ, quomodo dæmonem expulit. 382. *& seqq.* Angeli mali. V. *dæmon*, V. *diabolus.*
Animæ potentiæ subjectæ sunt operationi dæmum. 32. *& seqq.*
Aqua lustralis adhibenda est in animalibus nocentibus expellendis. 10. *& seqq.* Habet vim contra dæmones. 372. Contra prestigia, & maleficia. 373. *& seqq.*
Arreptitii qui sint. 13
Artes dæmonis cognoscere, Exorcista debet curare. 202
S. Athanasii Symbolum. V. *Symbolum.*
Avari, dæmoniacis similes, imo pejores sunt. 47.
Avaritia, V. *Peccata.*

B

BAlnea non probantur a SS. PP. in Virginibus. 51. V. *Peccata*.
Beati adjurari possunt. V. *Adjuratio*.
Blasphemia V. *Peccata*.
Brevia sacra V. *Amuleta*.

C

CAlumnia. V. *Peccata*.
Canticum B. M. V. quantæ sit virtutis ad dæmones fugandos, & quare. 464.
Canticum Zachariæ super obsessos legere oportunum est. 465
Catalogus SS. qui dæmones, dum viverent, adjurarunt. 266
Choreæ. V. *Peccata*.
Cithara David, an habuerit vim expellendi dæmonem a Rege Saule. 382. *& seqq.*
Clausura Monasterii V. *Peccata*.
Cognitio dæmonis, an, & quomodo se extendat ad futura. 325. V. *Dæmonis cognitio*.
Communio an semper data fuerit Energumenis? 293. est utilissima obsessis, 297. & ipsis debet ministrari; si tamen mente valeant. 300
Concilii Ancyrani Canon quidam explicatur. 232. *& seqq.*
Conjurationes quædam reprobatæ. 437
Confessio Sacramentalis Exorcistæ præcedere debet exorcizationem 425. Confessio obsessi plurimum conducit ad dæmonem superandum. 290
Constantia necessaria est in Exorcista. 102
Conventicula nocturna. V. *Sagæ*.
Cordis cogitationes occultæ. V. *Angeli*. V. *Dæmon*. V. *Deus*.
Coronæ calculorum. V. *Amuleta*.
Corpus energumeni elevari potest in aerem a dæmone, capite ad terram verso, nec tamen vestes

ſtes in faciem defluere interdum. *Comment. Docum.* III. *num.* 29. Interdum defluere oſtenditur, Deo ſic permittente. *Ibid.*
Creare non poteſt dæmon, 220
Creatura irrationalis adjurari poteſt, & quomodo. 7
Crimen, impedimentum dirimens. V. *Peccata.*
Crucifixi imago, quam efficax ſit adverſus dæmones. 309
Crucis ſignum, quantam vim habeat ad dæmones expellendos, 366. ubi, & quando ſit faciendum, 368. & quomodo, 370. & 372
Curatio maleficiatorum, alia moralis, alia, ſupernaturalis. 413
Curioſitas in adſtantibus adjurationi, removenda eſt. 351

D

DÆmon adjurari poteſt, & quomodo? V. *Adjuratio.* Dæmones adjurari non poſſunt etiam modo compulſivo, ſeù imperativo pro aliquo ab eis addiſcendo, vel ad aliquid per eos obtinendum. 7
Dæmon facultatem habet vexandi homines tam circa animam, quam circa corpus. Non tamen poteſt illabi animæ, 32. ſed ſolum animæ uniri. *Ib.* Poſſunt operari circa potentias. 32. V. *Potentiæ. Anima. Intellectus. Voluntas. Memoria. Senſus.* Poteſt omnes morbos, & infirmitates, Deo permittente, inducere, 18. ejus poteſtas, quomodo debilitata fuit a Chriſto per ſuam paſſionem. 16
Dæmones vices incubi cum mulieribus, & ſuccubi cum Viris exercent, 18. & quomodo id poſſint. 23. Dæmon Incubus poteſt hominem generare, & quomodo? 31. non tamen dicendus eſſet filius dæmonis. 32
Dæmones aſſumunt corpora ex aere efformata. 23. & etiam hominum vita functorum, 27. non tamen Juſtorum. 29
Dæmon nihil poteſt in homines, niſi permittatur

a Deo. 38. Neque hac permissione, seu facultate uti potest pro libito, sed solum ubi, quando, & pro quando Deus permiserit. 39. & 214. Impugnat homines propter invidiam, & propter superbiam. 213

Dæmon nequit cognoscere virtutes hominis interiores. 124. Nec futurum hominis morientis statum, *ibid.* nec nostras cogitationes, nisi perindicia, 124. & hoc modo plura occulta, & distantia patefacit. 125. Dæmonis cognitio quæ, & quanta sit, quomodo eam accipiat, & usque se extendat. 202. Cognitio, quam dæmones habuerunt per naturam, non est eis ablata, nec diminuta, 204. cum aliqua tamen limitatione. 205. Illa verò cognitio, quæ est per gratiam in speculatione consistens, non est eis totaliter ablata, sed diminuta, & explicatur. 208. Illa tamen, quæ habetur per gratiam effectiva, & productiva divini amoris, omnino caret, sicut caritate. 209. Dæmon an, & quomodo cognoscere possit futura. 325

Dæmones nequeunt interrogari ad quæ verba magis crucientur, 131. licet conturbentur, torqueantur, urantur exorcismis, *ibid.* & magis per quædam verba, quam per alia, 132. & per futurum Judicii diem ipsis objectum. 133

Dæmonis artes, & astutiæ cavendæ sunt ab Exorcista, 140. & eas cognoscere, debet Exorcista curare. 202

Dæmon semper aut fallit, aut finem habet fallendi, 141. Ideo non est ei credendum, etiam cum veritatem loquitur. 141. Neque si dicat se compelli ad veritatem dicendam. 142. Nec cum simulat se esse animam alicujus defuncti, vel Sancti, vel Angeli boni. 330

Dæmonis astutiæ ut plurimum sunt, abscondere se, & relinquere corpus obsessi quasi liberum ab omni molestia. sed fictè. 161. Interdum verè, sed revertuntur. 163. conari, suadere sui obsessionem esse naturalem infirmitatem, idque suadere tentat vexato. 166. Parentibus vexati. 167. Vulgi opinioni, *ibid.* & medicis, 168. finere obsessum

fessum sumere Eucharistiam quandoque, quandoque non. 200
Dæmones assistunt funeri Martini Lutheri. 163
Dæmon non potest rem aliquam creare, 220. nec formam substantialem corpoream immediatè producere. 221. V. *Potentia*.
Dæmon mutus, & surdus, quid importat. 243
Dæmonum numerus licitè interrogari potest, 335. sicut & nomen. 337. V. *Interrogationes necessariæ*. Dæmones in jam liberatum quandoque revertuntur, 419. & quare, 420. & quomodo impediendus hic regressus. *ibid.*
Dæmon elevare potest corpus obsessi. V. *Corpus*.
Dæmonis voluntas. V. *Voluntas*.
Dæmonum nomina. V. *Nomina dæmonum*.
Dæmoniaci qui sint. 13
Dæmonis invocatio. V. *Peccata*.
Desperatio. V. *Peccata*.
Detractio. V. *Peccata*.
Deus adjurari potest. V. *Adjuratio*. Solus illabi potest animæ, 32. & cognoscere secreta cordis. 123. Numquam permittit dæmones vexare homines nisi justissimè, 40. & permittit ob obstinatorum damnationem, *ibid.* ob peccantium purgationem, 41. ad fidelium probationem, & exercitationem. *ibid.* Ad gloriæ suæ manifestationem, 42. ad peccantium punitionem. *ibid.* V. *Peccatum*. Orandus est ab Exorcista, ut astutias cognoscat diaboli. 140
Dusii quinam dæmones vocentur. 19

E

Ecclesiarum violatio. V. *Peccata*. V. *Templorum violatio*. Ecclesia accepit potestatem a Christo ejiciendi dæmonia, 93. & communicat hanc Exorcistis. *ibid.* Illa Judæorum a Deo similem habebat potestatem *ibidem*. Ecclesia est locus aptus adjurationi, 248. & Ecclesiæ ministri sunt advocandi ad malefidia dissolvenda. 191
Energumenus quid sit, & quare sic vocetur. 14

V. *Obsessus*. Energumeni ficctitii, 117. & eorum pœnæ temporales *ibid.* & 120. & pœnæ spirituales. 118. Energumenorum nomina ad Altare non recitabantur, *ib.* neque ad Ordines admittebantur. *ibid.* imò admissi deponebantur, 119. admittuntur tamen, si sint a vexatione dæmonis purgati. 119. Energumenus jejunare debet. 247. Seorsim a multitudine est exorcizandus, quamvis aliter antiquitus factum sit. 254

Evangelium quam utiliter legatur super obsessum. 454

Eucharistia super obsessum non admoveatur. 313. V. *Hostia*. Hanc obsesso permittit interdum sumere dæmon, quandoque non. 200. V. *Communio*.

Excommunicatio. V. *Peccata*.

Exorcismus quid sit. 353. Non producit infallibiliter suum effectum, 97. nec confert gratiam Sanctificantem. *ibid.* Habet tamen virtutem ex opere operato, & explicatur, 355. & 357. Urit, torquet dæmones, 131. concluditur: *Per eum, qui venturus est*, & quare? 133. faciendus est cum imperio, & auctoritate. 354. Non tantum voce prolatus, sed & scriptus vim habet. 357. Adhibendus est ad fuganda animalia terræ nocentia. 10

Exorcismi Ritualis Romani quam antiqui sint, 459. & 462. His solis uti debet Exorcista, & non aliis. 434. & 437

Exorcismi Salomonis. V. *Salomonis exorcismi*.

Exorcista quid sit. 3. Alius ex gratia gratis data, alius ex vi Ordinis. 89. Liberando energumenum non conficit Sacramentum. 96. Potest infantes baptizandos exorcizare ex vi Ordinis, 97. tamen consuetum non est, ad ostendendam Baptismi unitatem, 98. debet habere jurisdictionem, & particularem quoad Moniales, 98. debet fugere omnem avaritiam, & quæstum, 100. debet esse constans, & patiens in instruendo, & disponendo obsesso, in sustinendis insultibus, injuriis, & calumniis dæmonum, 102. debet esse humilis. V. *humilitas*. Debet esse reverendus officio, & moribus. 108. Non debet uti fictionibus, 110. nec quærere a dæmone per quam Personam, vel

per

per quem Sanctum sit expellendus, 111. nec in quo loco sit egressurus, *ibid.* nec debet energumenum alapis, flagellis, sputis &c. vexare, *ibid.* tamen aliquando moderatè, & cum prudentia poterit in dæmonis contumeliam. 112. Nec ei licebit imperare dæmoni sub pœna excommunicationis, *ibid.* neque terminis judiciariis, *ibid.* nec imponere nomina irrisoria, nec pingere ejus imaginem, eamque comburere. *ibid.* Nec ei licitum est radere pilos, & capillos dæmoniaci, 113. nec præcipere dæmoni superiori, ut inferiorem pellat, *ibid.* nec præcipere ut in infernum abeat, vel in desertum, vel in stagnum ignis per annos mille, 113. nec connivere petitioni dæmonis è corpore egressuri, quando rem iniquam petit 114. Nequit exigere a dæmone juramentum sui exitus, 161. debet orare, ut astutias diaboli cognoscat, 140. super quas cautus esse debet, 202. & jejunare. 247. Silentium imponere dæmoni, 329. esse in statu gratiæ, 425. & 426. alias peccaret, 427. & tandem debet uti solis precibus, & exorcismisæ prescriptis a Rituali Romano. 434. & 437.

Exorcizatus est in Ecclesia antiquissimus, 83. est Sacramentum. 84. Non tamen prout ministerium est, seu prout actu exercetur. 95.

Exorcizatio. V. *Adjuratio.*

Exorcizare quid sit. 3. Exorcizandi potestas data fuit a Christo Apostolis, & ejus discipulis. 15

F

Facturati qui sint. 13

Fascinati qui sint. *ibid.*

Fauni dæmones, qui dicantur. 19

Fides non est adhibenda dictis dæmonis, 140. nec etiam cum verum dicit 141. imò si dicat se compelli ad veritatem dicendam. 142

Fides Theologica requiritur in exorcista, 358. quid sit, & quomodo differat a Fiducia, 364

Fiducia est necessaria ad liberationem 301. in Exorcista 365. & qualis, *ibid.* in patiente, parentibus, astantibus, 302. & 309. motiva excitandi fiduciam enumerantur, 302. & 309. Fiducia petenda est a Deo. 366. Impedit quominus dæmon possit nocere, 413. & nedum propria, sed etiam aliena, 416. quomodo differat a Fide, 364. & quid sit. 363
Fraus. V. *Peccata*. Fraudes dæmonis. V. *Artes dæmonis*.
Furtum. V. *Peccata*.
Futura an, & quomodo cognoscere possit dæmon. 325

G

Genua flectendi mos antiquissimus est in oratione fundenda. 431
Gula. V. *Peccata*.

H

Hæretici non solent ejicere dæmonia. 358
Hostia non consecrata non potest Exorcista uti ad explorandam dæmonis obsessionem. 314
Humilitas necessaria est in Exorcistis in actu conjurationis, 104. & post dæmonis expulsionem, 107. in obsessis etiam 307. & in astantibus 351.
Hypochrisis. V. *Peccata*.

I

Jacobus Martinus Modanesius. V. *Actus sociali cum dæmone*.
Jesus nomen quam efficax. 363
Jejunium necessarium ad omnes dæmones ejiciendos, 243. & 245. & in Exorcista, atque Energumeno, 247. & 289.
Incestus. V. *Peccata*.
Ineptiæ. V. *Nugæ*.
Infantes habent sua signa obsessionis particularia, 129. Infantes baptizandi possunt exorcizari a sim-

simplici Exorcista, 92. non tamen consuetum est, & quare 98. V. *Parvuli*.
Incubi dæmones dantur. 18
Inobedientia. V. *Peccata*.
P. Joannes Baptista Mezzetus. V. *Actus Socialis*.
Instrumenta maleficii. V. *Signa Maleficii*.
Inspectio minus pudica proprii corporis. V. *Peccata*.
Integritas vitæ quam necessaria in Exorcista. 99.
Intellectus hominis potest a dæmone alterari 33. non tamen ipsum interius movendo, sed solum operando circa partem interiorem sensitivam. *ibidem*.
Intellectus dæmonis. V. *Cognitio*.
Intemperantia carnalis. V. *Peccata*.
Interrogationes necessariæ dæmoni faciendæ, quæ 334. *& seqq.* & 347. *& seqq.* V. *Multiloquium*.
Invocatio Divini nominis alia implicita, alia expressa. 44
Ira. V. *Peccata*.
Judicii diem timent dæmones, ac reformidant. 133
Juramentum exigere nequit Exorcista a dæmone sui egressus. 161

L

Lætitia inepta. V. *Peccata*.
Liberationis signa. V. *Signa Liberationis*.
Libidinis desiderium. V. *Peccata*.
Litaniæ, quid sint, & quotuplices sint, 432. devotè sunt recitandæ ab Exorcista, 433. & non aliæ quam ab Ecclesia approbatæ. *ibid.* Quam antiquæ sint. 448. etiam earum usus in expulsione dæmonis *ibid.*
Locustæ an, & quomodo adjurari possint? V. *Creatura irrationalis*. *Adjuratio*.
Lunatici, qui sint. 18
Lunæ interdum tribuitur obsessio dæmonis. 167
Luxuria carnalis non est in dæmonibus. 18. V. *Peccata*.
Luxuriosi cum obsessis comparantur. 48

Magi

M

MAgi non ſunt advocandi ad diſſipandum maleficium, 183. & ſolum quando licent eos advocare oſtenditur. 190. Magi Pharaonis, quomodo verterint virgas in ſerpentes. 222. V. *Saga*.
Maleficiatus, & Maljatas qui ſit. 13. Non debet temerè judicare de Auctore maleficii. 189. Nequit confugere ad magos, vel ad Sagas *ibid.* Ejus curatio. V. *Curatio*.
Maleficium datur, 168. multiplex eſt, 170. maleficii ſigna. V. *ſigna maleficii*. Maleficia negantes corripiuntur. 182
Maleficus datur, 168. ejus pœnæ. *ibid.*
Manus impoſitio multiplex, 440. obſeſſis eſt imponenda. 441
Maria Virgo oranda eſt ab exorciſta, ut aſtutias dæmonis poſſit cognoſcere, & confringere. 140.
Maria Magdalena, an verè a ſeptem dæmonibus obſeſſa. 42
Medici quare, & quando ab Exorciſtis conſulendi. 391
Medicamenta nullam habent vim in dæmones, 382. & explicatur. 389.
Memoria poteſt a dæmone juvari, & debilitari, imo tolli. 35
P. Mezzectus Joannes Baptiſta. V. *Actus Socialis*.
Miniſter Exorcizationis debet eſſe ad Ordinem Exorciſtatus promotus. 81. Miniſter Eccleſiæ advocandus eſt pro maleficiis diſſolvendis. 191. V. *Exorciſta*.
Miracula non poteſt facere dæmon. 215. Miracula AntiChriſti, quæ? 216. Vera a falſis quomodo diſcernantur. 218. V. *Potentia dæmonis*.
Miſſa convenientius celebranda ante adjurationem obſeſſi. 425
Modaneſius Jacobus Martinus. V. *Actus Socialis*
Modus exorcizandi præſcriptus a Rituali Romano. 444

Monialis ab Exorciſta exorcizari non poteſt abſque ſpeciali Sacrę Congregationis licentia, 98. & tunc in Eccleſia exteriori, non ad crates, neque in Monaſterio. 249
Mores Exorciſtę. V. *Integritas vitæ.*
Motiva excitandi fiduciam. V. *Fiducia.*
Mulieres, quibus cautelis exorcizandę. 392
Multiloquium habere cum dæmone eſt peccatum. 317

N

NOmina SS. Angelorum ſunt officii, non naturæ. 339. Præter nomina Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, alia non ſunt uſurpanda, nec invocanda. 341
Nomina dæmonis ſunt officii, non naturæ. 339 nec ita ſunt unius propria, ut alteri competere non poſſint, ex diverſitate officii. 345. Nomina dæmonis, quę habentur in Sacra Scriptura enumerantur. 339. & 343
Nugæ dæmonis contemnendæ, & cohibendæ ſunt. 349

O

OBduratio. V. *Peccata.*
Objurgatio quid ſit. 380
Obſeſſi qui ſint, 13. quomodo differant a poſſeſſis. 14. Dantur, 14. etiam nunc, 15. poſſunt a dęmone cogi ad actum qui ex genere ſuo ſit peccatum, non tamen poſſunt cogi ad peccatum. 35. Plures tales videntur, qui revera non ſunt, 117. unde fictitii dantur, *ibid.* & eorum pœnę. 118. Interrogari poteſt ab Exorciſta obſeſſus ad quęnam verba dęmon magis crucietur. 131. Debet orare Deum. 260. B. Virginem 261. SS. Archangelos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem 263. Angelum cuſtodem, 264. reliquoſque SS. Cęlites, 265. & præcipuè illos, qui viventes dæmones

nes expulerunt, 266. debet tentationes suas omne Exorcistę patefacere. 417. V. *Oratio*.
Obsessio dęmonis dupliciter contingit. 168. Infirmitas est, 251. obsessionis signa. V. *Signa obsessionis*.
Occulta patefacere quomodo possit dęmon V. *Angelos*. V. *dæmon*.
Odium. V. *Peccata*.
Orarium. V. *Stola*.
Oratio est una ex pręcipuis dispositionibus requisitis in obsessio, 260. differentia orationis ad Deum, & ad Sanctos, 261. ejus conditiones. 283. V. *Jejunium* V. *Obsessus*.
Ordo Exorcistatus. V. *Exorcistatus*.

P

PArentes inhonorati. Eorum maledictio. V. *Peccata*.
Parvuli baptizati permittuntur a dęmone vexari, multiplici ex ratione, 76. sicut & non baptizati. 77
Patientia obsessi. 308. V. *Constantia*.
Peccata lethalia, ob quę Deus obsessione, seu vexatione dęmonis punivit homines, enumerantur, 43. nempè ob Superbiam, *ibid.* Inobedientiam, Hypocrisim, Novitatum pręsumptionem. 44. Avaritiam. 45. Fraudem *ibid.* Obdurationem 46. Furtum. 47. Luxuriam. 49. Incœstum. *ibid.* Ob desiderium libidinis explendę. 50. Ob minus castam proprii corporis inspectionem. *ibid.* Ob lavacrum in Balneis. 51. Ob conjugalem intemperantiam. *ibid.* Ob Choreas 53. Ob invidiam, Detractionem, Calumniam, 53. & 54. Ob Gulam. 55. Ineptam lętitiam, & scurrilitatem. 56. Ob iram *ibid.* Blasphemiam 59. Odium. *ibid.* Acediam. 60. Torporem circa pręcepta, & Desperationem. *ibid.* Ob parentes inhonoratos. 61. Ob abusum Sacramentorum, & Sacrorum irrisionem. 62. Ob templorum, Ecclesiarumque violationem 64. Ob impedimentum *Criminis* 66.

Ob venenum propinatum. 67. Ob ſecretum non ſervatum *ibid.* Ob violationem clauſarę Monaſterii. *ibid.* Ob Sacrificium diabolo faciendum *ibid.* Ob excommunicationem *ibid.* Ob dęmonem invocatum. 68.

Peccata etiam venialia fuerunt a Deo obſeſſione punita. 68. Item aliena ſunt cauſa vexationis dęmonis. 70. Peccata Parentum reſpectu filiorum, 71. & precipuè ob maledictionem. 73. Non ſunt committenda, ne dęmon revertatur. 419

Permiſſio divina requiritur, ut dęmon obſideat, vel vexet. 38

Pietas quid ſit, & quam conveniat Exorciſtę. 98

Piſcis Tobię num dęmonem expulerit? 382

Pœnę energumenorum ſpirituales 118. & corporales. 120. V. *Energumeni. Obſeſſi fieri.* Pœnę maleficorum, 169. & ſuperſtitioſorum. 194

Pœnitentia. V. *Confeſſio.*

Poſſeſſus. V. *Obſeſſus.*

Potentia animæ. V. *Anima. Intellectus, Voluntas, Memoria, Senſus, damon.*

Potentia eſt in dęmonibus circa res corporeas immutandas, 215. non tamen ad miracula facienda. *ibid.* Se extendit etiam ad generationem eorum animalium, quæ ſine genitoribus naſci poſſunt, applicando activa paſſivis, 225. non tamen in inſtanti. 226. Imò ſe extendit ad ſanationem Morborum, non tamen incurabilium, *ibid.* nec ſe extendit ad tranſmutationem humanorum membrorum in beſtialia. 227. Poteſt tamen humana corpora variis morbis affligere. 229. Inſuper ſe extendit ad motum localem ſivè in ſe, ſivè in corpus velociſſimè quidem, ſed non inſtantaneè. 229. Potentiam non habet dęmon ad impediendam virtutem agentium naturalium ab intrinſeco; poteſt tamen ab extrinſeco. 235. Nec habet potentiam erga cœlum, & elementa, *ibid.* licet poſſit terrębmotus efficere, tempeſtates excitare, fulgura &c. 236. Non poteſt mortuos ſuſcitare. 237. Potentia dęmonis tribus modis explicatur. 241

Potestas exorcizandi omnibus fidelibus est concessa 81. quibus tamen non licet nunc ea uti 82. Alia est Ordinis, alia jurisdictioni *ibid.* relicta fuit a Christo Ecclesiæ 94. Potestas jurisdictionis requiritur in Exorcista. 97. Potestas Exorcistæ, est a Deo 100. V. *Exorcizandi potestas.*

Potestates a Deo accepta non potest dæmon uti pro libito, sed solum ubi, quando, & pro quanto permiserit Deus 39. & 214.

Preces illæ tantum adhibendæ quæ præscribuntur a Rituali Romano. 434.

Præceptum, quod fieri potest dæmoni, quotuplex sit 380. V. *Adjurandi modus.*

Presbyteri non assumebantur tempore D. Ambrosii, nisi in ætate annorum 35. 93. V. *Sacerdotes.*

Præsumptio novitatum V. *Peccata.*

Processionis tempore, abstinendum est ab Uxore 52.

Psalmi præscripti a Rituali Romano super obsessos legendi, aptissime præscribuntur 470. *& seqq.*

Pythonici, seu Pythones qui sint 13. V. *Samuelis anima.*

R

REgressum dæmonis debet semel liberatus cohibere, & quomodo. 420. & 422.

Reliquiæ Sanctorum adhibitæ ad animalia terræ nocentia fugandæ 10. efficaces sunt ad dæmonis expulsionem 311. V. *Amuleta*

Res corporales nullam vim habent in dæmones 381. V. *Medicamenta.*

Rituale Romanum adamussim est observandum 435. & 442. ejus documenta de exrcizandis obsessis, ejusque modus exorcistis, præscriptus. 444.

S

SAcerdotes convenientius Exorcizant, quam inferiores clerici. 80.

Sacramentorum abusus. V. *Peccata.*
Sacrificium. V. *Peccata.* V. *Missa.*
Sacrorum irrisio. V. *Peccata.*
Sagæ non sunt advocandæ ad maleficium destruendum. 183. quid possint, 242. interdum realiter, interdum fictè ad nocturna conventicula deferuntur, 230.
Salomonis exorcismi an vim habuerint expellendi dæmones. 382.
Samuelis anima an verè fuerit evocata? 237.
Sancti adjurari possunt. V. *Adjuratio.* Qui dæmones adjurarunt. 266. V. *Catalogus. Eorum reliquiæ.* V. *Reliquiæ.*
Sathanas se transfigurat in Angelum lucis. 330
Satyri, dæmones vocantur. 19
Saul Rex an liberatus a dæmone vi Citharæ David. 382
Scapulare. V. *Amuleta.*
Scientia dæmonis, V. *cognitio.* An & quomodo se extendat ad futura. 325. Scientiam non acquisivit ope dæmonis P. Mezzettus, nec ejus discipulus. 318
Script. sacræ verba in exorcismis sunt adhibēda. 396
Scurrilitas. V. *Peccata.*
Secretum violatum. V. *Peccata.*
Sensus hominis possunt illudi a dæmonibus, & quomodo. 35
Serpentes veri an facti fuerint ope dæmonis. 223.
Signa obsessionis demoniacæ alia probabilia, alia evidentia. 120. Alia ex parte animæ, alia ex parte corporis, alia particularia pro infantibus. V. *Comentar. Documenti III.* Signa probabilia evadunt evidentia per exorcismum. 131. Petere signum liberationis est licitum. 165. Nullum verò est infallibile, *ibid.* aliqua tamen sunt probabilia, alia probabiliora. 166. Signa maleficii quid sint. 397. Alia interna, 400. & quomodo in corpus immitti possint, 401. aliquando vere, aliquando fictè ejiciuntur. 402. Alia sunt externa. 404. Licitum est hæc destruere, *ibid.* etiam spe cessationis nocumenti, 405. non tamen est necessarium 417

Signum Crucis. V. *Crucis signum*
Silentium indicendum est dæmoni ab Exorcista. 319
Spiritus infirmitatis quid sit. 14
Status gratiæ convenit Exorcistæ. 426
Stola adhibenda est in adjuratione, & quid significet. 429. Circumponenda est collo obsessi. 430
Succubi dæmones dantur. 18
Superbia. V. *Peccata*.
Superstitionibus uti illicitum est ad maleficia solvenda. 192. Superstitiosorum pœnæ. 194.
Sylvani dæmones, qui dicantur. 19
Symbolum S. Athanasii recitatum, dæmonem expulit. 466.
Synaxis. V. *Communio*. V. *Eucharistia*.

T

TOrpor. V. *Peccata*.
Templorum Violatio. V. *Peccata*.
Tentationes debet obsessus Exorcistæ patefacere. 417

V

VEnenum propinatum. V. *Peccata*.
Vexati, qui sint. 13
Vitæ integritas. V. *Integritas*.
Voluntas hominis potest alterari a dæmone, & quomodo, 33. non tamen quod possit dæmon physicè eam movere interius, sed solum per modum persuadentis, & ut proponens objectum *ibid.* nec potest cogi ad peccandum. 34.
Voluntas dæmonis necessitatem moralem habet peccandi in actibus suis liberis, sicut impotentiam moralem habet faciendi ullum actum moraliter bonum in omnibus suis circumstantiis. 210. Malam voluntatem habet erga homines, 211. & hoc est præcipuum ejus studium, 212. imò gaudet de malo spirituali hominis, *ibid.* & de potestate in obsessos. *ibid.*

FINIS.

Erro-

Errores corrigere erubescentes, confundentur D. August. Epist. 49. contra Donat.

Errata	Corrige.
Pag. 5. Ministr	Ministri
10. admotorem	ad motorem
ibid. fui	fuit
ibid. Reliquiis SS. *adde*	vel aqua lustrali
12. Gregorio	Georgio
ibid. flumine attulit	flumine aquam attulit
15. Doc. XI. & seqq.	Doc. XI. num. 7. & seqq.
16. exempla	exemplis
17. ignes	ingens
ibid. occasiones	occasionem
ibid. obsidebatur	obsideretur
20. interium	interim
ibid. curratum	curvatum
22. ipsa	ipsam
23. immunditia	immunditias
26. Transcensis	transcensis
ibid. exercenda	exercendæ
28. exercenda	exercendæ
31. iuterdum	interdum
34. Hæc	Nec
35. Necessitate	Necessitate
ibid. ad peccatum	neque ad peccatum
ibid. variis	vanis
36. qualiæ	qualia
38. Tob	Job
39. Tob	Job
ibid. nulla adversus	nullam adversus
ibid. ipsius	ipsis
ibid. Tob	Job
ibid. terram	terra
44. quandam	quendam
ibid. Ephrem	Ephræm
ibid. Segolanæ	Segolenæ
45. scias dolo	scias volo.
49. fornicatio	& talis fornicatio
50. die 2.	die 27.
60. Monachorum	Monacharum
ibid. exequaverut	exequaverat

61. *inobedientua*	*inobadientiâ*
62. Anacletis	Analectis
63. inveniliter jactabant poteſtatem	juveniliter jactabant poteſtate
ibid. fugitque	fuitque
64. ex templo	extemplò
ibid. Eccleſiamque	Eccleſiarumque
ibid. Equitis	Equitii
66. ab hoc	ob hoc
67. de Victore Pontifice	nempè Victori Pontifici
68. dare	clarè
73. ſubirate	ſubiratæ
74. objerunt	abjerunt
77. *ſuperis fili Adæ*	*ſuper filiis Adæ*
78. gravitatum	gravitate
81. recentibus	recentioribus
82. diebus	ædibus
84. exorciſtarum	exorciſtatum
86. quia	quin
87. *acceperat*	*acceperant*
ibid. exorciſtis Romani	Exorciſtis habent Romani Clementis
89. *ſanctionum*	*ſanationum*
91. ſpectari	ſpectare
93. ſolum juriſdictionis	ſolum poteſtate juriſdic.
94. *ſpiritum*	*ſpirituum*
ibid. invocatione	invocationi
95. *dedi poteſtatem*	*dedi vobis poteſtatem*
ibib. voluntatem Eccleſiæ	per voluntatem Eccleſiæ
96. requeſitis	requiſitis
97. tom. 4. ait	tom. 4. de amore ineffabili ſerm. 41. ait
103. Ovis in quienſque	O' vis, inquiens, quæ
104. propter hæc exorciſmis	propter hæc ab exorciſmis
ibid. poteſtate a collocata.	poteſtate ſibi a Deo collata
105. agerrime.	egerrime
110. in offenſo	inoffenſo
111. exercitare	excitare
ibid. virtutem directè	virtutem in dæmones in

in dæmonibus cruciandos, & affligendos.	cruciandos, & affligendos
112. metodo	Methodo
114. Tob. v. 12.	Job. 1. v. 12.
115. Documentii	Documenti
116. Atrabile	Atra bile
118. fuerant	fuerunt
ibid. Aquienſis	Aquinenſis
120. nec non canon	nec non conformis eſt Canon
ibid. conſulit	conſuluit
ibid. diabolicæ	diabolicæ ſignæ
121. quam ſola	quam ſolam
123. Eccleſiaſtici 24.	Eccleſiaſtici 42.
127. nullo	Nulli
128. ſine	ſive ex ejus
129. ſuppoſitii	ſuppoſititii
133. fiant	fiunt
ibid. cap. 6.	cap. 5.
135. ſagos	ſagas
136. ſed eant	ſedeant
142. afficiuntur	afficiatur
161. *aucultandum*	*auſcultandum*
167. Rothbertus	Rathbertus
169. & primo	A' primo
ibid. in ſine	fine
172. crimen	crinem
179. *delictus*	*delictis*
ibid. *Actis*	*Actus*
181 Caſto	Caſte
182. Bertrardi	Bertrandi
192. P. Gregor.	S. Gregor.
ibid. Baptiſmo	Baptiſma.
193. *contentim*	*contemptim*
ibid. Miſtalogica	Myſtagogica
204. requies	requie
207. *Roma*	*Romæ*
209. *coactam*	*coactæ*
ibid. *ſcientiam*	*ſcientia*
210. *Angelis*	*Angeli*
214. Oroſius	Oroſium

215. ut	&
ibid. percipiamus	percipiemus
219. mendavis	mendaciis
ibid. Sanctis	Sancti
223. produerit	produxerit
226. ſucceſſivum	ſucceſſivus
234. ſed ut ſit	ſed ut ut ſit
ibid. creaura	creatura
238. tuæ	tu, &
244. intellexerit	intellexit
249. Romanam	Romana
253. meſtus	metus
261. *Filium Patrem*	*Filiùm Pater*
262. *& ipſam*	*& ipſa*
ibid. *qui hæc*	*cui hæc*
263. *niſi cum*	*niſi eum*
ibid. *duo circa*	*quo circa*
ibid. juſta	*juxta*
265. *gentis*	*generis*
267. *Septembriis*	*Septembris*
ibid. 26. Februarii	cap.6. 2. Februarii
ibid. Lipellorum	Lipelloum
269. id idem	ibidem
272. S. Valeris	S. Valerii
283. orationes	Orationis
284. *intermiſſionem*	*intermiſſione*
285. *potens*	*petens*
287. *utrumque*	*utcumque*
ibid. *alibi*	*alibi*
293. S. Caſpar	P. Gaſpar
298. Blancum	Blancam
299. voluit	valuit
300. d' Anchericem	d' Acherium
302. aderat	aderant
307. *Umilitas*	*Humilitas*
314. cruciatas	cruciatus
316. Brugnolo	Brognolo
320. quoſdam	quaſdam
ibid. depromptam	depromptas
323. *di mio*	*di Dio*
340. *præditas*	*præditus*
341. *numina*	*nomina*

342. S. Lu-

342.	S. Lucam	P. Lucam
344.	temporem	teporem.
351.	reſpondi	reſpondit
ibid.	interſunt	intererunt.
354.	forma	formam
ibid.	*laudat*	*laudata*
367.	divexerant	divexarant
ibid.	Hicetio	Nicetio
368.	*eludas*	*claudas*
371.	Origines	Origenes
379.	*alio*	*alia*
380.	actuali	actuales
384.	ex cantare	excantare
ibid.	vel pulſuſuavium	vel pulſu ſuavium
ibid.	muliere	mulcere
387.	exorciſmo	exorciſmos
ibid.	*vix*	*vis*
393.	*de vita*	*devita*
400.	legintur	legitur
ibid.	Bernardi	Bernardini
ibid.	feret	foret
ibid.	Tauſiani	Tauſſiniani
401.	durioſa	duriora.
404.	modum	nodum
405.	imitato	imitator
408.	obnoxiam	obnoxia
409.	*verſutiſſiam*	*verſutiſſima*
410.	*ex eo*	*exeo*
412.	utque	ut quæ
415.	recepiſſe	receſſiſſe
416.	Brachio	Berachio
417.	maleficio	malefico
428.	extit	exit
429.	columne	columnæ
433.	in Breviario	tum in Breviario
438.	imperaverint	imperaverunt
443.	*dignos*	*indignos*
444.	plurimum	plurima
447.	eam	ea
464.	proſternare	proſternere.

Errores, qui Orzographiam, vel diſtincte interpungendi rationem concernunt (qui perſæpe occurrent) Lectoris humanitas quæſo excuſet.

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. Fra Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Ritualis Romani Documenta de exorcizandis obſeſſis a damonio, Commentariis ex SS. Patribus, & Eccleſiaſticis Scriptoribus potiſſimum depromptis, Auctore F. Paulum Maria Cardi Regienſem, Ordinis Serv. B. M. V. &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a *Giuſeppe Corona* Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 30. Marzo 1733.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reff.
(
(Pietro Grimani Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Secret.

16. Giugno 1733.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Secret.

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. Fra Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Ritualis Romani Documenta de exorcizandis obſeſſis a damonio, Commentariis ex SS. Patribus, & Eccleſiaſticis Scriptoribus potiſſimum depromptis, Auctore F. Paulum Maria Cardi Regienſem, Ordinis Serv. B. M. V. &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a *Giuſeppe Corona* Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 30. Marzo 1733.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reff.

(Pietro Grimani Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Secret.

16. Giugno 1733.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Secret.